PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE MISSA

CUM APPENDICE DE SANCTISSIMO SACRAMENTO

٢١٤ ١٧

M 319

PRÆLECTIONES JURIS CANONICI

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

ET IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI TRADITÆ

PRÆLECTIONES

DE MISSA

CUM APPENDICE

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

AUCTORE

S. MANY

PRESBYTERO SANCTI SULPITII, DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO
JURIS CANONICI PROFESSORE IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI

ALMA COLLEGE
348.7413
LIBRARY
M319
Alma, California

PARIS

LETOUZEY ET ANÉ, ÉDITEURS

17, RUE DU VIEUX-COLOMBIER, 17

—

1903

#7589

IMMACULATÆ

VIRGINI DEIPARÆ

OPUS DICATUM



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesdem0000sman

APPROBATIO

Grate jucundeque affecti sumus audientes relationem de opere cui titulus *Prælectiones canonicæ de Missa cum Appendice de Sanctissimo Sacramento*, auctore D. Many, presbytero Societatis Sancti Sulpitii, olim in Seminario Nostro, nunc autem in Instituto catholico Parisiensi Juris Canonici professore. Liber scriptoris non est indignus fama professoris. Nec minus proderit ejus doctrina legentibus, quam profuit audientibus. Multæ sunt enim quæstiones, quæ de Missa Sanctissimoque Sacramento tractantur, sive ad locum, tempus, iterationem, etc., celebrationis, sive ad eleemosynas missarum, sive ad custodiam, distributionem, etc., Eucharistiæ pertinentes. Porro in toto tractationis decursu egregie elucent, tum in evolvendis disciplinæ fatis sensus historicus, tum in allegandis textibus ampla et erudita scientia, tum practicum in enodandis difficultatibus ingenium. Unde non modo has *Prælectiones de Missa* libenter typis edi permittimus, verum etiam nostræ diœcesis clericis et sacerdotibus enixe commendamus. Interim huic volumini a multis exoptato fausta multa auspicamur.

Parisiis, die 24ª februarii 1903.

Franciscus Card. RICHARD,

Arch. Parisiensis.

PROŒMIUM

Quum mihi proposuerim typis edere Prælectiones Juris Canonici, quas per multos annos tradidi in Seminario Sancti Sulpitii et nunc etiam trado in Instituto catholico Parisiensi, non mihi injucundum fuit incipere a *Prælectionibus de Missa*. Sacrosanctum enim missæ sacrificium cardo est quo vertitur tota religio christiana, centrum quo vergunt plurima instituta statutaque ecclesiastica. Nec mirum, cum ibi Dominus Noster Jesus Christus, Deus Deique Filius, quotidie, incruento sacrificio, sub speciebus panis et vini, se Patri suo offerat, ut cruentum illud sacrificium, semel in cruce peractum, repræsentetur, ejus memoria in finem usque sæculi permaneat, ejusque salutaris virtus in remissionem nostrorum peccatorum continuo applicetur[1]. Hinc sancta Ecclesia catholica, sponsa Christi, cui Christus ipse in ultima cœna visibile illud sacrificium reliquit atque concredidit, plurimas leges plurimaque decreta tulit, ut nimirum sanctissimum

[1] Conc. Trid., cap. *Quoniam sub priori*, 1, sess. XXII, Doctrina de sacrificio missæ.

istud mysterium, ad majorem Dei gloriam et salutem hominum institutum, revera hunc utrumque finem efficacius et uberius assequeretur. Has itaque leges, hæc decreta, mihi in proposito est exponere. Dogmata theologica, quæ ad missam spectant, a theologis demonstrantur et declarantur; item ritus sacri, seu cæremoniæ et rubricæ, quas in missa adhiberi et observari jubet Ecclesia, a sacræ liturgiæ doctoribus longe lateque traduntur. Hæc ergo omnia prætermitto, ne falcem in alienam messem mittere videar.

Methodus autem qua usus sum in scribendis hisce Prælectionibus, et aliis quæ mox, favente Deo, sequentur, hæc est : Leges ecclesiasticas ex ipsis fontibus haurire curavi, nimirum ex libris Decretalium, ex Constitutionibus Romanorum Pontificum, et Conciliorum decretis, non prætermissis, data occasione, legitimis probatisque locorum consuetudinibus. Harum autem legum idoneam et authenticam interpretationem minis trarunt, tum decreta Sacrarum Romanarum Congregationum, seu, in genere, jurisprudentia sanctæ Sedis apostolicæ, tum item probata consuetudo, quippe quæ sit optima legis interpres, tum peritissimorum doctorum sententiæ. Notitias insuper historicas hic illic inserui; mirum enim quantum lucis afferat juri canonico tradendo rerum olim gestarum experientia; quas enim leges a primis Ecclesiæ sæculis institutas perspicis, et deinceps per varias ætates attente prosequeris, multo penitius intelligis, mentem earum accu-

ratius assequeris, finem plenius intueris. Unde loca Patrum aliorumve scriptorum ecclesiasticorum, decreta conciliorum etiam mere particularium, gesta etiam historica, quæ et quatenus referuntur ad leges ecclesiasticas, quantum cognoscere licuit, quantumque tulit brevitas debita Prælectionum, afferre non prætermisi. Mihi enim sæpius in mentem occurrunt ista doctissimi Pontificis Benedicti XIV verba : « *Sublimior illa juris canonici profitendi ratio,* qua veteri novum copulatur, jungiturque cognitio, tum conciliorum, tum ecclesiasticæ historicæ, sanioris critices, et eorum pariter, quæ tam in decretalibus, quibus communiter utimur, quam in iis quæ sex prioribus collectionibus continentur [1]. » Utinam hæc sublimior juris canonici tradendi methodus, quam plures jam feliciter adhibuere, vulgatior in dies fiat; sic enim venerandæ leges ecclesiasticæ melius intelligentur, libentius observabuntur; unde major Deo gloria, clarior Ecclesiæ laus, præstantius clero decus et ornamentum.

His autem *de Missa Prælectionibus* annexui *Appendicem* de sanctissimo Eucharistiæ sacramento; *Appendicem* dico, non proprie dictum Tractatum, qui spectat ad Theologos, et revera apud eos plenus et omnibus numeris absolutus reperitur; unde, ne actum agam, duo tantum aut tria puncta attigi, ut ibi videbit Lector.

[1] *Institut.* XLII, n. 16; Lovanii, 1762, t. II, p. 51.

Demum lectorem monitum volo, me, in his *de Missa Prælectionibus*, ex industria omisisse quæ spectant ad locum normalem sacrificii, nimirum *ecclesias* et *oratoria*, item quæ respiciunt *altare;* quum enim jam sub prælo sint *Prælectiones de Ecclesiis*, *Oratoriis*, *Altaribus*, etc., mihi prorsus inutile visum est hic repetere, quæ illic latius et ex professo dissero.

PRÆLECTIONES CANONICÆ

DE MISSA

CUM APPENDICE DE SANCTISSIMO SACRAMENTO

TITULUS I

DE MISSA

Concilium Tridentinum, in *Decreto de observandis et evitandis in celebratione missæ,* sess. XXII, hæc habet : « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile æstimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque

exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. » Ut ergo hæc interna munditia exteriorque reverentia in tanti sacrificii celebratione ab omnibus sacerdotibus semper sartæ tectæque custodiantur, multa præcepit sancta Ecclesia tum de tempore et loco celebrationis, tum de missarum eleemosynis, tum de sacris utensilibus, aliisque quæ ad hoc sacrificium referuntur : quæ omnia mihi nunc sunt exponenda. Unde relinquens theologis sacræque liturgiæ doctoribus quæ dogma ritusve sacros respiciunt, statim quæ propius ad jus canonicum spectant, aggredior.

CAPUT I

DE LOCO CELEBRATIONIS MISSÆ

1. — Duplex locus, normalis et extraordinarius. — Locus *normalis* celebrationis missarum ille est in quo, juxta jus commune, celebrari possit missa; triplex autem est, nempe: 1. *Ecclesia* rite consecrata aut benedicta, nec polluta; — 2. *Oratorium publicum,* itemque *oratorium semi-publicum*, utrumque debitis requisitis munitum; — 3. *Oratorium domesticum,* ex indulto pontificio; hic tamen tertius aliquantisper deficit a loco *normali;* non enim perfecte convenit cum jure communi; unde et requiritur indultum Rom. Pontificis. — Locus *extraordinarius* celebrationis missarum est *quilibet alius locus præter ecclesias et oratoria prædicta;* in loco autem extraordinario nemini celebrare licet, nisi ex privilegio aut necessitate, juxta dicenda.

De loco *normali* late dico in *Prælectionibus de ecclesiis, oratoriis et altaribus;* unde non remanet dicendum nisi de loco *extraordinario.* Huc autem referuntur tres casus :

1° Casus *necessitatis,* in quo quis, servatis infra notandis, missam celebrare potest etiam extra ecclesias et oratoria.

2° *Privilegium altaris portatilis.* Qui fruitur *privilegio altaris portatilis* missam celebrare potest (adhibendo altare portatile, de quo dicitur in *Prælectionibus de ecclesiis*)

in quocumque loco, modo decenti, et proinde etiam extra ecclesias et oratoria. Unde differt hoc privilegium a privilegio seu indulto *oratorii privati.*

3° Celebratio in navi.

De quibus sigillatim dicendum, præmissis notitiis historicis.

§ 1. Notitiæ historicæ [1].

2. — Disciplina antetridentina. — Frequens olim fuit usus celebrandi missam (adhibito altari portatili) extra locum *normalem* sacrificii, v. g.: sub dio, in domibus privatis, in tentoriis. Sufficiat notare hæc quæ sequuntur :

1° *Tempore persecutionum,* missam celebrabant sacerdotes ubi poterant, et proinde frequenter utebantur ara portatili, aut qualibet obvia mensa : « Quivis locus, ait S. Dionysius Alexandrinus (def. an. 265), ... ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit [2]. »

2° In *castris,* usus celebrandi missam fuit frequentissimus sub principibus christianis. Hic usus incipit a Constantino Magno, de quo sic narrat Sozomenes : « Quoties ad bellum proficisceretur, tabernaculum ad ecclesiæ similitudinem fabricatum circumferre consueverat, ita ut, ne quidem in solitudine constitutus, tam ipse, quam exercitus ejus, sacra æde careret, in qua Deum laudare, ac preces fundere, et *sacra mysteria percipere* possent. Sequebantur enim sacerdotes et diaconi, etc. [3]. » Tabernaculum viaticum Constantini memorant etiam Eusebius et Socrates [4]. — Hic autem usus transiit ad filios Constantini aliosque imperatores christianos, ut, *ibidem,* narrat Sozomenes, et deinde ad

[1] Cf. eximium opus Gattici, *De usu altaris portatilis,* ad calcem alius operis ejusdem *De oratoriis domesticis,* Romæ, 1770, p. 341-462; cf. etiam Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. III, art. 5, Bassani, 1788, t. I, p. 109.

[2] Eusebius, *H. E.,* lib. VII, c. XXII; Migne, *P. G.,* t. XX, col. 688.

[3] Sozomenes, *H. E.,* lib. I, c. VIII; Migne, *P. G.,* t. LXVII, col. 880.

[4] Eusebius, *De vita Constantini,* lib. II, c. XII, XIV; Migne, *P. G.,* t. XX, col. 989-992; — Socrates, *H. E.,* lib. I, c. XVIII; Migne, *P. G.,* t. LXVII, col. 124.

plerosque christianos principes. Sic supponunt aut exponunt multa concilia, v. g.: Moguntinum, an. 743, can. 2, quod præcipit clericis ne comitentur exercitus, « nisi illis tantum, qui propter divina mysteria, *missarum* scilicet *solemnia adimplenda,* et sanctorum patrocinia (reliquias) portanda, ad hoc electi sunt [1]. » — Quod confirmat concilium Liptinense, eod. an. 743, can. 1 [2].

3° In *domibus* aut *cubiculis infirmorum,* frequens etiam fuit usus celebrandi missam. — Cujus rei amplissimum testimonium præbent plura *Sacramentaria* antiqua, in quibus reperiuntur missæ quæ legi debeant in ipsis domibus infirmorum. Sic, inter alia, in *Libro sacramentorum* monasterii Moisacensis (sæculo circiter VIII) [3] reperitur « Missa pro infirmo » *in ipsa domo infirmi* celebranda, ut constat ipsa *Collecta :* « ... Mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum *ill.* in *hac domo* consistentem, etc., » et aliis ejusdem missæ precibus. Imo tam frequens fuit usus missæ in domibus infirmorum, ut in abusum devenerit, et Episcopi, sæculo IX, missæ veræ substituerint missam *siccam* (id est, sine consecratione); hujus missæ siccæ ordinem describit Martène ex manuscripto sæculi IX [4].

4° In *itineribus* pariter frequens fuit usus celebrandæ missæ in altari portatili. Allegare sufficiat : *a.* Concilium Parisiense VI (an. 829), quod prohibet ne missa celebretur in domibus aut in hortis, « excepto quando *in itinere pergitur,* et locus basilicæ procul est, ... ne populus Dei sine missarum celebratione maneat [5]. » — *b.* Concilium Moguntinum (an. 888), quod ait : « *In itinere* vero *positis,* si ecclesia defuerit, sub divo, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia, adsunt, missarum solemnia celebrari

[1] Mansi, *Concilia,* t. XII, col. 366.

[2] Mansi, *Concilia,* t. XII, col. 370.

[3] Edito apud Martène, *De antiquis Eccl. ritibus,* lib. I, c. VII, art. 4, Bassani, 1788, t. I, p. 315.

[4] *Loc. cit.,* lib. I, c. III, art. 1, n. 20, t. I, p. 96. — Cf. Gatticum, *loc. cit.,* c. VI, n. 8, p. 384; — Bened. XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, § 48, Lovanii, 1762, t. II, p. 71-73.

[5] Conc. Paris. VI, lib. I, c. XLVII; lib. III, c. VI; Mansi, *Concilia,* t. XIV, col. 566, 597.

permittimus [1]. » — Hoc autem concessum fuisse videtur presbyteris itinerantibus, etiam ut propriæ devotioni satis facerent, ut constat ex testimonio ven. Bedæ, qui, loquens de duobus presbyteris, ait : « Quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam [2]. »

5° Etiam in alia *necessitate, nec ita gravi,* locus erat usui celebrandæ missæ in ara portatili, v. g., in aliqua domo privata. Constat tum ex testimonio Hincmari : « ... Si necessitas poposcerit, *donec ecclesiæ vel altaria consecrentur, et in capellis etiam quæ consecrationem non merentur,* tabulam quisque presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra aut litio honestissimo... habeat, et nobis ad consecrandum offerat, *quam secum cum expedierit deferat* [3]; » — tum ex pluribus veteribus *Sacramentariis,* v. g., ex sic dicto *Sacramentario gallicano,* quod retroascendit ad sæculum VII [4]; in hoc enim *Sacramentario* reperitur « Missa *in domo cujuslibet* [5] », quin, in hujus missæ orationibus, insinuetur specialis aliqua gravis necessitas; similem missam in domo privata celebrandam, sine speciali gravi necessitate, exhibet *Sacramentarium* sic dictum *Gelasianum* [6], lib. III, n. 73 [7].

[1] Can. 9, Mansi, *Concilia,* t. XVIII, col. 67, exscripto a Gratiano, can. *Concedimus,* 30, dist. I, DE CONS.

[2] *Hist. Eccl. angl.,* lib. V, c. X; Migne, *P. L.,* t. XCV, col. 244.

[3] Hincmarus, *Capitulare,* III, c. III; Migne, *P. L.,* t. CXXV, col. 794.

[4] Duchesne, *Origines du culte chrétien,* c. V, § 2, n. 13, Paris, 1903, p. 158. — Hoc sacramentarium publici juris fecit Mabillonius, *Musæum italicum,* Lutetiæ Parisiorum, 1687, t. I, p. 278 sq.; postea idem ediderunt Muratori, *Liturgia romana vetus,* t. II, p. 775 sq.; — Migne, *P. L.,* t. LXXII, col. 451. — Neales et Forbes, *The ancient liturgy of the gallican Church,* p. 205.

[5] *Musæum italicum,* p. 361.

[6] Hoc sacramentarium, sub hoc titulo : *Libri tres Sacramentorum romanæ Ecclesiæ,* primum editum est a Thomasio, *Codices sacramentorum,* Romæ, 1680; codex editus, juxta Thomasium, est sæculi circiter VIII. — Vulgatum a Thomasio *Sacramentarium* de novo ediderunt Muratori, *Liturgia romana vetus,* t. I, p. 493; Migne, *P. L.,* t. LXXIV, col. 1049, et H. A. Wilson, Oxonii, 1894.

[7] Thomasius, *loc. cit.,* p. 235-236.

6° Demum *privilegio altaris portatilis* aucti fuerant tum *Episcopi*, ex c. *Quoniam*, 12, De privilegiis, — tum *Regulares*, uti constat, in genere, c. *In his*, 30, De privilegiis, in quo sic legimus : « ... Mirari compellimur, quod, cum *Fratribus Prædicatoribus et Minoribus duximus indulgendum, ut, ubicumque fuerint*, sine parochialis juris præjudicio, *cum altari valeant viatico celebrare*, quidam, nimis stricte interpretando indulgentiam nostram, nituntur asserere quod per eam prædicti Fratres præter Prælatorum assensum facere hoc non possint... Cum autem eis nihil conferret memorata indulgentia, sine qua id, Prælatis annuentibus, liceret eisdem, etc... » In hoc quidem capite non agitur nisi de Prædicatoribus et Minoribus; sed alii Regulares idem privilegium vel directe vel per communicationem privilegiorum impetrarunt [1].

3. — Potestas Episcoporum ante Tridentinum. — *Jure proprio*, poterant Episcopi, ante concilium Tridentinum, ex causa rationabili, cujus judices erant, permittere usum altaris portatilis. — Constat : 1. *Usu universali et constanti*, cujus supra plura exempla attulimus, ex conciliis Moguntino, an. 743; Parisiensi, an. 829; alio Moguntino, an. 888, etc...; imo Patres hujus ultimi concilii Moguntini clare sibi vindicant hanc potestatem : « Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, *vel ubi permiserit*, celebranda esse censemus [2]; » — 2. Ipso textu cit. c. *In his*, 30, De privilegiis, in quo Honorius III diserte asserit Episcopos posse concedere usum altaris portatilis, his verbis : « Sine qua (nostra indulgentia) *id, Prælatis annuentibus, liceret eisdem...;* » — 3. Ipsa vi et indole potestatis episcopalis, quæ ex se et potissimum complectitur omnia quæ spectant ad cultum divinum, nisi fiat a Rom. Pontifice aliqua reservatio aut restrictio; porro, in re de qua agimus, nempe quoad locum celebrationis missarum, nulla facta est

[1] Cf. apud Gatticum privilegia directe concessa pluribus ordinibus, c. VIII, p. 392 sq.

[2] Conc. Mog., c. IX (= c. *Missarum*, 12, dist. I, De consecr.); Mansi, *Concilia*, t. XVIII, col. 67.

restrictio episcopalis potestatis ante concilium Trid. — Nec dicas Bonifacium VIII, c. *Quamvis*, 12, De privilegiis, in VI, contulisse Episcopis usum altaris portatilis, quod supponit Episcopos ea de re omni potestate caruisse. Nam in præfato capite concessit quidem Bonifacius Episcopis usum altaris portatilis, sed præcipue pro locis extra eorum diœceses positis, uti constat, tum ex procemio capitis : « Quoniam Episcopi... se habent, diversis ex causis, *a suis ecclesiis et diœcesibus absentare* frequenter, etc...; » tum ex ultimis verbis : « Ubicumque *absque interdicti transgressione* illis permittitur celebrare, etc...; » porro Episcopi, in sua quisque diœcesi, non tenentur interdicto a se lato, ut patet. Ergo Bonifacius Episcopis contulit privilegium altaris viatici *ubicumque*, ne scilicet cogantur recurrere ad Ordinarios locorum, per quæ transeunt [1].

De decreto Tridentino, quod hac in parte restrinxit potestatem Episcoporum, dicitur statim.

§ 2. De celebratione extra ecclesias et oratoria ex necessitate.

4. — Potestas Episcopi, vi concilii Tridentini.

Propositio I. — Potestas permittendi missarum celebrationem extra ecclesias et oratoria Episcopis adempta fuit a concilio Tridentino, unique Romano Pontifici reservata. — Constat ipso textu concilii Trid., c. *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis... in celebratione missæ :* « Neve patiantur (Episcopi) *privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria,...* sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. » Et, in fine decreti, Episcopis datur potestas, ut, etiam ut delegati Sedis apostolicæ, ea omnia curent observari, « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus qui-

[1] Cf. Gatticum, *loc. cit.*, c. VII, n. 4-5, p. 389.

buscumque. » Ergo non amplius possunt Episcopi licentiam dare celebrandi missam extra ecclesias et oratoria; nam licentia quæ ab ipsis daretur celebrandi missam extra hæc loca, neutiquam stare posset cum præcepto, quod ipsis a concilio imponitur, ne scilicet id permittant aut patiantur.

5. — *Propositio II. — Attamen præfata potestas permittendi missæ celebrationem extra ecclesias et oratoria non fuit totaliter Episcopis adempta*, id est, etsi non possunt amplius Episcopi concedere hujusmodi celebrationem *per modum habitus*, id est, in perpetuum aut ad longissimum tempus, et hoc *arbitrio suo rationabili*, attamen possunt adhuc aliquando hanc celebrationem concedere *ex gravioribus causis*[1]. — Constat propositio :

1° *Ex fine concilii Trid.* Finis enim quem sibi proposuit concilium Tridentinum in præfato decreto fuit præsertim, ut patet toto decreto, *auferendi periculum irreverenter tractandi divina mysteria;* quod periculum frequenter aderat, ob nimiam facilitatem qua plures Episcopi licentiam celebrandi extra ecclesias et oratoria concedebant. Atqui finis ille sufficienter attingitur per mitiorem interpretationem decreti præfati, si Episcopus de facto non permittat hujusmodi celebrationem nisi in gravissimis casibus et debitis cautionibus adhibitis.

2° *Ex ipso tenore decreti Tridentini.* Quando legislator canonicus omnino supprimere intendit aliquam potestatem, seu aliqua privilegia, adhibere solet verba expressiora, clariora et severiora, ita ut nullum supersit dubium, nec ullus excipi possit casus; quod confirmari posset plurimis exemplis. Porro hic econtra concilium Tridentinum adhibuit formulam mitissimam, reverentia plenam, imo sub-

[1] Cf. Gatticum, *loc. cit.*, c. IX, n. 6-7, p. 398.

obscuram, ita ut, saltem initio, alii aliter eam intellexerint[1] : « *Neve patiantur Episcopi,* etc... » Ergo signum est concilium noluisse auferre totaliter Episcopis potestatem, de qua agimus. Unde, quod Episcopi possint aliquando, ex gravioribus causis, concedere præfatam celebrationem, non provenit tantum ex potestate dispensandi a jure communi, Episcopis in casibus urgentibus competente, sed etiam ex veteri eorum potestate, partim remanente, circa dictam celebrationem.

3° *Ex communi doctorum interpretatione.* Plurimi enim doctores notant a sacris canonibus permissam fuisse missarum celebrationem *in casu magnæ necessitatis;* ita can. *De ecclesiarum,* 1; can. *Sicut non alii,* 11, dist. I, De consecratione: adduntque concilium Tridentinum noluisse suo decreto complecti hunc casum magnæ necessitatis, sed tantum locutum fuisse de communi usu et modo celebrationis, extra urgentem necessitatem ; quod ad ejus finem assequendum sufficiebat. Ita Suarez, loco infra allegando. — Fatendum est illos canones esse apocryphos (utpote a Pseudo-Isidoro confictos); attamen, ob illorum insertionem in decreto Gratiani, et præsertim eorum disciplinæ vigenti, de qua supra, convenientiam, consuetudine paulatim invaluerunt. — Quidquid id est, præfatam decreti Trid. interpretationem communiter tradunt doctores, sive canonistæ, v. g., Gatticus, Benedictus XIV, Reiffenstuel[2], etc., sive theologi, v. g., S. Thomas, Suarez, S. Alphonsus[3], etc., et plurimi ab his et illis allegati.

[1] Cf. Pellizzarium, *Manuale Regularium,* tract. VIII, c. II, n. 86-87, Lugduni, 1665, t. II, p. 231.

[2] Gatticus, *loc. cit.,* c. IX, n. 6-7, p. 398; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 47, Lovanii, 1762, t. II, p. 68; — Reiff., in tit. *De celebratione missarum,* n. 12.

[3] S. Thom., pars III, q. LXXXIII, art. 3, ad 2; — Suarez, *In part. III D. Th.,* disp. LXXXI, sect. III, n. 3; — S. Alph., lib. VI, n. 356.

6. — Quæritur 1° *In quibusnam casibus possit adhuc Episcopus permittere, ut missæ celebratio fiat extra ecclesias et oratoria.*

Resp. : Deficiente authentica interpretatione quæ definiat quatenus adhuc pateat hac in re potestas Episcopi, recurrere cogimur ad usum, ad communem graviorum doctorum interpretationem, simul et ad can. *Concedimus*, 30, dist. I, De consecr., qui, licet sit concilii particularis nempe Moguntini, an. 888, can. 9), consuetudine tamen receptus est communiter, nec abrogatus est a conc. Trid., quod non respiciebat nisi communem usum celebrationis, ut dictum est. — Porro, his attentis, duo dicenda :

1° Quoad *casus*, Episcopus potest permittere celebrationem missæ extra ecclesias et oratoria :

a. Quando ecclesiæ sunt *dirutæ*, quocumque modo. Ita expresse in cit. can. *Concedimus*. Tunc Episcopus missam permittere potest in locis profanis, modo omnia sint honesta; item a fortiori posset eam permittere in oratoriis domesticis, sed *modo pateant omnibus.*

b. Quando ecclesia *nimis parva* est, ut, in festo solemniori, populum fidelem contineat, qui casus recidit in superiorem; in utroque enim *deficit* ecclesia. Tunc Episcopus permittere potest ut, ante fores ecclesiæ, missa celebretur in ara portatili.

c. Tempore *pestis;* qui etiam casus recidit in superiores; tunc enim deficiunt ecclesiæ, non quidem physice, sed *moraliter,* quatenus non possunt fieri in ecclesia, sine magno contagionis periculo, magnæ hominum coadunationes. — Quod idem dixerim de tempore terræmotus, inundationum, etc., quo ecclesiæ non possunt secure adiri, quia tunc etiam deficiunt *moraliter.*

d. In casu *itineris*, quando nempe sat multi itinerantur in locis, in quibus non sunt ecclesiæ. Qui casus expresse

cavetur in cit. can. *Concedimus*. Nihil autem refert, quod iter fiat per loca infidelium aut hæreticorum, vel per loca fidelium, si de facto desint ecclesiæ.

e. In *littore,* aut *prope portum,* in commodum navigantium, qui, ante vel post maritimum iter, alibi facile non possunt audire missam; hic casus recidit in proxime superiorem.

f. In *castris,* in commodum militum, aliorumque qui exercitum comitantur; valde enim esset difficile pluribus militum legionibus, ecclesias forte nec vicinas nec amplas adire [1].

Hæc omnia, quæ communiter traduntur a doctoribus (v. g., a doctoribus supra allegatis), palam faciunt, ut licita reddatur celebratio extra ecclesias et oratoria, præcipue, imo unice attendi *necessitatem,* et quidem, non unius aut paucorum, sed *sat multorum*.

2° Quoad *dies* celebrationis. Certum est Episcopum, præfatis in casibus, permittere posse dictam celebrationem diebus *dominicis* aut *festis de præcepto;* de quo nulla potest esse difficultas, quia tunc maxime necessaria est auditio missæ. — Num autem permittere possit celebrationem diebus ferialibus, non ita clarum est. Attamen, ex communi doctrina (vide alleg. doctores) et ex usu, permittere potest etiam his diebus, quando gravia quædam adjuncta missæ celebrationem reddunt aliquo modo necessariam, v. g., ante periculosam vel post longam navigationem, ante imminens prælium, etc.

7. — **Quæritur 2°** *Num, in præfatis casibus, petenda sit Episcopi licentia?*

Resp.: 1° Non conveniunt doctores; alii non requirunt

[1] Privilegia quæ Sancta Sedes concessit capellanis militum quoad celebrationem in castris, non tollunt nec minuunt potestatem Episcoporum.

Episcopi licentiam, nisi *ex decentia*, v. g., Reiffenstuel, Quarti, etc.[1]; alii requirunt Episcopi licentiam *de præcepto*, v. g., D. Thomas, S. Antoninus, Suarez, S. Alph., Gatticus, card. Petra, etc.[2].

2° Probabilius est *requiri licentiam Episcopi de præcepto*, præcipue propter duo : 1. Can. *Missarum solemnia*, 9, conc. Moguntini[3] (= can. *Missarum*, 12, dist. I, De cons.) requirit licentiam Episcopi : « Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel *ubi permiserit*, celebranda esse censemus. » Hic autem canon, uti jam diximus, licet non sit nisi concilii particularis, consuetudine passim invaluit. — 2. Concilium Tridentinum, cit. decreto *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis*, etc., totum negotium de celebratione missarum extra ecclesias et oratoria remittit curæ Episcopi, his verbis allegatis : « Neve patiantur (Episcopi), etc. » Ergo, si quis putet in aliquo casu missam celebrandam esse extra ecclesias et oratoria, rem deferre tenetur Episcopo, cui hæc tota cura commissa est; quod maxime conforme est antiquæ disciplinæ, vi cujus nulla missa celebrari poterat, nisi de licentia Episcopi, uti jam dicebat, an. 107, S. Ignatius, *Ad Smyrnæos*, c. VIII, n. 1[4]. — Nec dicas, cum Reiffenstuel, *loc. cit.*, c. *De ecclesiarum*, 1, et c. *Sicut*, 11, dist. I, De consecr., nullam mentionem facere licentiæ episcopalis. Nam, ut jam dictum est, hi canones sunt apocryphi, a Pseudo-Isidoro conficti; cæterum alius canon pariter apocryphus, et

[1] Reiffenstuel, *loc. cit.*; — Quarti, *Rubricæ missalis*, pars III, tit. x, n. 1, sect. I, dub. 5, Venetiis, 1727, p. 383. Hic tamen requirit licentiam, quando necessitas non est adeo manifesta.

[2] D. Thomas, *loc. cit.*; — S. Antoninus, *Summa*, pars III, tit. XIII, § 4; — Suarez, *loc. cit.*, n. 4; — S. Alph., *loc. cit.*; — Gatticus, c. IX, n. 8-11; — C. Petra, *In const. VIII Honorii III*, n. 12, Venetiis, 1741, t. II, p. 265.

[3] An. 888, Mansi, t. XVIII, col. 67.

[4] *Opera Patrum apostolicorum*, ed. Funk, Tubingæ, 1881, p. 241.

ab eodem Pseudo-Isidoro confictus, nempe can. *Hic ergo*, 14, dist. I, De consec., requirit hanc licentiam.

3° Excepcrim a petendæ licentiæ necessitate tres casus : 1. Si adsit in contrarium legitima consuetudo; — 2. Si câsus ita urgens sit, ut nullam moram patiatur, nec proinde possit peti licentia; — 3. Si agatur de loco, inter infideles aut hæreticos, qui nulli subjectus sit Episcopo. Ita etiam Gatticus [1], et ratio patet.

§ 3. De privilegio altaris portatilis.

8. — Cardinales et Episcopi. — Hi fruuntur privilegio altaris portatilis; de quo specialiter agetur in *Prælectionibus de Episcopis*, et in *Prælectionibus de Cardinalibus.*

9. — Regulares. — De Regularibus hæc dicenda :

1° *Regulares, ante concilium Trid., fruebantur privilegio altaris portatilis.* — Constat c. *In his,* 30, De privilegiis, supra (n. **2, 6°**) relato; in hoc quidem capite, non agitur nisi de *Prædicatoribus* et *Minoribus;* sed plures alii Ordines *directe* idem privilegium a Rom. Pontificibus impetraverunt [2]; alii vero idem obtinuerunt indirecte, nempe vi communicationis privilegiorum.

2° *Concilium Tridentinum omnino abrogavit hoc privilegium Regularium.* — Constat :

a. Ipso textu concilii supra (n. **4**) relato : « Neve patiantur (Episcopi), etc., » in quo præceptum imponitur Episcopis, *ne amplius sinant Regulares celebrare missam extra ecclesias et oratoria;* imo concilium clausulam addit, paulo infra : « Non obstantibus *privilegiis,* exemptionibus,

[1] *Loc. cit.*, n. 12.
[2] De his cf. Gatticum, c. VIII.

appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. » Ergo Regulares jus amplius non habent celebrandi extra ecclesias et oratoria; si enim illud jus adhuc haberent, Episcopi *possent*, imo *deberent* sinere eos sic celebrare. Unde clarissima est dispositio. — Nec dicas, cum quibusdam[1], hic agi de privilegio *clauso in Corpore Juris*, et proinde hoc privilegium non revocari per clausulam generaliter tantum privilegia revocantem. — Nam econtra facilius derogatur privilegiis *clausis in Corpore Juris*, quam aliis[2]; hæc enim sunt *facta*, illa *jura;* porro, juxta c. *Licet*, 1, De const., in VI, ad revocandam priorem legem, sufficit lex contraria posterior, etiam sine mentione prioris; ergo, etiamsi conc. Trid. non addidisset præfatam clausulam, sufficienter derogasset privilegio Regularium *clauso in Corpore Juris;* ergo dubitari nequit de revocatione dicti privilegii[3].

b. Clementis XI decreto *Quoniam sancta*, 15 dec. 1703[4], in quo hæc leguntur : « Quo vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis[5], censuit, licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in c. *In his*, De privilegiis, ac per aliquos summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis in quibus degunt, *omnino revocata esse per idem conc. Trid.*, etc. » Unde hodie de hac revocatione concordant omnes.

[1] Quorum nomina refert Reiffenstuel, in tit. *De celebratione missarum*, n. 5.

[2] De quo cf. Fagnan, in c. *Nonnulli* (28, *De rescriptis*), n. 38, sq. Revera, ut hic ostendit, pluries concilium Trid. abrogavit privilegia *clausa in Corpore Juris*, nulla facta de his mentione.

[3] Cf. etiam Bened. XIV, encycl. *Magno*, 2 junii 1751, §§ 29-30 (*Bull. bened.*, t. III, n. 48).

[4] Hoc videas in calce prædictæ encycl. *Magno;* vel apud Reiff., *loc. cit.*, n. 5.

[5] Quas videas apud Petra, *In const. II Urbani V*, n. 12-14, Venetiis, 1741, t. IV, p. 146.

3° *Plures Ordines regulares, post conc. Trid., idem privilegium, saltem ex parte, impetrarunt.* — Sic :

a. Patres Societatis Jesu, Gregorii XIII brevi *Usum*, 1 oct. 1579[1], privilegium impetrarunt, « ut *inter missiones, quæ a superioribus fiunt,* presbyteri (hujus Societ.) ... *missæ sacrificium licite valeant celebrare super hujusmodi altare* (portatile) *ubique gentium.* » Unde restrictum est hoc indultum ad loca missionum. Non est dubium idem privilegium pertinere ad omnes alios Ordines *mendicantes*, quia, ut alibi dictum est, Ordines mendicantes (e quibus Societas Jesu) habent inter se plenissimam privilegiorum communicationem.

b. Fratres Prædicatores ab eodem Gregorio XIII, brevi *Cum sicut*, 20 junii 1580[2], privilegium impetraverunt, ut, in regno Poloniæ, pro locis in quibus ecclesiæ desunt, vel hæretici catholicos opprimunt, super altari portatili, in casibus necessitatis tantum, celebrare valeant.

10. — Missionarii. — Sæpissime missionarii, in locis missionum, fruuntur privilegio altaris portatilis, vi *Facultatum* a S. Cong. de Prop. Fide delegatarum. Sic enim fert *formula I,* n. 23 : « Celebrandi... per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro, *et sub dio, et sub terra,* in loco tamen decenti, etc.[3]. » Quæ facultas communicatur etiam Regularibus, in locis missionum.

11. — Protonotarii, Auditores Rotæ.

1° Protonotarii *participantes* habent usum altaris portatilis, — non vero Protonotarii *ad instar,* nec a fortiori

[1] *Bull. rom.*, t. IV, pars III, p. 416; — cf. *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 68, 270.

[2] *Bull. Prædicatorum,* Romæ, 1739, t. VII, p. 192; cf. t. VIII, p. 313. — Hoc privilegium memorat Benedictus XIV, in cit. encycl. *Magno,* § 32.

[3] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* Romæ, 1893, p. 306 (nota).

Protonotarii *titulares* seu *honorarii*. De quibus suis locis.

2° Auditores Rotæ fruuntur privilegio altaris portatilis. De quibus suo loco.

§ 4. De celebratione in mari.

12. — Celebratio in navi. — *Illicita est celebratio in mari sine indulto apostolico.* — Hæc propositio est contra plures qui tenent hanc celebrationem esse licitam, modo tamen nullum adsit irreverentiæ periculum, v. g., Major, Quarti, Fagundez, etc.[1]. Hic ait : « *Hodie id licet introductumque est*, quod fieri potest citra omne periculum effusionis Sanguinis, si adsit alius Sacerdos, qui consecratum calicem manu firmet, ne cadat. » Quarti hoc docet tantum ut *probabilius*.

Ad demonstrandam propositionem, sufficiat afferre unum argumentum « exclusis aliis quæ minus efficacia videntur »[2]: Quum conc. Trid., decreto sæpe allegato *Neve patiantur*, etc., prohibeat celebrationem missarum extra ecclesias et oratoria, celebratio maritima licita fieri nequit *nisi ratione necessitatis multorum*, nempe *ratione itineris in locis in quibus desunt ecclesiæ*, ut dictum est supra (n. 6), ad normam can. *Concedimus*, 30, dist. I, De consecr.; brevius, celebratio maritima non licet, nisi quatenus ei applicatur can. *Concedimus*, cui canoni concilium Trid. non derogasse censetur. Atqui nunquam hic canon applicatus fuit celebrationi maritimæ ante conc. Trid.: constat ex paucitate exemplorum hujusmodi celebrationis, ab historicis relato-

[1] Major, *In IV Sent.*, dist. XIII, q. IV; — Fagundez, *In quinque Eccl. præcepta*, præcept. 1, lib. III, c. X, n. 15, Lugduni, 1626, p. 182; — Quarti, *In rubricas missalis*, pars III, tit. X, n. 1, sect. I, dub. 6, Venetiis, 1727, p. 383.

[2] Quæ videas, si lubet, apud Gatticum, c. XI, n. 7 sq.

rum; vix enim quatuor aut quinque exempla *certa* narrantur[1]; unde et *Sacerdotale romanum,* quasi testis hujus consuetudinis, ait : « *In loco fluctuanti, ut in mari,* vel fluminibus, *celebrare* non licet alicui[2]; » et auctores qui præfatum canonem *Concedimus* exponunt, extendunt quidem illum ad casus supra (n. 6) descriptos, non vero ad maritimam celebrationem. Unde etiam, quasi ad solatium pro defectu missæ in navibus, introductus est usus missæ *siccæ* (id est, absque consecratione)[3], quæ ideo missa *nautica* dicebatur. — Nec dicas canonem *Concedimus* ideo non fuisse applicatum celebrationi maritimæ ante concilium Trid., quia tunc vix abesse poterat in navibus periculum effusionis pretiosissimi Sanguinis, nunc vero, judicio peritissimorum, hoc periculum sæpe abesse, et ideo locum esse can. *Concedimus*. Respondeo enim etiam ante concilium Trid. in magnis illis navibus quæ solvebant in Indias orientales et paulo serius in Americam, sæpe etiam abfuisse periculum effusionis, saltem ad tempus celebrationi missæ sufficiens, et tamen Episcopos et Sacerdotes hujus temporis nunquam censuisse etiam tunc applicari posse can. *Concedimus*[4]. Si ergo ante concilium Trid. non applicabatur iste canon, a fortiori applicari nequit post illud concilium, quod severiorem induxit disciplinam circa celebrationem extra ecclesias et oratoria.

Ergo ad celebrandum in mari, requiritur *indultum apo-*

[1] Missam in mari celebrasse narrantur : 1. Petrus Delfinus, monachus camaldulensis, Generalis sui ordinis, de quo Martène, *Veterum scriptorum amplissima collectio,* Parisiis, 1724, t. III, p. 1224; — 2. Quidam Frater *O. P.,* de quo Matthæus Paris, *Historia major,* ad an. 1247, Londini, 1640, t. II, p. 731; — 3. S. Vulframnus, de quo Jonas monachus, *Vita S. Vulframni,* c. V (versio gallica, Abbeville, 1843, p. 27-31).— Cf. Gatticum, c. XI, n. 15-16, p. 422.

[2] C. XLVII, Venetiis, 1523.

[3] Gatticus, c. XI, n. 17.

[4] Gatticus, *ib.,* n. 18.

stolicum; nec etiam, ut recte advertit Benedictus XIV [1], ad hoc sufficit privilegium aut indultum altaris portatilis, quia nempe in hoc ultimo indulto nunquam putata fuit comprehensa facultas celebrandi in mari. — Confirmatur nostra conclusio responsione S. Rit. Congr., in *Vicen.*, 4 martii 1901, in qua rescripsit licentiam celebrandi in navi non posse concedi ab Episcopo proprio cujusque Sacerdotis, nec ab episcopo diœcesis, e qua solvit navis, nec etiam hanc licentiam comprehendi in indulto altaris portatilis [2].

Nostram propositionem docent communiter doctores, præsertim sæculis XVIII et XIX, v. g., Pignatelli, Suarez, Petra, Meratus, S. Alph., Benedictus XIV, Gatticus, et omnes fere recentiores, v. g., Gasparri [3].

Exceperim tantum casum legitimæ et bene demonstratæ consuetudinis : quod per se patet; et ita etiam ipse Gatticus [4], et forsan de hoc tantum casu loquitur Fagundez, supra allegatus, ubi dicit : « Hodie id licet, *introductumque* est... [5]. »

[1] *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 51, t. II, p. 75.

[2] *Acta S. Sedis,* t. XXXIII, p. 679.

[3] Pignatelli, *Consultationes can.,* t. VIII, Coloniæ Allobrogum, 1717, consult. 124, p. 209; — Suarez, *In part. III D. Th.,* disp. LXXXI, sect. III, n. 4; — Petra, *In Const. II Urbani V,* n. 26 sq., Venetiis, 1741, t. IV, p. 148; — Meratus, *In Gavantum,* pars I, tit. XX, n. 10, Augustæ Vindelicorum, 1740, p. 172-173; — S. Alph., lib. VI, n. 356; — Bened. XIV, *loc. cit.;* — Gatticus, c. XI; — Gasparri, *De Eucharistia,* n. 277, Parisiis, 1897, t. I, p. 197.

[4] Gatticus, c. XI, n. 9, p. 419.

[5] S. Congregatio de Propaganda Fide edidit, pro missionariis, die 1 martii 1902, *decretum* de cavendis periculis in celebratione maritima; quod habes ad calcem hujus voluminis, *Documentum V.*

CAPUT II

DE TEMPORE CELEBRATIONIS MISSÆ

§ 1. De diebus in quibus celebrari potest missa.

I. Notitiæ historicæ

13. — Disciplina antiqua. - Primis Ecclesiæ sæculis rarius quam hodie missæ sacrificium offerebatur :

1° Initio, unus tantum dies *liturgiæ* seu sacrificii memoratur, nempe prima dies hebdomadis, seu dies dominica; *Act.*, xx, 7; S. Justinus, *Apologia I*, n. 67, ubi legimus : « Ac *solis*, ut dicitur, *die*, omnium sive urbes sive agros incolentium, in eumdem locum fit conventus... ; *panis affertur, et vinum, et aqua, et qui præest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit*, et populus acclamat : Amen ; et *eorum in quibus gratiæ actæ sunt, distributio fit et communicatio unicuique præsentium et absentibus per diaconos mittitur... Die* autem *solis* omnes simul convenimus, tum quia prima hæc dies est, qua Deus... mundum creavit, tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit [1]. » Similiter et in *Doctrina duodecim apostolorum*, c. xiv, n. 1 : « *Die dominica* autem *convenientes, frangite panem,*

[1] Migne, *P. G.*, t. vi, col. 429. — Plinius, *Epist.*, lib. X, ep. xcvii (ed. Lemaire, t. ii, p. 197), ait hunc conventum christianorum fieri *stato die*, ante lucem.

et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum *sacrificium vestrum* [1]. »

2° Mox autem feria IV et feria VI fiunt etiam dies *liturgici*, quia his diebus, etiam in primo sæculo, instituta sunt *jejunia* cum *stationibus* [2], quibus addita est sacra liturgia. Sacram liturgiam celebratam fuisse his diebus, saltem in Africa, testis est Tertullianus, *De oratione*, c. XIX : « Similiter, et stationum diebus, non putant plerique *sacrificiorum orationibus interveniendum*, quod statio solvenda sit, *accepto corpore Domini* [3]; » quod supponit omnino sacrificium his diebus fuisse celebratum, licet multi non vellent communicare, ne solveretur jejunium; quod deinde graviter reprehendit Tertullianus. — Quam hoc fuerit antiquum, ostendit S. Epiphanius, hanc institutionem referens ad apostolos, *Expositio fidei*, n. 22 : « Sacri porro conventus et synaxes *ab apostolis instituti sunt* his potissimum diebus, *quarta* et *sexta feria* et *dominica* [4]. » — Alicubi tamen, nempe Alexandriæ, his diebus, nempe feria quarta, et sexta, conventus erat, non vero liturgia, ex expresso Socratis testimonio [5].

3° Postea tribus supra diebus in ecclesiis orientalibus additum est sabbatum, ita ut quatuor essent ibi per hebdomadam dies *liturgici :* cujus rei testes sunt : 1. S. Basilius, *Epist.*, XCIII, *Ad Cæsaream Patriciam :* « Nos quidem *quater singulis hebdomadibus* communicamus, *dominica die, quarta die, in parasceve*, et *sabbato*, et *aliis diebus, si sancti alicujus memoria recolatur* [6]; » — 2. Socrates, *loc. cit.*, qui ait : « Cum *omnes ubique terrarum ecclesiæ per singulas hebdomadas die sabbati sacra mysteria celebrent*, Alexandrini tamen et Romani, vetustam

[1] Ed. Funk, Tubingæ, 1887, p. 43.

[2] Hæc jejunia memorant *Doctrina duodecim apostolorum*, VIII, 1, ed. Funk, Tubingæ, 1887, p. 23; — Hermæ *Pastor*, Simil. V, n. 1, ed. Funk, Tubingæ, 1881, p. 449; — Tertullianus, *De jejuniis*, c. II, XIV; Migne, *P. L.*, t. II, col. 956, 973; — *Const. apost.*, lib. V, c. XX; lib. VII, c. XXIII; Migne, *P. G.*, t. I, col. 903, 1014.

[3] Migne, *P. L.*, t. I, col. 1181.

[4] Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 825.

[5] Socrates, *H. E.*, lib. V, c. XXII; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 638.

[6] Migne, *P. G.*, t. XXXII, col. 484.

quamdam traditionem secuti, id facere detrectant[1]; » — 3. Sozomenus, qui eadem omnino tradit, tum de usu fere universali, tum de exceptione apud Romanos et Alexandrinos[2]; — 4. *Testamentum D. N. J. C.*, quod dies liturgicos memorat sabbatum, diem dominicam, et dies jejunii[3]. — At vero, in ecclesia Romana, et in Alexandrina, quæ romanam consuetudinem solebat æmulari, sabbati dies erat *aliturgica*. Celebre est hac in re testimonium Innocentii I (401-417), in *Epist.*, XXV, *Ad Decentium*, n. 7 : « Sabbato vero jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat... Nam utique constat apostolos biduo isto (nempe feria sexta et sabbato ante resurrectionem Domini) et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, *ut traditio Ecclesiæ habeat biduo isto sacramenta penitus non celebrari. Quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius* (sabbati) *semper est celebranda*[4]. » Hæc quidam *forma* sabbati quæ, juxta Innocentium, per singulas tenenda est hebdomadas, respicit primo et principaliter jejunium, de quo consultus fuerat Pontifex[5], sed complecti videtur etiam prætermissionem missæ : quod aliunde certum fit ex clarissimis testimoniis Socratis et Sozomeni supra relatis. — Nec obstat S. Hieronymus, qui, *Epist.*, LXXI, *Ad Lucinium*, n. 6, ait : « De sabbato quod quæris, utrum jejunandum sit, et de *eucharistia, an accipienda quotidie*, quod Romana Ecclesia et Hispaniæ observare perhibentur[6]. » Nam responderi potest accipi posse eucharistiam *præconsecratam*, vel verbum *quotidie* sumendum esse *moraliter*, ut sæpe fit in usu rerum.

[1] Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 635.

[2] *H. E.*, lib. VII, c. XIX; Migne, *P. G.*, t. LXVII, col. 1478. — De prohibitione liturgiæ, quibusdam in locis, die sabbati, testis est etiam Epiphanius, *Expositio fidei*, n. 24; Migne, *P. G.*, t. XLII, col. 831.

[3] Ed. Rahmani, Moguntiæ, 1899, p. 35; cf. p. 199, 204.

[4] Migne, *P. L.*, t. XX, col. 555.

[5] Cf. Coustant, *Nota* in hunc locum Innocentii, apud Migne, *loc. cit.*, col. 556, nota *d*.

[6] Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 672. — Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1903, p. 228-232.

4° Imo, singulis diebus, quarto sæculo exeunte, saltem multis in locis, liturgia celebrata fuit. Sic : 1. In *Hispania*, ut constat concilio Toletano I (an. 398), can. 5 : « Presbyter..., si intra civitatem fuerit, ... et ad ecclesiam *ad sacrificium quotidianum* non venerit, clericus non habeatur, etc. [1]; » — 2. In *Africa*, teste Augustino, qui, in *Epist.*, XCVIII, *Ad Bonifacium*, n. 9, ait : « Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen, in sacramento, non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed *omni die populis immolatur* [2] ? » — 3. *Constantinopoli*, ex testimonio S. Joannis Chrysostomi, qui, *Homil.*, III, *In epist. ad Eph.*, n. 4, ait : « Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari, etc., » et n. 5 : « Venit *quotidie* (Christus) ut videat accumbentes, omnes alloquitur : Amici, quomodo hic statis non habentes vestem nuptialem [3] ? » — 5. In *Cappadocia*, ut supponere videtur Basilius, qui, *loco cit.*, paulo ante verba relata, dixerat : « *Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi*, bonum est et perutile ; » — 5. Forsan etiam Mediolani, dicente Ambrosio [4] : « Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat (diabolus) eripere, *pro quibus ego quotidie instauro sacrificium* [5]. »

5° Attamen, eodem tempore, nempe sæculo IV, in pluribus locis, v. g., Alexandriæ (ex textibus relatis), nonnisi dominica die, aut duabus diebus in hebdomada, liturgia celebrabatur. Item Romæ, ut dictum est, celebratio quotidiana nondum vigebat. Hinc illa varietas quam notat Augustinus, *Epist.*, LIV, *Ad Januarium*, n. 2 : « Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant sabbato, alii non ; ... *alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 204.

[2] Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 363 ; — ita etiam Augustini *Serm.*, LVIII, n. 12, t. XXXVIII, pars 1, col. 399.

[3] Migne, *P. G.*, t. LXII, col. 29.

[4] *Epist.*, XX, *Ad Marcellinam sororem*, n. 15 ; Migne, *P. L.*, t. XVI, col. 998.

[5] Non tamen urgendi sunt hi textus, tum quia, ut jam dictum est, verbum *quotidie* sumi debet moraliter, tum quia agi potest de missis *privatis*, quæ paulatim introductæ erant etiam his diebus, quibus non erat missa *publica*, seu *synaxis*.

dominico, alibi tantum dominico[1]. » Paulatim tamen consuetudo celebrandi quotidie totum orbem invasit, ut constat antiquis Liturgiis et Sacramentariis[2]. Hinc can. *Visum*, 72, dist. I, De consecr. : « *Nulla dies excipi debet*, quin pro animabus fidelium preces Domino missarum solemnibus fundantur[3]. » Cui concinit can. *Iteratur*, 71, dist. II, De consecr. : « Quia quotidie labimur, *quotidie Christus pro nobis mystice immolatur.* »

II. Disciplina hodierna in ritu latino

In ritu latino, omnes dies anni sunt *liturgici*, præter *feriam VI in Parasceve* et cum quibusdam restrictionibus quoad *feriam V in Cœna Domini*, et *sabbatum sanctum.*

14. — Feria VI in Parasceve. — Hæc feria *sola dies est in qua nullo modo liceat celebrare.* — Hoc provenit ex antiquissima traditione ; nam Innocentius I († 401-417), cit. *Epist.*, xxv, *Ad Decentium*, n. 7, loquens de biduo ante resurrectionem Domini, ait : « Utique constat apostolos biduo isto et in mœrore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut *traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari*[4]. » — Hujus traditionis dat rationem D. Thomas : « Veniente veritate, cessat figura... ; et ideo in die quo ipsa passio

[1] Migne, *P. L.*, t. xxxiii, col. 200.

[2] De his cf. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. iii, art. 3, n. 1-4, p. 102-103; — Duchesne, *Origines du culte chrétien*, c. viii, § 1, Paris, 1903, p. 229 sq.

[3] Ex concilio Cabilonensi, an. 813; Mansi, t. xiv, col. 101.

[4] Migne, *P. L.*, t. xx, col. 555. — Locus relatus insertus est decreto Gratiani, c. *Sabbato*, 13, dist. III, De consecr.

dominica recolitur prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti [1]. » Unde

Quæritur quid faciendum quando in hanc feriam VI in Parasceve incidit aliquod festum *de præcepto*, v. g., festum patroni. — Respondeo :

1° Quando festum aliquod *de præcepto* impeditur, die quo incidit, alio festo digniori vel privilegiato, transfertur quidem *officium* cum *missa* (quæ est pars officii), non vero *feriatio*, nempe obligatio pro fidelibus audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus ; sed hæc feriatio remanet affixa diei incidentiæ. Hæc est regula generalis, consuetudini universali innixa [2], quam inculcant, supponunt aut applicant plurima decreta S. Rit. Congr., quorum plures mox referentur. Translatio enim officii est res mere rubricalis, variabilis, qua mutari nequeunt mores et instituta populi. Unde, si quod festum *de præcepto* incidat in feriam VI in Parasceve, *officium* quidem cum *missa* transfertur ad diem liberam juxta rubricas; sed, *nisi privilegium aliquod concedatur*, feriatio remanet affixa huic feriæ VI; proinde fideles hac feria tenebuntur abstinere a servilibus; quum autem hac die nulla *vera missa* celebratur, nulla erit ex hac parte obligatio. Ita S. Rit. Cong., in *Monopolitana*, 20 martii 1706 [3], et in *Barcinonen.*, 10 dec. 1733 [4].

2° Si agatur de festo Annuntiationis B. M. V., aliter se res habet; huic enim festo singulare concessum est privilegium, ut *totum festum*, nempe *officium* cum missa, et ipsa *feriatio*, transferatur. Hoc privilegium primo conces-

[1] Pars III, q. LXXXIII, art. 2, ad 2.

[2] Cf. Cavalieri, *Opera omnia liturgica*, c. XIII, decret. 13, n. 4, Augustæ Vindelicorum, 1764, t. II, p. 17.

[3] *Decreta authentica*, n. 2161, Romæ, 1898, t. II, p. 1.

[4] *Ibid.*, n. 2305, t. II, p. 51.

sum est decreto S. Rit. Congr., 11 martii 1690[1], quod innovatum et ampliatum est *decreto generali*, 25 apr. 1895, in quo legimus : « ... Cæterum, quotiescumque vel feria VI in Parasceve, vel sabbato sancto hoc festum impediatur, toties feria II post dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea, reponatur : in qua *integra cum solemnitate et feriatione*, et sine octava, prouti die 25 martii, celebrabitur[2]. » — Hoc privilegium huic festo fuisse concessum propter propriam excellentiam, non est dubium, et tradunt communiter liturgistæ, ex alio decreto ejusdem Cong., 14 junii 1692[3]; unde deducunt non posse hoc privilegium extendi ad aliud festum[4].

15. — Feria V in Cœna Domini. — Hac feria celebrari quidem potest missa, non tamen quælibet missa, nec in quibuslibet ecclesiis, juxta hæc quæ sequuntur :

1° *In genere*, præter missam solemnem, quæ ad normam *Cæremonialis episcoporum* aut saltem *Memorialis rituum* Benedicti XIII, celebratur in ecclesiis collegiatis aut parochialibus, ut infra dicetur, *quælibet missa privata aut lecta prohibetur*, hac feria, *in quibuscumque ecclesiis aut oratoriis tam publicis quam privatis*. — Constat, quidquid dixerunt olim plures, et quidem gravissimi, doctores[5] :

a. Clementis XI *decreto*, 15 martii 1712[6], in quo, postquam prohibuit feria VI in Parasceve quamlibet mis-

[1] Gardellini, n. 3055, ed. 1825, t. III, p. 165.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXVIII, p. 57.

[3] Cavalieri, *loc. cit.*, decret. 14, n. 7, p. 19; — Merati, *In Gavantum*, pars IV, tit. IX, n. 77, Augustæ Vindelicorum, 1740, t. I, p. 602.

[4] Festum S. Joseph, die 19 martii occurrens, nunquam incidere potest post feriam V *in Cœna Domini*.

[5] Quorum nomina recenset Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 22, Lovanii, 1762, p. 36.

[6] In *Bullario* Clementis XI, pars II, n. 17.

sam vel privatam vel solemnem, addit : « Postremo Sanctitas Sua declarat hac interdictione, quæ feriæ sextæ ratione facta est, *haud permittere*, ut feria quinta ac sabbato ejusdem majoris hebdomadæ *sacra privatim instituantur*, *sed conventuale solummodo*, juxta ritum S. Ecclesiæ, et plura decreta Sacrorum Rituum Congregationis [1]. »

b. Pluribus decretis S. Rit. Congr., quæ duos casus complectuntur, nempe casum ecclesiarum, in quibus jam celebratur missa solemnis, et casum ecclesiarum seu oratoriorum, in quibus, v. g., defectu ministrorum, celebrari nequit hæc missa solemnis. Porro in utroque casu, S. Rit. Congregatio omnino prohibet missas *privatas* seu *lectas* (exceptis paucis casibus, de quibus infra). — Sic in *Florentina*, 19 dec. 1654; — in *Veneta*, 20 martii 1762; — in *Conchen.*, 22 dec. 1770; — in una *Urbis*, 28 mart. 1775; — in una *Tertii ordinis S. Francisci*, 31 aug. 1839, ad 1 [2]. — Unde de prohibitione non potest esse difficultas, nec probabilis est opinio contraria. — Adsunt tamen aliquot exceptiones, de quibus in specie dicetur, juxta varias ecclesias.

2° In *ecclesiis cathedralibus et collegiatis*, celebratur sola missa conventualis, juxta *Cæremoniale episcoporum*, lib. II, c. XXIII. In hac autem missa celebrans, juxta idem *Cæremoniale*, n. 6, « communicat primum diaconum et subdiaconum, deinde *omnes canonicos paratos*, *et alios sacerdotes de ecclesia.* » — Cujus ratio est, juxta Benedictum XIV, *Instit.*, XXXVIII, n. 5, recordatio Christi Domini hac die instituentis sacra mysteria, et tradentis ea omnibus discipulis suis [3]. Attamen, si qui canonici sint epi-

[1] Hæc verba exscripsit Benedictus XIV, *Inst.*, XXXVIII, n. 9.

[2] *Decreta authentica*, n. 980, Romæ, 1898, t. I, p. 209; n. 2465, t. II, p. 123; n. 2489, t. II, p. 132; n. 2503, t. II, p. 137; n. 2799, t. II, p. 288.

[3] Ita etiam S. Rit. Congr., in *Civitaten.*, 27 sept. 1608 (relata apud *Decreta authentica*, sub n. 2489, in *Conchen.*, t. II, p. 132).

scopali caractere insigniti, hi possunt privatim celebrare, juxta eumdem Benedictum, ibi, n. 4, dicentem : « Qui vero episcopali honore fulgent, et ad chorum suis insignibus ornati conveniunt, habita dignitatis ratione, in *domesticis et privatis,* vel in *clausis sacrarii sacellis,* eo die rem divinam conficiunt; » quod a fortiori dicendum est de episcopo qui hoc die sacrum chrisma non conficiat.

3° In *ecclesiis Regularium choro adstrictorum,* idem prorsus dicendum ac in ecclesiis cathedralibus et collegiatis; habent enim hi Regulares missam *conventualem*, quæ iisdem legibus regitur ac missa conventualis cathedralium. — Imo, id extendi debet ad ecclesias *quorumlibet Regularium;* quum enim hi sint exempti a jurisdictione parochorum, eorum ecclesiæ habentur uti parochiales ad effectum de quo agimus. — Moniales autem regularium censu habentur. — Quod si, defectu ministrorum aut alia de causa, missa solemnis, ad normam *Cæremonialis episcoporum,* celebrari nequeat in aliqua ecclesia regularium, tunc celebrari potest missa *lecta*, ex S. Rit. Congr., in una *Tertii ordinis S. Francisci,* 31 aug. 1839 : « Superior celebret in *privato oratorio* ad ministrandam religiosis communionem; et *si desit oratorium,* fiat *in ecclesia, januis clausis*[1]. »

4° In *ecclesiis parochialibus,* celebratur etiam missa *solemnis* ad præscriptum *Missalis romani;* hæc enim missa habetur ad instar *conventualis;* imo, juxta S. Rit. Congr. decretum *Urbis et Orbis,* 10 dec. 1703, ad 8, « celebratio missæ solemnis feria V in Cœna Domini *spectat ad parochos*[2]. » — Quod si, defectu ministrorum, celebrari nequeat missa solemnis, nempe cum

[1] *Decreta authentica*, n. 2799, ad 2, Romæ, 1898, t. II, p. 288.
[2] *Ibid.*, n. 2123, t. I, p. 473.

diacono et subdiacono, et aliis solemnitatibus, tunc hæc dicenda :

a. Celebrari debet missa cantata, cum tribus quatuorve clericis, juxta *Memoriale rituum*, quod ad hunc præcise finem edidit Benedictus XIII, ut consuleret minoribus ecclesiis parochialibus, sufficienti numero ministrorum destitutis. Quod *Memoriale*, primo editum, anno 1725, pro ecclesiis urbis Romæ[1], jurisprudentia S. Rit. Congr. extensum est ad universam Ecclesiam[2].

b. Quod si non possint haberi tres quatuorve clerici, tunc, juxta receptam consuetudinem, ad hoc instituantur tres quatuorve pueri aut juvenes, qui locum clericorum teneant, et quorum auxilio parochus procedat juxta dictum *Memoriale*[3]. Quod concluditur etiam ex decreto S. Rit. Congr., in *Tuden.*, ad 1, ubi parochus solus omnino est in sua parochia, et tamen procedere jubetur juxta *Memoriale*[4].

c. Quod si nec isto modo res agi possint, tunc parochus potest celebrare missam *lectam* (vel, si velit, *cantatam*) ad normam decreti S. Rit. Congr., in una *Resolutionis dubiorum*, 28 julii 1821, ad 1 (a Pio VII confirmati, 31 julii 1821) : « Mens est ut locorum Ordinarii..., quoad alias parœcias quæ clericis destituuntur, indulgere valeant, ob populi commoditatem, ut parochi, *petita quotannis venia*, feria V in Cœna Domini, *Missam lectam celebrare*

[1] Cf. *Monitum* primæ editioni præmissum; cf. etiam secundam ed., Romæ, 1822, p. 4-6.

[2] Cf. Decreta S. Rit. Congr., in una *Resolutionis dubiorum*, 28 julii 1821, ad 1 (*Decreta authentica*, n. 2616, t. II, p. 196); — In *Tuden.*, 23 maii 1846, ad 1 (*ibid.*, n. 2915, t. II, p. 336); — In *Comen.*, 9 dec. 1899, ad 1 (*Decreta auth.*, n. 4049, t. III, p. 374).

[3] Ita communiter Scriptores, v. g., de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars V, n. 35, Lovanii, 1863, t. III, p. 44; — Carpo, *Bibliotheca liturgica*, pars III, n. 146, not. 1, Bononiæ, 1878, p. 385.

[4] *Decreta authentica*, n. 2915, t. II, p. 336.

possint, priusquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat[1]. » Cf. etiam decretum in *Bellunen.*, 1 feb. 1895, ad 3[2], et in *Mediolanen.*, 18 julii et 22 aug. 1902[3].

5° In *ecclesiis vicarialibus*, quæ nempe erectæ sunt, in territorio alicujus parochiæ, in subsidium ecclesiæ parochialis, a qua dependent, idem dici debet ac pro ipsis ecclesiis parochialibus, id est : 1. Si missa possit celebrari *solemniter*, sic celebretur; — 2. Si non possit, tunc celebretur juxta *Memoriale rituum;* — 3. Si nec isto modo celebrari possit, dicatur missa *lecta*, cum venia episcopi. — Duo priora constant expresse ex decreto S. Rit. Congr., in *Goritien.*, 4 sept. 1875[4]. Tertium verum esse puto, ex eo quod S. Rit. Congr., in hac *Goritien.*, æquiparet ecclesias vicariales parochialibus.

6° Quoad *alias ecclesias* et *oratoria*, distinguendum :

a. Si agatur de ecclesiis et oratoriis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, missa nullo modo celebrari potest. — Constat decreto S. Rit. Congr., in *Neapolitana*, 14 junii 1659[5].

b. Si agatur de ecclesiis et oratoriis, in quibus non fiat, post missam, processio ad *Sepulcrum*, repositio hostiæ consecratæ in hoc sepulcro, et postridie solemnis delatio hujus hostiæ pro missa Præsanctificatorum, missa celebrari nequit. — Constat decretis S. Rit. Congr., tum in una *Urbis*, 28 martii 1775, ad 5[6], tum in *Bellunen.*, 1 feb. 1895, ad 2[7]. Ratio est quia hæc præcipiuntur in *Missali*, et in *Memoriali rituum*, ideoque, si fieri non

[1] *Decreta authentica*, n. 2616, t. II, p. 196.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 564.
[3] *Canoniste*, 1902, t. XXV, p. 603, 679.
[4] *Decreta auth.*, n. 3366, t. III, p. 58.
[5] *Ibid.*, n. 1120, t. I, p. 230.
[6] *Ibid.*, n. 2503, t. II, p. 137.
[7] *Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 564.

possint, omitti debet missa; exceptio autem facta pro ecclesiis *parochialibus* (de qua supra) extendi nequit ad hæc oratoria.

c. Si agatur de oratoriis *Confraternitatum,* celebrari nequit missa solemnis, quia hæc *spectat ad parochos*, ut decidit S. Rit. Congr., in alleg. decreto 10 dec. 1703, ad 8; quod extendendum est ad alia oratoria quæ nullo modo eximuntur a parochi jurisdictione. Cum licentia parochi, vel Ordinarii, putaverim missam solemnem ibi celebrari posse, ex statim dicendis.

d. Si agatur de ecclesiis et oratoriis Religiosorum vel monialium cum votis simplicibus, vel de capellis principalibus seminariorum, hospitalium, collegiorum, etc., quæ sunt aliquo modo exempta a jurisdictione parochorum, missa celebrari potest, *modo fiat solemniter,* nempe cum diacono et subdiacono et aliis solemnitatibus. — Ratio est quia, licet hæc missa non sit stricte conventualis, attamen, ob immunitatem a jurisdictione parochorum, assimilatur missæ conventuali, sicut missa solemnis in ecclesiis parochialibus aut vicarialibus. Et vero presbyteri his oratoriis adscripti nullo modo tenentur interesse missæ solemni ecclesiæ cathedralis aut parochialis, quum non sint *de hac ecclesia* (*Cæremoniale Episcop.,* lib. II, c. XXIII, n. 6); æquum ergo est ut suam habeant quasi conventualem missam [1].

7° In *ecclesiis minoribus non parochialibus,* in quibus missa celebrari nequeat *solemniter,* adhiberi nequit *Memoriale rituum* Benedicti XIII. — Ratio est quia hoc *Memoriale,* ut dictum est, non fuit concessum nisi ecclesiis *parochialibus,* et in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in *Mechlinien.*, 16 martii 1876 [2]. Unde etiam hæc eadem

[1] Sic etiam de Herdt, *loc. cit.,* n. 34, 2.

[2] *Decreta auth.,* n. 3390, t. III, p. 68.

Congregatio, in *Comen.*, 9 dec. 1899, huic quæsito : « 2. An prædicta missa (feriæ V in Cœna Domini) legi vel decantari possit in ecclesiis vel oratoriis spectantibus ad regulares, ad seminaria et ad pias communitates; » respondit : « Ad 2 : *Affirmative* quoad regulares proprie dictos juxta decretum sub n. 2799, diei 31 aug. 1839; *Negative*, quoad seminaria et pias communitates, nisi habeatur apostolicum indultum [1]. » — De quo notanda duo :

a. Quoad oratoria, quorum Rector jus habet, juxta supradicta (hoc numero, ad 6), ut celebret missam *solemnem*, sed in quibus, defectu ministrorum, non potest hanc missam celebrare, consuetudo passim, v. g., in Galliis, invaluit, ut rector celebret missam, adhibito *Memoriali rituum*. Licitam autem puto hanc consuetudinem, quæ tantum est *extensiva concessionis Benedictinæ*, quam extensionem jam fecit, in commodum ecclesiarum vicarialium, ipsa S. Rit. Congr., in cit. *Goritien.* [2]. — Hæc extensio item concessa est omnibus diœcesibus Americæ latinæ, die 1 Januarii 1900, *ad decennium*, a Leone XIII, per organum S. Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis præpositæ [3].

b. Quod si, præsertim apud moniales votorum simplicium, nec etiam isto modo cantari possit præfata missa, defectu ministrorum, num ad eas extendatur concessio missæ *lectæ* facta regularibus in cit. causa *Tertii ordinis S. Francisci*, 31 aug. 1839 (hoc numero, ad 3), controverti potuit ante annum 1899 [4]. Verum S. Rit. Congr., in cit.

[1] *Decreta auth.*, n. 4049, t. III, p. 374.

[2] Hanc consuetudinem notat Gasparri (*De Eucharistia*, n. 81, Parisiis, 1897, t. I, p. 52), sed non sufficientem reputat.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXXII, p. 553; — *Canoniste*, 1900, t. XXIII, p. 368.

[4] Concessionem ad moniales votorum simplicium extendi putavit Gennari, in *Monitore eccl.*, t. XI, p. 269-270; verum, post relatam decisionem

Comen., 9 dec. 1899, difficultatem solvit in sensu negativo. — Si tamen alicubi adsit in contrarium consuetudo, hanc ego damnare non ausim; est enim, maxime quoad moniales, maxime rationabilis; cavendum enim est ne moniales hoc sanctissimo die, nempe feria V *in Cœna Domini*, communione priventur, aut, ad eam recipiendam, ad alias ecclesias cursitare cogantur.

8° In *ecclesiis, in quibus celebratur missa solemnis*, licita aliquando esse potest missa *lecta*, nempe in duobus, qui sequuntur, casibus :

a. Si in feriam V in Cœna Domini incidat aliquod festum *de præcepto*, v. g., sancti Josephi, Annuntiationis B. M. V., patroni. Tunc enim, juxta decretum generale S. Rit. Congr., 12 sept. 1716 : « ... Per Ordinarios locorum providendum ut eo die, pro civitatum et pagorum qualitate ac christifidelium in iis degentium numero, *plures missæ privatæ ante celebrationem missæ conventualis pro præcepti adimplemento celebrandæ non desint* [1]. » Cui decreto, edito pro festo Annuntiationis, præiverat aliud decretum omnino simile pro festo sancti Josephi, 13 sept. 1692 [2]. — Attamen, si festum non sit *de præcepto* in aliquo loco (v. g., duo præfata festa in Gallia), concessio cessat, ut per se patet, et respondit S. Congr., in *Viglevanen.*, 26 sept. 1868 [3], et in *Segusien.*, 18 aug. 1879, ad 2 [4].

b. Episcopus potest etiam permittere missam lectam *pro infirmis*. — Usque ad annum 1898, hanc propositionem tenebant omnes, innixi decreto S. Rit. Congr., in una *Ord. Carmel.*, 27 martii 1773, ad 9, quoad hoc quæsi-

in *Comen.*, opinionem mutavit; *ibid.*, t. XII, p. 33-35. — Nihil habet de consuetudine.

[1] *Decreta authentica*, n. 2240, t. II, p. 26.

[2] *Ibid.*, n. 1883, t. I, p. 407.

[3] *Ibid.*, n. 3179, t. II, p. 465.

[4] *Ibid.*, n. 3503, t. III, p. 110.

tum : « An in feria V in Cœna Domini celebrari possit in ecclesia *una missa privata propter infirmos,* excepta solemni? » responsum est : « Arbitrio episcopi[1]. » Verum hæc responsio ad 9 omissa fuit in Editione novissima (an. 1898) decretorum S. Rit. Congr.[2], et ideo non deest qui dicat concessionem peremptam esse[3]. — Non tam severe rem ego intellexerim; juxta enim decretum huic editioni novissimæ præmissum, quo determinatur valor collectionis, « Decreta hucusque evulgata, in his quæ a decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda. » Sed decretum an. 1773 non vere et plene dissonat a decretis, supra relatis, missam privatam feria V in Cœna Domini prohibentibus; nam hæc statuunt *regulam,* illud *exceptionem;* aliis verbis, hæc agunt de *genere,* illud de *specie,* porro « generi per speciem derogatur », ut fert regula 34 Juris in VI. Aliunde grave esset infirmis hac sacra die aut spirituali carere medicina, aut tardioris longiorisque missæ exspectare horam.

16. — Sabbatum sanctum. — Hæc dies olim erat prorsus *aliturgica,* ut constat testimonio (supra, n. **14**, allegato) Innocentii I, qui feriam VI in Parasceve et sabbatum sanctum in eodem gradu ponit, quoad prohibitionem celebrandi, hancque prohibitionem refert ad *traditionem Ecclesiæ.* Et vero missa quæ hodie celebratur sabbato sancto *ante meridiem* est prior e duobus missis diei Paschatis, quæ olim post mediam noctem[4], elapso sab-

[1] Gardellini, ed. 1825, n. 4212, t. v, p. 73-75.

[2] *Decreta authentica,* n. 2494, t. II, p. 134.

[3] Sic Gennari, *loc. cit.*

[4] Cf. Mabillon, *In ordinem romanum commentarius prævius,* n. 15, in *Musæo italico,* t. II, p. XCVII, vel apud Migne, *P. L.,* t. LXXVIII, col. 906. — Duæ autem erant missæ die paschatis, una de nocte, altera de die (Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. III, art. 3, n. 9). Tempore D. Thomæ, prior missa, nempe de nocte, jam anticipari poterat ad initia

bato, celebrabatur, et quæ nunc, *per anticipationem*, affixa est horis matutinis sabbati sancti; testantur adhuc multa verba orationum hujus missæ, hanc olim nocte fuisse celebratam. — De missis ergo sabbato sancto celebrandis hæc dicenda :

1° *In genere*, præter missam solemnem, quæ ad normam *Cæremonialis Episcoporum*, aut saltem *Memorialis rituum*, celebratur in ecclesiis collegiatis aut parochialibus, ut infra dicetur, *quælibet missa privata aut lecta prohibetur hac die, in quibuslibet ecclesiis aut oratoriis tam publicis quam privatis.* — Constat Clementis XI *decreto* (supra relato, n. **15**, 1°), quod complectitur feriam V in Cœna Domini et sabbatum sanctum, et utraque die prohibet sacra privata. — Imo prohibitio pro sabbato sancto gravior est prohibitione pro feria V, quia sabbati sancti dies natura sua est *aliturgica*, ut dictum est, dum feria V in Cœna Domini non modo non excludit sacrificium, sed econtra requirit, in commemorationem Cœnæ Dominicæ. — Unde :

a. Missa *pro infirmis*, quam Episcopus permittere potest, ut diximus (n. **15**, 8°), feria V, permitti nequit sabbato sancto.

b. Difficile conceduntur indulta *personalia* missæ privatæ sabbato sancto celebrandæ; imo, in decreto S. Rit. Congr., in una *Resolutionis dubiorum*, 28 julii 1821, ad 3, suppressa sunt omnia indulta hujusmodi personalia[1]; cujus decreti observantia inculcatur in alio decreto, in una *Ordinis Carmelitarum excalceatorum*, 22 julii 1848, ad 1 et 2[2]. — Facilius conceduntur indulta *realia*, in favo-

noctis, nempe ad vesperam sabbati : « In nocte Resurrectionis, *circa principium.* » *In IV Sent.*, dist. XIII, q. 1, art. 2, ad 4 quæst.

[1] *Decreta authentica*, n. 2616, t. II, p. 196.

[2] *Ibid.*, n. 2970, t. II, p. 359.

rem nempe talis ecclesiæ determinatæ, ut patet eisdem decretis; in quibus indultis cavetur aliquando ut non celebretur missa privata nisi *post solemnem*, ut in cit. decreto an. 1821, ad 3.

2° In ecclesiis *cathedralibus*, *collegiatis*, *regularibus*[1], *parochialibus*, et *vicarialibus parochialium*, celebratur missa conventualis, seu quasi conventualis, eodem modo quo dictum est supra de feria V in Cœna Domini; quod si, defectu ministrorum, in quibusdam ecclesiis parochialibus aut vicarialibus, missa celebrari nequeat cum omnibus solemnitatibus juxta *Missale*, adhibeatur *Memoriale rituum* Benedicti XIII, quo hic Pontifex consuluit parochiis pauperibus, et quod S. Rit. Congr. (cit. decreto in *Goritien.*, 4 sept. 1875), extendit ad vicariales. Imo parochi *tenentur* celebrare saltem juxta hoc *Memoriale*, ut declaravit S. Rit. Congr. in una *Ordinis Carmelitarum excalceatorum*, 22 julii 1848, ad 5[2]. — Quod si nec *Memoriale* adhiberi queat, defectu clericorum aut puerorum idoneorum, num liceat parocho celebrare missam *lectam*, ut adimplere queat ritus a missali præscriptos, nempe benedictionem ignis, cerei, fontis, etc.? Hoc quidem contrarium est præceptis *Missalis* et *Memorialis*, quæ jubent missam celebrari cum determinatis cæremoniis, et non aliter; unde S. Rit. Congr., cit. decreto (n. **15**, 4°) 28 julii 1821, ad 1, non concessit missam *lectam*, in parœciis indigentibus, nisi pro feria V in Cœna Domini. Attamen, pluribus in locis, contraria consuetudo invaluit, ut nempe in dictis adjunctis parochus celebret missam *lectam*. Non videtur improbanda hujusmodi consuetudo, tum quia hanc

[1] Concessio facta Regularibus celebrandi missam lectam feria V in Cœna Domini (supra, n. **15**, 3°), non valet, ut patet, pro Sabbato sancto.

[2] *Decreta authentica*, n. 2970, t. II, p. 359. Cf. et Benedictum XIV, *Inst.*, XXXIX, n. 1, 2, 9.

Benedictus XIV toleravit in sua diœcesi Bononiensi, non animadvertendo in parochos isto modo celebrantes [1], — tum quia Gardellini, in *Nota* ad supradictum decretum, 28 julii 1821 [2], aperte favet huic consuetudini, allegata etiam Benedicti XIV auctoritate [3].

3° Quoad *alias ecclesias* et *oratoria*, idem dicendum est ac supra de feria V in Cœna Domini, nempe in illis omnibus ecclesiis et oratoriis, quorum rectores jus habent ut celebrent missam solemnem hac feria V, posse etiam celebrari, sabbato sancto, missam solemnem, et propter easdem rationes. Conferenda sunt ergo quæ supra dicta sunt, n. **15,** 6° et 7°.

4° Si quod festum *de præcepto* incidat in sabbatum sanctum, hæc dicenda :

a. Nisi adsit privilegium speciale, observanda est regula generalis supra (n. **14**) descripta ; nempe *officium* cum *missa* transferendum est ad aliam diem liberam juxta rubricas, sed *feriatio* remanet affixa sabbato sancto ; unde hac die tenentur fideles abstinere a servilibus, et audire sacrum ; de quo tamen duo notanda : 1. Non obstante hac obligatione audiendi sacrum, non permittuntur hac die missæ privatæ (sicut in eodem casu permittuntur, ut dictum est, n. **15,** in feria V in Cœna Domini), quia nempe sabbatum sanctum natura sua aliturgicum est, et ita est jurisprudentia S. Rit. Congr. ; — 2. Licet adsit obligatio audiendi sacrum, attamen, cum non sit nisi unicum sacrum, nempe missa solemnis, tardior et longior, non nimis hac de re vexandi sunt fideles, qui non tenentur interesse huic missæ, nisi quatenus possunt absque gravi incommodo. — Ita Cavalieri, Merati, etc., quos sequuntur

[1] *Inst.*, XXXVIII, n. 11.
[2] Gardellini, n. 4433, ed. 1826, t. VII, p. 76.
[3] Ita etiam cl. Gasparri, *De Eucharistia*, n. 95, p. 60.

recentiores, de Herdt, Carpo, Scavini, Lehmkuhl, etc.[1].

b. Speciale privilegium concessum est festo Annuntiationis B. M. V. incidenti in sabbatum sanctum; vi cujus non tantum officium cum missa, sed et ipsa *feriatio* transferenda sit ad feriam II post dominicam in Albis, eodem modo ac supra dictum est (n. **14**) pro eodem festo incidente in feriam VI in Parasceve. — Constat duplici *decreto generali* S. Rit. Congr., nempe decreto 11 febr. 1690[2], et decreto 25 apr. 1895, cujus verba supra (n. **14**) retulimus. — Aliquando idem privilegium concessum est pro aliis festis, v. g., pro festo sancti Zenonis, martyris, in civitate Veronensi, incidente die 12 aprilis[3]. Idem declaratum est a S. Rit. Congr., pro civitate Gerundiensi, decreto 4 sept. 1694[4], pro festo sancti Francisci de Paula, occurrente die 2 apr.; sed hæc species est singularis; agitur enim de festo celebrando, non vi legum Ecclesiæ, sed *ex voto;* porro votum observandum est, quantum possibile est[5].

III. Disciplina hodierna in aliis ritibus

17. — Ritus ambrosianus.

1° *Omnes feriæ sextæ per Quadragesimam* sunt *aliturgicæ*, ita ut nefas sit in eis missam celebrare. — Licet hic

[1] Cavalieri, *Opera*, etc., c. XIII, decret. XIV, n. 7; decret. XV, n. 6, etc., t. II, p. 19, 21; — Merati, *In Gavantum*, part. IV, tit. IX, n. 77; tit. X, n. 65, p. 602, 644; — de Herdt, *Sacræ liturgiæ præxis*, t. II, n. 280, p. 353; — Carpo, part. IV, n. 58, p. 473; — Scavini, *Theol. mor.*, tract. IX, *De sacramentis*, etc., n. 775, Parisiis, 1863, t. III, p. 757; — Lehmkuhl, *Theolog. mor.*, Friburgi Brisg., 1893, t. II, n. 211, p. 157.

[2] *Decreta authentica*, n. 1822, t. I, p. 393.

[3] De quo cf. Cavalieri, *loc. cit.*, decret. XV, p. 20.

[4] *Decreta auth.*, n. 1911, t. I, p. 414.

[5] Cl. Gasparri, *De Eucharistia*, n. 94, p. 59, putat quæcumque festa de præcepto, incidentia in sabbatum sanctum, esse transferenda, etiam sine

ritus forte non retroascendat ad sanctum Ambrosium (cf. supra, n. **13,** 4°), est tamen antiquissimus, ut ostendunt vetera *Missalia*[1] hujus ritus, quæ sunt e sæculo XII, et nullam exhibent missam pro his feriis, dum exhibent pro aliis.

2° Omnino jussit sanctus Carolus, ut missa non celebraretur dictis feriis, ut constat *Synodo diœcesana*, 3, decret. 20[2].

3° Hic ritus adhuc hodie servatur; quum autem, toto tempore Quadragesimæ, nulla festivitas *de Sanctis* celebretur in ritu ambrosiano, et sic festa sancti Joseph et Annuntiationis B. M. V. remittantur ad mensem decembrem, clerus mediolanensis a Sede apostolica impetravit indultum, vi cujus possit deinceps celebrare hæc festa, cum officiis et missis approbatis, diebus 19 et 25 martii, *etiam si incidant in ferias sextas*, servatis rubricis. Indultum est diei 23 februarii anni 1897[3].

18. — Ritus orientales.

1° In genere, apud orientales, per totum jejunii quadragesimalis tempus, non celebratur vera missa, nisi singulis *sabbatis* et *dominicis* et insuper festo Annuntiationis B. M. V. Aliis autem diebus, nempe quinque per hebdomadam, non dicitur nisi liturgia seu missa *Præsanctificatorum*, ad instar missæ *Præsanctificatorum*, quæ apud nos

privilegio speciali, quoad officium et quoad feriationem, ad instar festi Annuntiationis. Sed hoc est contra communem opinionem, nec sequitur e decretis ab eo relatis. Cf. Cavalieri, Merati, de Herdt, Carpo, etc., *locis cit.*

[1] De quibus Le Brun, *Explication de la messe*, dissertation III : *liturgie ambrosienne*, Paris, 1726, t. II, p. 195. — De hac liturgia cf. etiam Mabillonii *Musæum ital.*, t. I, pars II, p. 95-117; — Andreucci, *De ritu ambrosiano* (*Opera*, dissert. III, Romæ, 1766, t. II, p. 41 sq.).

[2] *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, Lugduni, 1683, t. I, p. 280. — Cf. etiam S. Caroli *Instructiones pro sacerdotibus...*, *ibid.*, p. 621.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 566.

celebratur feria VI majoris Hebdomadæ; in his missis non fit *consecratio* sanctissimæ Eucharistiæ, sed tantum *sumptio* ex hostiis consecratis die dominica præcedente.

2° Ritus iste retroascendit ad conc. Laodicenum, c. 49 : « Non oportet in Quadragesima *panem offerri*, nisi sabbato et dominica tantum[1]. » Concilium autem Trullanum (an. 692), c. 52, ait : « In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, et dominica, et sancto Annuntiationis die, fiat *sacrum Præsanctificatorum* (ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία[2]). »

3° Hic ritus (paucis locis exceptis) adhuc servatur[3]. Imo Romana Sedes institit ut servaretur. Sic, pro Græcis Melchitis, S. Congr. de Prop. Fide, jussu Benedicti XIII, decretis 8 julii 1729, ad 8, respondit : « Servetur ritus celebrandi tempore Quadragesimæ in diebus sabbati et dominicæ tantum, prout alias decretum fuit per S. Congr. S. Officii sub die 13 apr. 1695[4]. » — Et, quum Patriarcha Melchitarum dispensationem hac de re postulasset a Benedicto XIV, hic preces rejecit, ut constat ejus const. *Demandatam*, 24 dec. 1743, § 9[5]. — Unde concilium patriarchale Melchitarum, dec. 1835, can. 3, iterum jussit ritum illum servari in omnibus ecclesiis nationis Melchitarum, « præter ecclesias pagorum valde pauperum, in quibus non potest SS. Eucharistia decenter conservari; » in hoc casu, cum licentia Ordinarii, vera missa celebrari potest quovis die[6]. — In hoc concilio, eod. can. 3, decla-

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 78.

[2] *Ibid.*, p. 53.

[3] Usum hodiernum testatur etiam Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris orient.*, Magno-Varadini, 1880, p. 218.

[4] Hæc decreta S. Congr. de Prop. Fide referuntur inter *Acta conciliorum orientalium, Collectio Lacensis*, t. II, p. 441.

[5] *Bull. Bened.*, t. I, n. LXXXVII.

[6] *Collect. Lac.*, t. II, p. 581.

ratur licere accipi stipendia pro missis *præsanctificatorum*, sicut pro aliis muniis ecclesiasticis, v. g., officiis funebribus, juxta taxam Episcopi.

4° Attamen ritui illi duæ derogationes factæ fuerunt : 1. Benedictus XIV permisit Græco-Italis, ut, servato ritu *Præsanctificatorum* in præcipuo altari ecclesiarum parochialium, veræ missæ celebrari possent in aliis altaribus et ecclesiis[1]; — 2. Licet Maronitæ ritum Præsanctificatorum, sicut alii orientales, diu servassent, attamen, a pluribus sæculis, illum abrogaverunt, non servata nisi una missa *Præsanctificatorum*, more latino, nempe in feria VI majoris Hebdomadæ. Ita narratur in concilio Maronitarum[2], an. 1736, part. II, c. XIII, n. 17[3].

§ 2. De hora, qua missa celebrari debet.

19. — Notitiæ historicæ. Tempore persecutionum, sacerdotes, ut sacra mysteria tutius a profanorum oculis occultarent, ea celebrabant potissimum *nocte*, nempe *sero* et præsertim *mane* ante lucem. Hinc supra (n. **13**) relatum Plinii testimonium : « ... Stato die, *ante lucem* (conveniunt christiani); » hinc *nocturnæ convocationes, cœtus antelucani,* apud Tertullianum[4], et alia innumera testimonia. — Reddita Ecclesiæ pace, horæ statutæ sunt ad celebrandum, ut sequitur :

1° Diebus dominicis, et aliis, in quibus non jejunabatur, missa celebrari consuevit *horis matutinis*, nempe *ante meridiem*, et

[1] Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 6, n. 16 (*Bull. Bened.*, t. I, n. LVII).

[2] *Collect. Lac.*, t. II, p. 222.

[3] De missa *Præsanctificatorum*, cf. Goar, *Euchologium græc.*, Lutetiæ Parisiorum, 1647, p. 187-211; — Allatius, *De libris eccl. Græcorum*, diss. I, Parisiis, 1645, p. 20-33; — Le Brun, *Explication de la messe*, diss. VI, art. 2, Paris, 1726, t. II, p. 372 sq.

[4] *Ad uxorem*, lib. II, c. IV; Migne, *P. L.*, t. I, col. 1294; — *Apologeticus*, c. II; *ibid.*, col. 273; — *De corona*, c. III; *ibid.*, t. II, p. 79.

præsertim *hora tertia*. Constat testimonio veterum, v. g., Amalarii, Walafridi Strabonis [1], etc.

2° Diebus jejunii, missa celebrabatur *ea hora qua solvi poterat jejunium*, non antea, ne mysterium gaudii incideret in horas mœroris et luctus; proinde, in jejunio quadragesimali, missa non celebrabatur nisi *sub vesperam;* aliis autem jejuniis, *hora nona*, nempe tertia post meridiem [2].

3° Pluries in anno, missa noctu celebrabatur, nempe : 1. Nocte *Nativitatis Domini*, ut adhuc mos est; — 2. Nocte *Paschatis*, nempe media nocte post sabbatum sanctum (*supra*, n. **16**); — 3. Nocte *Pentecostes*, quæ missa nocturna describitur in *Sacramentario Gregoriano*, sub rubrica *Incipiunt orationes de Pentecoste* [3]; — 4. Nocte *S. Joannis Baptistæ;* hoc enim festo, duæ missæ celebrabantur, quarum prior, inscripta *de nocte*, ante ortam lucem celebrari consuevit [4]; — 5. Nocte quæ intercedit inter *sabbata Quatuor Temporum* et *dominicas* sequentes ; his enim noctibus, in quibus Gelasius I jussit celebrari sacras ordinationes, missa celebrari solebat. — Probabilius est primis ecclesiæ sæculis missam nocturnam fuisse celebratam quoties adesset *magna vigilia*, nempe qualibet nocte ante singulas dies dominicas; quod deinde fuit restrictum, Romæ saltem, ad dominicas post sabbata Quatuor Temporum, et ad maximas festivitates, videlicet, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, etc. [5].

4° Hæc intelliguntur de missis *publicis;* quoad enim missas *privatas*, qualibet ferme hora diei (non noctis) celebrabantur, etiam post meridiem, vespere, et post completorium; et diebus

[1] Amalarius, *De ecclesiasticis officiis*, lib. III, c. XLII, XLIV; lib. IV, c. XL; Migne, *P. L.*, t. CV, col. 1160-1162, 1235; — Walafridus Strabo, *De rebus ecclesiasticis*, c. XXIII; Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 951. — Cf. alia apud Martène, *De antiquis Eccl. ritibus*, lib. I, c. III, art. 4, Bassani, 1788, t. I, p. 107 sq.; — Duchesne, *Liber pontificalis, Vita Telesphori*, n. 4, t. I, p. 130.

[2] Cf. Martène, *loc. cit.*, n. 5; — D. Thomas, part. III, q. LXXXIII, art. 2.

[3] Apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 110; cf. col. 391.

[4] Martène, *loc. cit.*, art. 3, n. 15, p. 105.

[5] Cf. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, c. VIII, § 1, Paris, 1903, p. 229.

jejunii, etiam mane, nempe *hora tertia,* quin inde solutum putaretur jejunium [1]. De quo magnæ criminationes Græcorum contra Latinos, quasi hi, missam diebus jejunii mane celebrantes, solverent jejunium [2].

5° Tempore divi Thomæ tempus incipiendi missam jam erat determinatum, nempe *initium auroræ* [3]; et, ætate Dominici Soto, qui concilio Trid. interfuit, tempus finiendi missas erat *meridies* [4]. Innocentius IV, const. *Sub catholicæ,* 6 martii 1254, § 7, permittit Græcis (in Cypro insula) ut, juxta suam consuetudinem, missas differant usque ad horam *nonam* [5].

20. — Hora missæ celebrandæ. — *Hora debita missæ celebrandæ est ab aurora ad meridiem.*

1° *Demonstratur propositio.* — Constat *Rubricis missalis,* part. I, tit. XV, n. 1 : « Missa privata, saltem post matutinum et laudes, *quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest;* » et part. III, tit. x, n. 1 : « (Defectus est) si non sit *tempus debitum* celebrandi, quod est *ab aurora usque ad meridiem communiter.* » Et quod dicitur de missa *privata* applicari debet missæ *solemni* vel *conventuali,* quæ etiam debet celebrari ab aurora ad meridiem, licet quid amplius requiratur ut celebrari possit, nempe quod *tertia* aut alia hora canonica dicta fuerit in choro, ut cavetur in præfata rubrica.

2° *Pressius determinatur hora celebrationis missæ :*

a. Aurora est lux illa diffusa quæ prævia est ortui solis, originem habens a radiis solis, qui, quando sol non amplius longe est infra horizontem, jam incipiunt illuminare

[1] Martène, *loc. cit.,* art. 4, n. 10, p. 108.

[2] Videas Nicetæ *Libellum contra Latinos,* c. XII, et Humberti, episcopi Silvæ Candidæ, *Responsionem,* c. XXIII-XXIV; Migne, *P. L.,* t. CXLIII, col. 980, 994-995.

[3] Part. III, q. LXXXIII, art. 2, ad 4.

[4] D. Soto, *Sent.,* lib. IV, dist. XIII, q. II, art. 2.

[5] *Bull. rom.,* t. III, part. 1, p. 341.

partem superiorem aeris. Totum illud tempus quod intercedit inter initium auroræ et ortum solis, vocatur *diluculum* (*aube, crépuscule du matin*), sicut tempus quod sequitur occasum solis vocatur *crepusculum* (*crépuscule du soir*). — Duratio autem *diluculi* varia est pro singulis locis, attenta eorum *latitudine*, et, in singulis locis, variatur etiam juxta varia anni tempora[1]. In locis qui sunt ultra quinquagesimum *latitudinis* gradum, plures sunt in anno dies, ac etiam hebdomades et menses, quibus, in momento mediæ noctis, incipit diluculum, aut jam incœptum est. — Tabulæ non desunt (v. g., in libello *Annuaire du Bureau des longitudes*), quæ, pro singulis locorum *latitudinibus* et mensibus anni, indicent durationem diluculi; hac autem cognita, simul et cognito momento ortus solis (quod notant pleraque diaria), facillimum est deducere *initium diluculi*, seu *auroræ*. — Cæterum initium auroræ indicant multa diœcesana *directoria* officii divini.

b. Sensus igitur propositionis supra descriptæ hic est : Missa celebrari potest ab *initio diluculi* seu auroræ usque ad meridiem. Attamen, licet graviter restiterit Clemens XI[2], Benedictus XIII, *edicto* Cardinalis Vicarii, 20 dec. 1724, n. 9, permisit, ut Romæ missæ sacrificium *incipi posset tertia parte horæ ante initium auroræ*, et *terminari item tertia parte horæ post meridiem*[3]. Hæc autem interpretatio extensa est ad omnes diœceses provinciæ Romanæ; præfatum enim *edictum* approbatum et confirmatum est in concilio Romano, an. 1725 (tit. XVI, c. III, p. 63), sub eodem Benedicto XIII, et insertum inter *Appen-*

[1] Incipit aurora seu diluculum, quando sol jam *decimo octavo gradu* proximus est horizonti; sicut desinit crepusculum serotinum, quando sol jam recessit ab horizonte ultra *decimum octavum gradum*.

[2] Ut narrat Benedictus XIV, *Instit.*, XIII, n. 3.

[3] Videas hoc *edictum*, italica lingua scriptum, inter appendices ad conc. Rom. an. 1725, sub numero 18, Bruxellis, 1726, p. 313-323.

dices hujus concilii. Brevi autem, consuetudine et doctorum opinionibus, ad universum orbem extensa est. Hinc est quod multi dicant nullam esse culpam, si quis *finiat missam post initium auroræ*, vel *incipiat paulo ante meridiem*[1]; hæc enim locutio fere redit ad ipsa verba edicti Benedictini. — Notandum est, quando *media nocte* diluculum incipit, vel jam incœptum est, posse quidem inchoari missam a *momento mediæ noctis, nunquam vero antea*, quia tempus quod antecedit mediam noctem, pertinet ad diem præcedentem.

c. Cæterum notant communiter doctores, eum qui celebrat *ante* vel *post* tempus legitimum, sed minus quam hora integra, non nisi *venialiter* peccare[2].

21. — **Quæritur 1°** *Quodnam, in computandis horis, tempus sequi debeamus, verum, medium, an legale?* — Resp.:

1° In computandis horis, solemus sequi tempus *medium*, non tempus *verum*. Ratio est quia *dies solaris verus* variabilis est; unde, in rebus humanis, non possumus eo uti, ut *unitate temporis* (*comme unité de temps*); recurrimus proinde ad *diem solarem medium*, ut ad tempus *medium*, quod solum notant et notare possunt publica horologia. Unde in *Clodien.*, 7 aug. 1875, ad hoc quæsitum : « Dubium 9. An, tam pro recitatione officii divini, quam pro jejunio naturali ante communionem præscripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus jejunii, conformare se quis possit tempori dicto medio, vel, juxta proprium placitum, tempori vero vel medio, ita

[1] S. Alph., lib. VI, n. 341; — d'Annibale, *Summula*, t. III, n. 402, ed. 3, p. 319.

[2] S. Alph., lib. VI, n. 346; — d'Annibale, *Summula*, t. III, n. 402, ed. 3, p. 319.

ut aliquando uni, aliquando alteri adhæreat, » respondit S. Rit. Congr. : « Ad 9. *Standum publicis horologiis*[1]. » Unde sequeretur etiam nos *teneri* ad sequendum tempus *medium*. — Attamen S. Pœnitentiaria, die 29 nov. 1882, ad hoc quæsitum : « Utrum, ubi horologia adhibentur tempori medio accommodata, ipsis sit standum, tum pro onere divini officii solvendo, tum pro jejunio naturali servando; vel debeat quis, aut saltem possit, uti tempore vero, » respondit : « Fideles, in jejunio naturali servando, et in officio divino recitando, sequi tempus medium *posse*, sed *non teneri*[2]. » Unde S. Pœnitentiaria præfatam S. Rit. Congr. decisionem habuit uti restrictam ad diœcesim Clodiensem. Verum in novissima sua Decretorum editione, S. Rit. Congr. sic mutavit prædictam responsionem in *Clodien.* : « Ad 9. *Posse stare* publicis horologiis[3]. » Unde tandem ad libitum sequi possumus tempus *medium* aut *verum*[4].

2° A pluribus annis, in nonnullis regionibus, vi legum civilium, hora *legalis* præscripta est pro universo regno; sic in Gallia, vi legis 15 martii 1891, hora *legalis* est hora computata *juxta meridianum Parisiense* (*l'heure du méridien de Paris, temps moyen*). Hæc autem hora *legalis*, attenta distantia *meridianorum localium* a *meridiano regulante*, plus minusve differre potest ab hora *locali;* in Gallia, pro locis remotis, non differt nisi uno circiter quadrante, ad summum, pro locis extremis, hora fere dimidia; sed in aliis nationibus, discrimen protendi potest ad longius tempus. Hanc autem horam *legalem* notant et notare debent

[1] Gardellini, *Appendix*, n. 5622.

[2] Hoc responsum legas in *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 2079, Romæ, 1893, p. 818.

[3] *Decreta authentica*, n. 3365, t. III, p. 57.

[4] Tempus *medium* aliquando coincidit cum tempore *vero;* sæpius autem differt, nunquam vero ultra unum horæ quadrantem (15 ou 16 *minutes*).

publica horologia. Quæritur ergo utrum in officio divino recitando, in missa celebranda, etc., stare *possimus* publicis horologiis, an potius sequi *teneamur* horologia horam localem notantia. — Porro, huic præcise quæsito, S. Pœnitentiaria, pro diœcesi Neapolitana[1], die 10 junii 1873, respondit : « *Ad primam partem, affirmative; negative ad secundam*[2]. » Ergo, juxta hoc responsum, *possumus* sequi horam *legalem;* sed, ut patet, possumus sequi etiam horam *localem*.

3° Ab anno 1892, hora *legalis* alio modo determinata est pro quibusdam regionibus. Orbis nempe terrarum supponitur divisus, ratione *longitudinis,* in viginti quatuor zonas horarias æquales (*fuseaux horaires*), quarum unaquæque continet quindecim gradus, et proinde correspondet tempori *unius horæ*. Prima zona continet *meridianum Londinense* (pressius, *le méridien de Greenwich*), quod in duas partes æquales dividere supponitur illam zonam; hæc ergo prima zona extenditur, sive ad sinistram, sive ad dexteram *meridiani* Londinensis, usque ad *septem gradus cum dimidio*. Secunda zona, ad partem orientalem primæ, extenditur ipsa usque ad quindecim gradus; tertia zona, ad orientem secundæ, pariter extenditur usque ad quindecim gradus, et sic deinceps. Porro hora *meridiani* Londinensis est *hora legalis pro tota zona*, et dicitur *hora Europæ occidentalis*, quam de facto publice adoptarunt Anglia, Belgium, Hollandia, Luxemburgus et Hispania. Similiter secunda zona habet suam horam legalem, quæ, ut per se patet, una integra hora præcedit horam legalem primæ zonæ; hæc hora secundæ zonæ dicitur *hora Europæ centralis*, quam de facto adoptarunt Germania, Austria, Hungaria,

[1] In qua publica horologia tunc referebant horam juxta *meridianum Romanum*.

[2] *Acta S. Sedis,* t. VII, p. 399-400.

Italia, Helvetia, Bosnia et Herzegovina, Danimarka, Suevia et Norvegia, Serbia, etc. Eodem modo tertia zona habet suam horam legalem, quæ duobus horis præcedit horam Londinensem, et dicitur *hora Europæ orientalis*, quam adoptarunt Bulgaria, Roumania, Turchia Europæa et Ægyptus. Et sic de quarta zona et subsequentibus, et ita horam zonarum correspondentium adoptaverunt etiam Japonia, Status Fœderati Americæ septentrionalis, regio Canadiensis, etc.[1]. Hanc autem horam *zonariam*, uti vocatur, indicant horologia viarum ferrearum, et etiam, in multis locis, sic jubentibus guberniis aut municipiis, horologia plurium, sinon omnium, officiorum publicorum[2]. — Quæritur ergo utrum fideles et clerici, in illis locis, possint sequi hanc horam in servandis legibus ecclesiasticis. Porro idem respondendum est ac pro hora legali, de qua supra dictum est, nempe *posse* fideles sequi horam zonariam, sed *non teneri*. Nam : 1. Eædem prorsus rationes quæ militant pro hora legali, militant etiam, ut per se patet, pro hora zonaria, eo magis quod, etiam in locis *extremis* uniuscujusque zonæ, hora zonaria nunquam distabit ab hora locali ultra mediam horam; — 2. Jam, in hoc eodem sensu, duplex prodiit responsum Congregationum Romanarum, nempe unum pro hora Europæ occidentalis, alterum pro hora Europæ centralis; quæsitum est a S. Officio, pro Hollandia : « Utrum possint clerici et fideles, per totam Neerlandiam, in jejunio naturali cæterisque ecclesiasticis obligationibus observandis, observare tempus medium loci Greenwich, an vero sequi debeant verum tempus juxta meridianum proprii loci? » Respon-

[1] Cf. *Annuaire du Bureau des longitudes*, c. *Heure légale*, an. 1902, p. 484-488.

[2] Plures tamen regiones servaverunt propriam horam legalem, computatam nempe juxta *meridianum* civitatis regni metropoleos. Sic Gallia, Lusitania, Russia, etc.

sum est, 9 maii 1892 : « *Affirmative ad primam, negative ad secundam partem.* » Quod responsum confirmatum est ab eodem S. Officio, 9 aug. 1899[1]. Idem autem responsum est a S. Congr. Concilii, quoad horam Europæ centralis, in *Treviren.*, 22 julii 1893[2].

22. — **Quæritur** 2° *Quid dicendum de regionibus in quibus, per plures hebdomadas aut etiam menses, sol non occidit, vel non oritur?* — Resp. :

1° In regionibus polo proximis, sol, tempore æstivo, per plures dies, hebdomadas, aut etiam menses, remanet supra horizontem permanenter, quin occidat. Hoc tempore, missa celebrari potest ab illo momento quod correspondet *mediæ nocti*. Meridies determinatur, uti solet, per transitum solis in meridiano locali[3], adjecta vel detracta (ut habeatur tempus *medium*) quantitate, quæ vocatur *æquatio temporis;* media autem nox incidit post duodecim horas ; ab hoc ergo momento, quod æquivalet mediæ nocti, inchoari potest missa ; nunquam vero antea, ut dictum est.

2° Tempore hiemali, in iisdem regionibus, sol, per plures hebdomadas aut etiam menses, remanet infra horizontem, quin oriatur; apparent tantum *crepuscula,* saltem quoties sol non descendit ultra decimum octavum gradum infra horizontem. Hoc tempore, meridies determinatur vel per majorem claritatem crepusculorum, vel potius ex stellarum observatione[4]; determinata meridie, facilius determinantur aliæ horæ; quoad autem horam inchoandi mis-

[1] *Acta S. Sedis,* t. xxxii, p. 251-252.

[2] *Canoniste contemporain,* 1894, t. xvii, p. 50.

[3] Si bis transeat per meridianum, adhibeatur transitus superior.

[4] Cf. *Votum* P. Secchi, in una *Missionis Poli Arctici,* 6 febr. 1858 (coram S. Rit. Congr.), apud *Acta S. Sedis,* t. vii, p. 400.

sam, difficultas est, quum non sit ortus solis, nec proinde aurora proprie dicta; unde standum est resolutioni datæ a S. Rit. Congr., in una *Missalis romani*, 2 nov. 1634, nempe : « In casibus propositis quoad regiones carentes aurora, (aurora) *intelligitur moraliter de tempore quod æquivalet et correspondet auroræ*, hoc est *de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines*[1]. »

23. — Exceptiones apponendæ legi de hora inchoandi missam.

1° *Ipso jure* adest exceptio pro missa *conventuali* seu *solemni* in nocte Nativitatis Domini. — Postquam enim, *Rubricæ missalis*, pars I, tit. XV, n. 2, dictum est : « Missa autem *conventualis* et *solemnis* sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus... dicta in choro hora tertia, etc., » additur, n. 4 : « Excipiuntur ab hoc ordine dicendi missam conventualem, missæ in Nativitate Domini, quarum *prima dicitur post mediam noctem*, finito *Te Deum laudamus*, in matutino; *secunda, in aurora*, etc. » Unde :

a. Clarissima est dispositio pro missa *conventuali* aut *solemni*, quum de hac missa expresse agat Rubrica.

b. Eo ipso a privilegio excluduntur missæ *privatæ*, quum de ipsis nullo modo agatur, et proinde relinquuntur sub communi dispositione rubricæ, *ibid.*, n. 1 : « Missa *privata*... quacumque hora *ab aurora usque ad meridiem* dici potest. » Unde prohibitum est celebrare missam privatam in nocte Nativitatis Domini. Cæterum hoc declaratum fuit pluries a S. Rit. Congr., v. g., in una *Trium mis-*

[1] *Decreta authentica*, n. 614, t. I, p. 144.

sarum, etc., 7 dec. 1641 [1]; — in *Lucana*, 22 nov. 1681 [2]; — in *Senen.*, 23 martii 1686 [3], ex qua deducitur prohibitione affici quoscumque sacerdotes, etiam regulares, etiam speciali mentione dignos; — in *Aretina*, 18 sept. 1781, in qua, ad hæc duo quæsita : « 1. An, in nocte Nativitatis Domini N. J. C., liceat cuicumque sacerdoti ante auroram celebrare missam privatam, absque indulto Sedis apostolicæ? Et, quatenus negative. — 2. An contraria praxis, ubi introduci vellet, vel jam esset introducta, declaranda sit abusus, et directe opposita legibus Ecclesiæ, ita ut per episcopum sit abscindenda? » S. Rit. Congr. respondit : « Ad 1. Non licere. Ad 2. Contrariam consuetudinem declarandam esse abusum et episcopus curet ut abscindatur [4]. » — Unde, ut quicumque sacerdos celebrare possit, in hac nocte, etiam unam tantum missam privatam, requiritur indultum apostolicum.

c. Missa conventualis seu solemnis celebrari potest in hac nocte; sed incipi nequit ullo modo *ante mediam noctem*. Præfata enim rubrica expresse dicit : « Prima (missa conventualis) dicitur *post mediam noctem*. » In hoc sensu pluries respondit S. Rit. Congr., v. g., in una *Societatis Jesu*, 11 maii 1878, ad 15 [5]; — in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 10 [6].

2° Variis *privilegiis*, ab apostolica Sede concessis, derogatur legi de hora celebrationis. Sic :

1. *Cardinales*, *Episcopi* et *Protonotarii participantes* privilegio potiuntur celebrandi missam circiter *una integra*

[1] *Decreta authentica*, n. 781, t. I, p. 165.
[2] *Ibid.*, n. 1683, t. I, p. 357.
[3] *Ibid.*, n. 1761, t. I, p. 377.
[4] *Ibid.*, n. 2520, t. II, p. 145.
[5] *Ibid.*, n. 3448, t. III, p. 92.
[6] *Ibid.*, n. 3576, t. III, p. 143.

hora ante vel post legitimum tempus; de quibus suis locis agitur.

2. De *Regularibus* hæc dicenda : *a*. Privilegia quibus hac de re fruebantur ante conc. Trid. (v. g., celebrandi duabus horis post mediam noctem, vel post meridiem, etc.[1]), suppressa sunt ab hoc concilio, c. *Quanta cura*, sess. XXII, *De observandis... in celebratione missæ*, ut patet tum ipso textu hujus capitis, in quo dicitur : « Edicto, pœnis propositis, caveant (episcopi) *ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent*,... non obstantibus *privilegiis, exemptionibus*, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque; » — tum pluries allegato Clementis XI decreto *Cum sancta*, 15 dec. 1703[2], quod aperte supponit suppressa esse Regularium privilegia celebrandi « extra debitas horas et post meridiem »[3]; — *b*. Unde attendenda sunt solummodo privilegia impetrata post conc. Trid., quorum tenor inspiciendus est et simul quibus communicentur ordinibus. Sic, in Gregorii XIII bulla *Quanta in vinea*, nonis maii 1578, dicitur : « Nec non presbyteris Societatis (Jesu), ut missas per horam ante auroram, et infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de ipsius... Præpositi generalis, vel cujusvis alterius ad id ab eo deputati licentia, celebrare valeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium, de speciali gratia, indulgemus[4]. » Quod privilegium communicatur omnibus ordinibus mendicantibus.

3. *Missionariis*, in locis missionum, vi *facultatum* a S. Congr. de Prop. Fide delegatarum, communicari solet

[1] Apud S. Alph., lib. VI, n. 342.

[2] Relato apud Bened. XIV post encyclicam *Magno*, 2 junii 1751 (*Bull. Bened.*, t. III, n. XLVIII).

[3] Cf. etiam Bened. XIV, *Inst.*, LXVIII, n. 11.

[4] *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 66; — cf. etiam *Compendium privilegiorum Societatis Jesu*, v° *Missa*, *ibid.*, p. 321.

indultum : « celebrandi... *per unam horam ante auroram et aliam post meridiem.* » Cf. textum supra (n. **10**).

3° Quod ipse *episcopus* possit dispensare in lege quæ statuit horam celebrationis missarum, nulli dubium esse potest, attentis iis quæ canonum doctores et theologi[1] tradunt de potestate Episcoporum dispensandi in jure communi, in iis *quæ frequenter occurrunt.* Ut autem ex eorumdem doctrina deduci potest, Episcopus hac in re dispensare potest vel cum subditis *singularibus, etiam ad vitam,* vel cum *certo numero ecclesiarum aut capellarum, etiam modo permanenti* (quod fecit Benedictus XIV, *Inst.*, LXVIII, n. 12), non vero *cum tota diœcesi in perpetuum :* quod esset non dispensare, sed tollere jus.

4° *Consuetudine* item temperari posse præfatam legem, tenendum est. Fatendum quidem est consuetudinem non posse generaliter induci contra *Rubricas missalis ;* verum, in re præsenti, rubrica non est *absoluta* et *semper urgens,* ut deducitur ex iis *rubricis,* part. III, tit. x, n. 1 : « (Defectus est) si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem *communiter.* » Proinde, si consuetudo sit rationabilis, et alia requisita habeat, illi standum est. In quo videris doctores convenire communiter[2].

5° Demum, quia, sicut potestas, ita et lex in ædificationem, non in destructionem, posita est, *in quibusdam gravibus adjunctis,* sic interpretantibus doctoribus, potest *una hora integra* anticipari vel differri missa, v. g., ne satis magna pars fidelium missa die festo careat, vel ex causa itineris, publicæ supplicationis, concionis solemnis,

[1] Cf. S. Alph., lib. VI, n. 344; — Schmalzgrueber, in tit. *De celebratione missarum,* n. 46.

[2] S. Alph., *ibid.,* n. 343; — Schmalzg., *ibid.;* — de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis,* n. 102, Lovanii, 1863, t. 1, p. 135.

sacræ ordinationis, funeris alicujus magnatis; imo, ne infirmus decedat sine viatico, magis adhuc anticipari vel differri potest missa[1].

N. B. De hora celebrationis missarum apud Orientales, cf. eorum *liturgias* et *concilia;* v. g., pro Maronitis, synodum Montis Libani, 1736, part. II, c. XIII, n. 16[2].

[1] S. Alph., lib. VI, n. 344; — de Herdt, *loc. cit.;* — Gasparri, *loc. cit.*, n. 117, t. I, p. 75.

[2] *Coll. Lac.*, t. II, p. 219-220; — cf. etiam Goar, *Euchologium Græc.*, p. 109, n. 5.

CAPUT III

DE CELEBRATIONE PLURIUM MISSARUM UNA DIE

§ 1. Prohibitio celebrandi plures missas una die.

24. — Notitiæ historicæ.

1° Uti supra diximus (n. **13**) consuetudo celebrationis quotidianæ totum orbem christianum, sæculo v et vi, pervasit; verum longius adhuc progressa est pietas sacerdotalis. Jam enim sæculo vii plures missas privatas eodem die celebrari passim videmus. Sic in Hispania, ubi concilium Tolet. XII (an. 681), c. 5, graviter reprehendit eos sacerdotes qui plura eodem die celebrabant sacrificia, sed in ultimo tantum sacram communionem percipiebant [1]. S. Leo III (795-816) una die *septies* vel etiam *novies* celebrabat, et hoc sæpius, ex testimonio Walafridi Strabonis, ejus coætanei (806-849) [2]. Hic auctor animadvertit [3] magnam hac in re varietatem fuisse : « Est talis, ait, qui semel tantum in die missam celebrare velit; ... alius vero *bis*, *ter*, vel *quoties libet*, eadem mysteria in die iterare congruum putat... » Quem usum valde convenientem existimat Walafridus. Imo altera missa, in favorem hospitum atque peregrinorum, circa meridiem celebrata, alicubi in usu, et etiam aliquo modo

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 326.

[2] Walafridus Strabo, *De rebus ecclesiasticis*, c. XXI; Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 943.

[3] *Loc. cit.*

in præcepto erat, ut concluditur ex testimonio Reginonis (m. an. 915)[1].

2° Origo hujus consuetudinis, ut indicat Walafridus[2], fuit usus quarumdam ecclesiarum, et imprimis Ecclesiæ romanæ, celebrandi duas et etiam plures missas solemnes in majoribus quibusdam festis, præsertim quando adesset *magna vigilia* cum missa nocturna (supra, n. **19**). Sic: 1. Romæ, in festo Nativitatis Domini, duæ missæ solemnes celebrabantur, et etiam tres tempore sancti Gregorii Magni[3]; — 2. Teste sancto Augustino[4], in die Cœnæ Domini, duæ missæ pluribus in locis erant, una pro jejunis, altera sero pro cœnatis; — 3. In festis Paschatis et Pentecostes, duæ saltem missæ erant, ut dictum est (n. **16, 19**); — 4. In festivitate sancti Joannis Baptistæ, tres missæ celebrabantur, testibus Amalario (m. a. 837), *De eccl. officiis*[5], et Alcuino (vel potius incognito auctore libri), *De divinis officiis*[6]; — 5. Imo, teste sancto Leone I, usus romanus erat : « ut, cum solemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur[7]. » — Quando ergo, in his adjunctis, unus erat sacerdos qui posset aut vellet celebrare missam, hic pluries in eodem die celebrare debebat; imo, licet præsto fuisset alius sacerdos, sæpe episcopus, aut ille qui vices ejus gerebat, ambas (aut plures) missas solemnes celebrabat, ut discimus ex exemplo sancti Gregorii Magni, *loc. cit.* — Qui quidem usus non respiciebat nisi missas

[1] *De ecclesiasticis disciplinis,* initio, in *Inquisitione,* n. 33; Migne, *P. L.,* t. CXXXII, col. 187.

[2] *Loc. cit.*

[3] S. Greg. Magnus, *Homilia in Evangelium,* 8, initio; Migne, *P. L.,* t. LXXVI, col. 1103. — De origine tertiæ missæ *ad S. Anastasiam,* cf. Duchesne, *Notes sur la topographie de Rome,* in *Mélanges d'Archéologie et d'histoire,* 1887, p. 406 sq.

[4] *Epistola,* LIV, *Ad Januarium,* n. 6-9; Migne, *P. L.,* t. XXXIII, col. 202-204.

[5] Lib. III, c. XXXVIII; Migne, *P. L.,* t. CV, col. 1157.

[6] C. XXX; Migne, *P. L.,* t. CI, col. 1230.

[7] *Epistola,* IX, *Ad Dioscorum, episcopum Alexandrinum,* c. II; Migne, *P. L.,* t. LIV, col. 626.

publicas et solemnes; sed ansam præbuit pluralitati missarum etiam privatarum.

3° Mox ergo, ad compescendos abusus, restrictio facta est, ne quis scilicet *ultra tres missas quotidie* celebraret. Quæ prior restrictio ad sæculum x refertur : 1. *Canones editi sub Edgardo rege Angliæ* (957-975) habent, can. 39 : « Docemus etiam, ut nullus sacerdos uno die sæpius quam *ter ad summum* missas celebret [1]; » — 2. Idem habent *Leges presbyterorum Northumbrensium*, n. 18 [2], ubi additur pœna contra sacerdotem delinquentem (*solvat 12 oras*); — 3. Item concilium Salegunstadiense (in Germania), an. 1022, can. 5, præcipit ut quivis sacerdos « in die *non amplius quam tres missas* celebrare præsumat [3] ».

4° Proxime secuta est altera restrictio *ad unam tantum missam in die.* Primus romanus pontifex qui eam tulerit, est Alexander II (1061-1073), cujus præscriptum relatum est a Gratiano, can. *Sufficit*, 53, dist. 1, De consecr. : « *Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare,* quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit... Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die plures præsumunt facere missas, non æstimo evadere damnationem. » Cæterum non ipse Alexander excogitavit hanc restrictionem, quam jam præscripserat Egbertus, archiepiscopus Eboracensis (735-771), iisdem fere terminis [4]. — Alexandrum secuti sunt Innocentius III, c. *Consuluisti*, 3, De celebratione missarum; Honorius III, c. *Te referente*, 12, eod. tit.; concilium Lambethense, an. 1204, can. 3 [5], aliaque plurima concilia ejusdem et posterioris temporis [6].

[1] Mansi, *Concilia*, t. xviii, col. 516.
[2] Mansi, *ibid.*, t. xix, col. 68.
[3] Mansi, *ibid.*, t. xix, col. 397.
[4] *Excerptiones Egberti*, c. liv; Mansi, t. xii, col. 418.
[5] Mansi, *ibid.*, t. xxii, col. 752.
[6] Quæ videas apud Martène, *loc. cit.*, lib. I, c. iii, art. 3, n. 18, p. 106; — Durandus (m. a. 1296) exponit disciplinam sui temporis in *Rationali*, lib. IV, c. i, n. 25-26, Lugduni, 1682, p. 91, nempe juxta c. *Consuluisti*, sed cum pluribus exceptionibus quæ hodie non admittuntur.

25. — Prohibitio celebrandi pluries una die.

1° *Demonstratio prohibitionis.* — Constat prohibitio :

1. C. *Consuluisti,* 3, De celebratione missarum, in quo dicit Innocentius III : « Respondemus, quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, *sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.* » Nec dicas cum Glossa[1], ex vocabulo *sufficit* non inferri prohibitionem iterationis, sicut ex eo quod dicatur : *Sufficit parocho semel diebus dominicis prædicare*, non sequitur alteram concionem esse prohibitam. — Nam, in dicto cap., vox *sufficit* habet sensum prohibitivum alterius celebrationis, ut constat : *a.* Ex *parte decisa*, quæ sic habet : « (Consuluisti) nos, *utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare ;* super quo respondemus, etc. ; » porro huic quæsito nullo modo respondisset Innocentius, si vocabulum *sufficit* adhibuisset in sensu Glossæ ; — *b.* Ex *ipso tenore capitis ;* si enim verbum *sufficit* intelligendum sit ad mentem Glossæ, sacerdos plures missas celebrare poterit, non tantum die Nativitatis, nec solum in casu necessitatis, sed omni die, et pro quacumque causa : quod est aperte contrarium capiti ; — *c. Interpretatione communi doctorum* (excepta Glossa), de quo cf. Benedictum XIV[2].

2. C. *Te referente,* 12, De celebratione missarum, in quo Honorius III, applicans prohibitionem iteratæ celebrationis etiam episcopo, vetat ne episcopus, etiam die Cœnæ, duas missas celebret ; unde jubet eum celebrare tantum in sua cathedrali, ad chrisma conficiendum. Ex hoc capite valde confirmatur cit. caput Innocentii III.

2° *Causa prohibitionis.* Præcipua causa prohibitionis

[1] In cit. cap., v° *Necessitatis.*

[2] In celeberrima hac de re epistola *Declarasti,* 16 martii 1746, § *Igitur omittentes* (*Bull. Bened.,* t. II, n. III). Hanc epistolam habes ad calcem voluminis, *Documentum II.* — Cf. etiam Bened. XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 23 sq.

videtur fuisse, ut omnis occasio et etiam suspicio avaritiæ longe amoveatur a sacerdotibus. — Hoc deducitur : 1. Ex cit. can. *Sufficit*, 53, dist. I, De consecr., in quo Alexander II tam severe carpit sacerdotes missam iterantes *pro pecuniis aut adulationibus sæcularium;* — 2. Ex *actis decretisque conciliorum* hujus temporis (nempe sæculis xii et xiii), quæ tota sunt ut compescant abusus ex cupiditate quorumdam sacerdotum ortos, occasione celebrationis missarum [1]. Unde hoc fatentur peritissimi quique in his rebus, v. g., Vicecomes, Thomassin, de Berlendis, Benedictus XIV, Giraldi [2], etc.

§ 2. Exceptiones legi apponendæ.

26. Prima exceptio in die Nativitatis Domini. — *Hac die, cuilibet sacerdoti licitum est tres missas celebrare.* — Constat ipso jure, nempe cit. c. *Consuluisti,* in quo a prohibitione pluries eadem die celebrandi, excipitur expresse dies Nativitatis Domini; unde hic dies relinquitur in sua antiqua disciplina, juxta quam tres missæ celebrari solebant. — De qua exceptione hæc dicenda :

1. Sacerdos licet possit hac die tres missas celebrare, non tamen tenetur, et ideo potest vel duas, vel unam tantum celebrare. Tunc autem, inter tres missas in missali posi-

[1] Videas hæc concilia, præsertim Londinense, an. 1200; Parisiense, an. 1212, apud Thomassin, *Discipline de l'Église,* part. III, liv. I, c. lxxii, n. 6-7, ed. 1866, t. vi, p. 477 sq.

[2] Vicecomes, *De antiquis missæ ritibus,* lib. III, c. xxviii, in fine (*Observationum eccl.,* Mediolani, 1620, t. iii, p. 276); — Thomassin, *loc. cit.;* — de Berlendis, *De oblationibus ad altare,* part. II, § 6, n. 9-10, Venetiis, 1743, p. 356; — Benedictus XIV, breve *Quod expensis,* 26 aug. 1748, n. 3 (*Bull. Bened.,* t. ii, n. lxi), et *De synodo,* lib. V, c. viii, n. 8; — Giraldi, *Expositio juris pont.,* part. I, sect. dcv, Romæ, 1829, t. i, p. 431.

tas, eligat « missam quæ respondeat circiter horæ juxta rubricas speciales ejusdem diei[1] ». Et idem dicas de duobus missis. Non tamen dici potest missa *privata* in media nocte, ut supra dictum est (n. **23**).

2. Sacerdos non potest *eamdem missam* bis, multo minus ter, legere; quod deducitur ex ipsis hujus diei Rubricis. — Imo hæc prohibitio extenditur, a S. Rit. Congr., ad casum quo sacerdos, ob causam, v. g., infirmitatis, fruitur indulto dicendi missam *de beata Maria virgine*, ita ut non possit, die Nativitatis Domini, iterare eamdem missam *de Beata*. Ita S. Rit. Congr., in *Barcinonen.*, 11 apr. 1840, ad 4, et in *Nolana*, 28 apr. 1866, ad 6[2]. Quæ responsa, licet non constituant Decretum generale, nec proinde facile extendenda sint ad totum orbem[3], videntur tamen observanda esse ab omnibus sacerdotibus qui hujusmodi indulto utuntur, quia *indulta intelligi debent ad mentem concedentis.*

3. Pro singulis missis recipi potest eleemosyna seu stipendium, quia nempe, ut constat can. *Consuluisti*, missæ hujus festi Nativitatis Domini prorsus relictæ sunt in sua antiqua disciplina. Benedictus XIV, const. *Quod expensis*, 26 aug. 1748, § *Scimus etiam* (*Bull. Bened.*, t. II, n. LXI); — Giraldi, *loc. cit.*

4. In ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus, celebrari *debent* tres missæ conventuales, ut patet ex *Rubricis missalis*, part. I, tit. XV, n. 4; et in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in *Tiburtina*, 27 martii 1824.

[1] S. Rit. Congr., in una *Ordinis carthusianorum*, 19 junii 1875 (*Decreta authentica*, n. 3354, t. III, p. 53), quod confirmavit in *Calaguritana*, 13 febr. 1892, ad 21 (*Ibid.*, n. 3767, t. III, p. 228).

[2] *Decreta authentica*, n. 2802, 3146, t. II, p. 290, 450.

[3] Stante controversia de vi generali responsorum *particularium* S. Rit. Congr. (Bouix, *De curia romana*, Parisiis, 1859, p. 361).

ad 1[1]. — Quoad horas, notantur eodem loco *rubricarum*, n. 4 : « ... Missæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur *post mediam noctem...;* secunda, *in aurora,* dictis Laudibus et Prima; tertia vero *in die* post Tertiam vel *ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur.* » Unde servandæ sunt horæ præscriptæ nisi detur apostolica dispensatio, quæ revera, stante legitimo impedimento, pluries data est, v. g., in dicta *Tiburtina;* in *Gerunden.,* 3 apr. 1830[2]; in *Atrien.,* 19 maii 1838[3].

5. Sacerdotes *ritus orientalis* non fruuntur jure ter celebrandi in die festo Nativitatis Domini. — Nullum enim verbum de hac trina celebratione in eorum quibuscumque liturgiis reperitur; unde concilium Maronitarum, an. 1736, affirmat hujusmodi consuetudinem non fuisse invectam in Ecclesiam Orientalem, ideoque prohibet hanc trium missarum die Nativitatis Domini celebrationem[4]. Imo pluries petita ab Orientalibus indulta trinæ hujus celebrationis recusarunt Romani Pontifices, teste Benedicto XIV, Const. *In superiori,* 29 dec. 1755[5].

27. — Secunda exceptio ex privilegiis aut indultis.

1° In veteri regno Aragoniæ (sub quo nomine intelligebantur etiam Catalaunia, Valentia et ditio Majorica), antiquissima consuetudo erat ut die *Commemorationis omnium fidelium defunctorum* sacerdotes regulares *tres missas*, sæculares vero *duas missas* celebrarent. Quæ consuetudo oraculo pontificio confirmata etiamnunc valet in omnibus regionibus quæ correspondent præfato Aragoniæ regno.

[1] *Decreta authentica,* n. 2631, t. II, p. 208.
[2] *Ibid.,* n. 2676, t. II, p. 230.
[3] *Ibid.,* n. 2778, t. II, p. 281.
[4] Part. II, c. XIII, n. 17; *Concilia, Coll. Lac.,* t. II, p. 221.
[5] *Bull. Bened.,* t. IV, n. LII.

Benedictus XIV hanc consuetudinem non modo confirmat, sed etiam ampliat, ut statim dicetur, brevi *Quod expensis*, 26 aug. 1748[1].

2° Vetus regnum Aragoniæ complectebatur etiam, ante annum 1642, provinciam dictam *Roussillon*, quæ hoc anno Galliis annexa fuit. Unde præfata consuetudo *trium* vel *duarum* missarum, qualis erat ante hunc annum, perseveravit in illa provincia, nunc tamen non amplius viget in diœcesi Elnensi (*Perpignan*), quæ correspondet illi provinciæ.

3° Benedictus XIV, dicta Const. *Quod expensis*, an. 1748, pro omnibus regnis et dominiis, regibus Lusitaniæ et Hispaniæ tunc subjectis, concessit ut die Commemorationis omnium defunctorum omnes sacerdotes, sive regulares, sive sæculares, *tres missas* celebrare possint. Quæ concessio etiam profuit sacerdotibus *sæcularibus* Aragoniæ, sed tantum illi parti quæ hoc tempore regibus Hispaniæ subdita erat[2]. De qua concessione hæc dicenda:

1. Novæ missæ non concessæ fuerunt nisi sub his legibus : *a*. Ut applicarentur in genere pro *omnibus defunctis;* — *b*. Ut nullum prorsus stipendium, *directe* vel *indirecte*, vel etiam *sponte* oblatum, perciperetur ex his missis; — *c*. Ut concessio non prosit nisi sacerdotibus in his locis *actu commorantibus*. — Constat Brevi *Quod expensis;*

[1] *Bull. Bened.*, t. II, n. LXI, § 1, et § *Sed duæ*. — Cf. etiam Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, sectio II, n. 31 sq., Lovanii, 1762, p. 44; — et Epist. *Declarasti*, 16 martii 1746, § *Præterea vobis* (*Bull. Bened.*, t. II, n. III).

[2] Unde concessio non profuit provinciæ *Roussillon*, in qua consuetudo remansit, ut antea. Licet autem multa dominia (v. g., in America centrali et meridionali) non amplius nunc subjecta sint Hispaniæ aut Lusitaniæ, remanet tamen Indultum trium missarum. In genere, præter Hispaniam et Lusitaniam, viget hodie hoc Indultum pro tota sic dicta *America latina*. Cf. *Acta et Decreta concilii plenarii Americæ latinæ*, an. 1899, n. 348, Romæ, 1900, p. 63.

nota bene his legibus non subjici nisi *novas* missas concessas, antiquas proinde remanere sub suo jure consuetudinario.

2. Ut non desit tempus illas celebrandi, concessit pariter sacerdotibus Benedictus XIV, « ut tres missas etiam *duabus post meridiem horis* libere et licite celebrare possint[1]. »

3. Ex recentioribus decisionibus sacerdotes, de quibus agitur, missas celebrare debent : primam, ut in die *Commemorationis omnium fidelium;* secundam, ut in *Anniversario;* tertiam, ut in *Quotidianis*. Qui autem unam tantum celebrare velit, dicat primam; si quis duas, dicat primam, et alteram *ad libitum*[2].

N. B. Celebrare plus quam unam missam in die Commemorationis omnium Defunctorum, sine indulto[3] aut privilegio, est *abusus* ab Episcopis eliminandus, ut declaravit S. Rit. Congr.[4].

28. — Tertia exceptio in casu necessitatis. — *In casu necessitatis, licitum est sacerdoti bis in die celebrare.* — Constat ipso jure, nempe cit. c. *Consuluisti,* 3, De celebratione missarum, in quo hoc expressis terminis cavetur : « ... Excepto die Nativitatis Domini, *nisi causa necessitatis suadeat*, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. » De quo plura quærenda sunt :

[1] *De sacrificio missæ,* part. II, n. 32, p. 47. Cf. etiam p. 393.

[2] S. Rit. Congr., in *Calaguritana,* 13 feb. 1892, ad 28 (*Acta S. Sedis,* t. XXV, p. 48).

[3] Cf. Indultum partiale duas missas hoc die celebrandi concessum a S. Congr. Conc., in *Gratianopolitana,* 10 maii 1884 (*Canoniste,* t. VII, an. 1884, p. 412, 420).

[4] In *Arboren.* (Oristano, in Sardinia), 11 jan. 1676; — et in alia *Arboren.,* 26 nov. 1678 (*Decreta authentica,* n. 1554, 1617, t. I, p. 323, 340).

29. — Quæritur 1° *Quandonam adsit causa necessitatis, ad effectum de quo agitur?* — Resp. :

1° Deficiente lege scripta, quæ definiat quandonam adsit prædicta causa necessitatis, recurrendum est ad doctorum communem opinionem et ad jurisprudentiam Sacrarum Congregationum. Porro, his inspectis, dicendum est ad præfatam necessitatem tria requiri :

a. Ut sacerdos — vel *regat duas parochias adeo inter se dissitas*, sive locorum distantia, sive itineris difficultate, *ut fideles unius non possint in alterius ecclesiam convenire;* — vel *in una parochia habeat duos populos, adeo pariter inter se dissitos, ut non possint simul ambo convenire;* — vel *unam quidem habeat ecclesiam, ita tamen ut plebs universa non possit simul convenire*, sive propter exiguitatem ecclesiæ, sive quia fideles non possunt omnes simul abesse a suis domibus, etc.

b. Ut non sit alius sacerdos qui præsto sit ad celebrandam missam et sic occurrendum necessitati fidelium.

c. Ut agatur de die dominico vel festo *de præcepto*.

Constant hæc omnia : 1. Ex Benedicti XIV epistola *Declarasti*, 16 martii 1746 [1], ad episcopum Oscensem, quæ, licet non sit nisi epistola ad unum episcopum, magnæ tamen auctoritatis est, utpote a tam docto et sapiente pontifice scripta, multisque munita documentis; porro hæc omnia supra perscripta diserte docet Benedictus XIV in præfata epistola, præsertim §§ *Quamvis nonnulli, — Quod si Limanæ, — Ea potissimum;* — 2. Ex *jurisprudentia Sacrarum Rom. Congregationum;* sic : *a*. S. Congr. Conc., ante tempora Benedicti XIV, plura responsa edidit in præ-

[1] *Bull. Bened.*, t. II, n. III; hanc habes, ut jam dixi, ad calcem voluminis, *Documentum II.* — Cf. etiam Benedicti XIV *De sacrificio missæ*, part. II, n. 33-39, Lovanii, 1762, p. 48 sq.

dicto sensu[1]; et, a tempore Benedicti XIV, remittere solet ad epistolam *Declarasti*, tamquam ad normam in casu servandam; ita fecit, v. g., die 14 oct. 1843, ad archiep. Cameracensem[2]; in *Lingonen.*, 12 jan. 1847[3]; in *Salamantina*, 22 feb. 1862[4]; — *b.* S. Congr. de Prop. Fide, in *Instructione*, 24 maii 1870, *De sacrosancto missæ sacrificio bis in die celebrando*[5], eadem prorsus docet, n. 10, se referens ad epistolam *Declarasti;* — *c.* Eadem principia applicat S. Rit. Congr., ut constat ex ejus responsis tum in *Ambianen.*, 22 maii 1841[6], tum in *Nivernen.*, 8 martii 1879, ad 4[7]; — 3. Ex *genuino sensu* vocabuli *necessitatis*, quod adhibetur in c. *Consuluisti; necessitas* enim, in proprio sensu, distinguitur a *commoditate* et *utilitate*, et proinde supponit *præceptum* ecclesiasticum audiendi missam, quod aliter impleri nequeat, quam si unus sacerdos bis eadem die celebret; — 4. Ex *communi*, saltem hodie, *opinione canonistarum et theologorum;* olim quidem Glossa[8] tenuit sufficere causam *utilitatis* (populi fidelis, non presbyteri), quam plures secuti sunt, v. g., Durandus Mimatensis[9], et alii quos refert Bened. XIV in epistola *Declarasti*[10]; verum a tempore concilii Trid., et præsertim Benedicti XIV, omnes conveniunt in opinionem

[1] Quæ legas in *Voto* card. Zelada, in *Derthusen.*, 20 aug. 1768, in quo doctissimus auctor commentatur epistolam Benedicti XIV (*Thesaurus* S. Congr. Conc., t. XXXVII, p. 208-224).

[2] Hoc responsum habes in folio causæ *Cameracensis*, 25 sept. 1858; *Thesaurus*, t. CXVII, p. 403.

[3] Relata in *Salamantina* (*Thesaurus*, t. CXXI, p. 68).

[4] *Thesaurus*, t. CXXI, p. 71-72.

[5] *Collectanea* Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 792, p. 295.

[6] *Decreta authentica*, n. 2827, t. II, p. 299.

[7] *Ibid.*, n. 3181, t. III, p. 104.

[8] In c. *Consuluisti*, v° *Necessitatis* (*Corpus J. C.*, cum glossis, Lugduni, 1671, t. II, p. 1366).

[9] *Rationale*, lib. IV, c. I, n. 25, Lugduni, 1672, p. 91.

[10] § *Et utilitas.*

supra descriptam, ita ut hac de re non sit amplius controversia.

2° Ut infra dicitur (n. **32**), Episcopi est de re cognoscere et judicare num sit necessitas requisita, attentis locorum distantia, numero fidelium qui missa carerent, difficultate itinerum, etc. — In cit. *Lingonen.*, agebatur de viculo *uno fere milliario* a parochiali ecclesia distante, et *viginti circiter personis* constante; porro episcopo Lingonensi responsum fuit : « In casu quem idem orator proponit, licentiam esse concedendam. »

3° Hinc non sufficit ad iterationem missæ : 1° Si agatur de *necessitate* seu inopia ipsius sacerdotis, quam causam semper exploserunt S. Congregationes [1], eo magis quod omnino prohibitum est eleemosynam accipere pro secunda missa, ut infra dicetur; — 2. Nec si agatur de die festo quidem, sed *suppresso;* tum enim evanescit proprie dicta *necessitas* [2]*;* — 3. Nec si agatur de secunda missa celebranda in *oratoriis domesticis,* quia tunc finis iterationis missæ non attingitur, quum fideles, paucis exceptis, non satisfaciant præcepto audiendi missam in his oratoriis; ita pariter S. Congr. de Prop. Fide [3]; — 4. Nec si præsto sit alius sacerdos, qui celebrare valeat, ut statim latius dicam.

4° De *præsentia alterius sacerdotis,* hæc dicenda : 1. Non prohibetur iteratio missæ, eo solo quod in loco sit alius sacerdos, sed tantum, ut recte ait Benedictus XIV [4], « si alius sacerdos *præsto sit,* » qui, nempe, ut alibi ait,

[1] Cf. cit. *Instructionem* S. Congr. de Prop. Fide, n. 8.

[2] Indulta bis celebrandi diebus festis *suppressis* aliquando negavit, aliquando (v. g., pro die Circumcisionis, in *Argentinen.,* 17 sept. 1859) concessit Sacra Conc. Congr. (Lucidi, *De visitatione,* etc., c. III, n. 381-382, Romæ, 1878, t. I, p. 439). — Cf. etiam *Acta S. Sedis,* t. XIII, p. 343.

[3] In cit. *instructione,* n. 6.

[4] Epist. *Declarasti,* § *Ea potissimum.*

« sacrum facere valeat[1]; » si enim in loco sit quidem alius sacerdos, sed infirmus, impotens, interdictus, etc., est in loco *quasi non sit;* — 2. Episcopus potest adigere presbyterum, aliunde liberum, ut sacrum faciat, die festo, ad occurrendum necessitati fidelium : quod defluit tum ex jure episcopali, tum ex concilio Trid., c. *Qui pie,* 14, sess. XXIII, De ref. : « Curet Episcopus ut ii (presbyteri etiam non curati) saltem *diebus dominicis, et festis solemnibus...* missas celebrent[2]; » quod tamen intelligo de presbytero *diœcesano,* non *extraneo,* in quem hac de re jurisdictionem non habere videtur Episcopus; — 3. Attamen in casu Episcopus presbyterum ad celebrandum inducere debet « solis adhortationibus et admonitionibus, non vero sub pœnis et censuris », uti respondit S. Congr. Concilii, die 25 febr. 1617[3]; — 4. Quia vero nemo « militat suis stipendiis unquam... et qui altari deserviunt, cum altari participant[4] », Episcopus curare debet ne sacerdos, alteram missam celebraturus, careat stipendio pro hac missa, et hoc stipendium illi tribuatur vel a parocho, vel a fidelibus, vel etiam ex propria mensa episcopali, ut ait Benedictus XIV[5].

30. — Quæritur 2° *Quid dicendum de consuetudine relative ad necessitatem requisitam.* — Resp. :

1° Si agatur de consuetudine quæ permittat missam celebrari *extra casum necessitatis,* et proinde contraria sit c. *Consuluisti,* servari nequit. — Nam 1. Licet hæc consuetudo non inveniatur in jure *reprobata,* attamen non est

[1] Epist. *Declarasti,* § *Hæc sunt.*

[2] Cf. Bened. XIV, Epist. *Declarasti,* § *Minus quoque.*

[3] Apud Giraldi, *Expositio juris pont.,* pars I, sect. DCVIII, Romæ, 1829, p. 438.

[4] I Cor., IX, 7, 13.

[5] Epist. *Declarasti,* §§ *Minus quoque,* et *Porro difficile.*

rationabilis, propter magnos abusus, quibus portam latam aperit, ad quos compescendos abusus præcise conditum est c. *Consuluisti;* — 2. Talem consuetudinem, statim ac proponitur, removendam jubent S. Romanæ Congregationes, vel nullam ejus rationem habent; sic, v. g., S. Congr. Conc., in *Salamantina*, 22 febr. 1862, « nulla habita ratione consuetudinis[1]; » — in *Malacitana*, 25 apr. 1897[2]; — ita etiam S. Congr. de Prop. Fide, uti constat ex cit. ejus *Instructione*, n. 7; — et S. Rit. Congr., in *Ambianen.*, 22 maii 1841, respondit : « Teneri Episcopum consuetudinem seu *abusum* omnino eliminare[3]. » Unde communiter inveneris doctores sic sentientes, cum Benedicto XIV[4] et card. Zelada[5].

2° Si vero agatur de consuetudine, juxta quam requiratur quidem *necessitas*, non vero *adeo extrema et urgens*, quam supponere videntur quidam doctores, bene vero *necessitas moralis* et *practica, attentis moribus hodiernis*, hæc consuetudo permitti potest. — Nam : 1. Non est contraria capiti *Consuluisti*, qui est solus textus proprie legislativus hac in re; — 2. Hodie *necessitas*, quam requirit hoc caput, vere existit in casibus, in quibus olim non existebat, quando fideles, ut missæ interessent, labores et incommoda, etiam sat gravia, non reformidabant; hodie vero fideles tepidi studium religionis remittunt et negligunt, ita ut, nisi sat facilis ipsis sit auditio missæ, hanc relinquant; unde *quod non erat olim necessarium, hodie necessarium est;* — 3. Unde etiam S. Congr. Concilii aliquid de pristino rigore remittendum censuit, ut patet ex pluribus responsis aut indultis, relatis in *Folio* causæ *Gien-*

[1] *Thesaurus*, t. CXXI, p. 72.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 624-625.
[3] *Decreta authentica*, n. 2827, t. II, p. 299.
[4] Epist. *Declarasti*, § *Parochi*, et sq.
[5] In ejus *Voto* supra allegato, n. 25-26 (*Thesaurus*, t. XXXVII, p. 218).

nensis, 17 dec. 1898[1]; — 4. Satis caventur abusus ex iteratione missæ olim orti, per rigorosam prohibitionem stipendium percipiendi pro secunda missa, de quo infra. — Unde nil obstat quin dicta consuetudo ut *rationalis* habeatur.

31. — **Quæritur 3°** *Quid dicendum de casu extraordinario necessitatis*, nempe *moribundi sacro viatico reficiendi.* — Resp. :

Omnes concedunt sacerdotes posse secundam missam in una die celebrare, ut consecret particulam deferendam moribundo, qui alioquin sine viatico decederet. Ita non solum antiqui[2], sed et recentes[3], et hodierni scriptores[4]. Et ratio est evidens; adest enim urgens necessitas. — Et id etiam ultro concedimus. Verum, fatendum est vix posse casum accidere; nam, si sacerdos de moribundo viaticum petente moneatur ante consecrationem suæ missæ, vel etiam ante communionem, consecrabit particulam pro moribundo, vel ex magna Hostia reservabit partem pro ipso; si moneatur post sumptam purificationem, jam non erit jejunus, et sic non poterit alteram missam celebrare; quia sacerdos non jejunus prohibetur celebrare, etiam ut ministrare possit viaticum moribundo[5]. Ergo requiritur ut moneatur intra illa brevissima temporis momenta quæ interce-

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 528.

[2] V. g., Durandus Mimatensis, *loc. cit.*, n. 25.

[3] V. g., Schmalzg., in tit. *De celebratione missarum*, n. 41; — item tacite Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 38, p. 55.

[4] V. g., Gasparri, *loc. cit.*, n. 390.

[5] Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 100, p. 164; — de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XV, n. 68; — Suarez, *In P. III D. Thomæ*, disp. LXVIII, sect. V, n. 5; — S. Alphonsus, lib. VI, n. 286, aliique communius, contra paucos, qui tenent sacerdotem non jejunum posse celebrare, ad dandum Viaticum moribundo : quorum opinionem *probabilem* putat S. Alphonsus. Sed de hoc infra (n. **179**).

dunt inter sumptionem Hostiæ et sumptam primam purificationem : quod vix accidere potest; si tamen de facto accidat, non sumet purificationes, et bis celebrare poterit.

32. — **Quæritur 4°** *Num, ad missæ iterationem, requiratur, non tantum necessitas, sed etiam licentia superioris?* — Resp. :

1° Controversum fuit utrum requireretur, necne, licentia Episcopi, aliis dicentibus eam non requiri, quia hæc licentia datur a jure (nempe in c. *Consuluisti*), aliis dicentibus requiri, quia nempe judicium hac de re pertinet ad Episcopum. — Tenendum est requiri licentiam Episcopi, aut saltem, quod ad idem redit, ut bene ait Benedictus XIV[1], ut moneatur Episcopus et hic judicet num adsit requisita necessitas. Nam : 1. Sacerdos non potest judicare solus de necessitate vere exstante, quum hoc judicium pendeat a pluribus, v. g., a præsentia vel deficientia alterius sacerdotis, etc., de quibus solus Episcopus recte judicare aut statuere potest; — 2. Talis est omnino jurisprudentia S. Congr. Concilii, quæ pluries ita declaravit : « *Ordinariorum* scilicet *esse de re cognoscere,* et *perpendere num revera necessitas urgeat,* etc.[2]. » — Et ita graviores doctores, v. g., Verricelli, Zelada, Pasqualigus, etc.[3]; imo Benedictus XIV, in epistola *Declarasti*[4], ait hoc esse certissimum. — In casu repentino, in quo non possit moneri Episcopus, posse sacerdotem iterare missam, sine licentia, negari nequit, *modo* tamen *certo constet de necessitate.*

[1] Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* t. II, n. 37, p. 52-53.

[2] Ita, 14 oct. 1843, ad Archiepiscopum Cameracensen.; sic refertur in *Cameracen.,* 25 sept. 1858 (*Thesaurus*, t. CXVII, p. 403).

[3] Verricelli, *De Apostolicis missionibus,* tit. IV, q. XCVIII, n. 202, p. 259 (sine loco nec anno ed., circa 1653); — Zelada, in suo cit. *Voto,* n. 19 (*Thesaurus,* t. XXXVII, p. 215-216); — Pasqualigus, apud Zelada, *loc. cit.*

[4] § *Tui præterea.*

2° Dixit auctor periodici *Analecta Juris Pontificii*[1] requiri *licentiam Sedis apostolicæ*, saltem quando *in eadem ecclesia* duæ missæ celebrandæ sunt. — Sed hoc nullo jure nullave ratione demonstratur; quia quod duæ missæ celebrari debeant in duabus ecclesiis, vel in una ecclesia, modo adsit requisita necessitas, parvi refert, et, ut ait Benedictus XIV[2], « hi duo casus eodem jure censendi sunt. » Unde S. Congr. Conc., non distinguens inter casum et casum, declaravit, ut dictum est : « *Ordinariorum* esse de re cognoscere, etc. »

33. — Quæritur 5° *Quid servari debeat, quando missa iteratur?* — Resp. : 1° Quoad *stipendium;* omnino prohibitum est ne sacerdos, celebrans alteram missam, pro hac recipiat stipendium; sed de hoc opportunius agetur in capite sequenti.

2° Quoad *ritum liturgicum*, servanda est imprimis lex in *Rubricis missalis* (part. III, tit. IX, n. 4) posita : « Si plures missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, *in unaquaque missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem.* » Cui concinit rubrica specialis, in vigilia Nativitatis Domini posita. — Quod statutum est ut sacerdos remaneat jejunus post primas missas. — Deinde, quoad *usum* et *purificationem calicis*, distinguendum :

1. Si sacerdos utramque missam in eadem ecclesia celebret, utitur eodem calice, quem, post prioris missæ communionem, impurificatum relinquit (sicut in duabus primis Nativitatis Domini), deinde operit patena, palla et velo. Finita autem missa, calix vel relinquitur in altari, vel

[1] Oct. 1853, p. 545 sq. — Similia tenet Grandclaude, *Jus canonicum*, Parisiis, 1882, t. II, p. 522.

[2] Epist. *Declarasti*, § *Ea potissimum.*

reponitur in sacrario (in loco decenti et clauso), vel in tabernaculo, semper super corporali [1].

2. Si sacerdos missas celebret in diversis ecclesiis, uti potest duobus calicibus; quod S. Rit. Congr., reformata priori decisione 16 sept. 1815 [2], concessit, in una *Plurium diœcesium*, 11 martii 1858, dicens : « Usum duorum calicum in casu posse permitti [3]. » — Sive autem uno calice (in alteram ecclesiam transferendo), sive duobus utatur, sacerdos in priori missa purificare debet calicem, juxta *Instructionem* S. Rit. Congr., præfato decreto an. 1858 adjunctam, nempe : « Diligentissime sumat pretiosum Sanguinem, et calicem, ut supra, patena, palla et velo operiat; deinde, finito ultimo Evangelio, inspiciat num quid remaneat pretiosi Sanguinis ; si quid remaneat, illud, ut supra, sumat, et tandem aqua immissa calicem purificet; quæ aqua vel reservetur ab eodem sacerdote altera die in missa sumenda, vel exsiccanda relinquatur in sacrario, vel demittatur in piscinam. » Ita, in dicta *Instructione* S. Rit. Congr. [4]. — Si sacerdos hanc aquam purificationis secum deferre velit in alteram ecclesiam, ibi a se sumendam (ut quidam faciunt), licet, ex responso S. Rit. Congr. in *Romana Dubiorum*, 9 maii 1893, ad 5 [5].

34. — Quæritur 6° *Quid dicendum pro locis missionum.*

1° Vicarii apostolici fruuntur potestate concedendi iterationem missæ, sicut ipsi Episcopi, ad tramitem c. *Consu-*

[1] S. Rituum Congr., 16 sept. 1815 (Gardellini, n. 4365, Romæ, 1825, t. v, p. 201), et S. Congr. de Prop. Fide, in cit. *Instructione*, in fine, p. 300. — Cf. de Herdt, *Sacræ liturgiæ præxis*, n. 284, t. I, p. 344.

[2] Gardellini, *loc. cit.*; quæ responsio an. 1815 omissa fuit in *Decretis authenticis*, an. 1898.

[3] *Decreta authentica*, n. 3068, t. II, p. 411.

[4] Habes hanc S. Rit. Congr. *instructionem* in extenso relatam ad calcem hujus voluminis, *documentum III.*

[5] *Decreta auth.*, n. 3798, t. III, p. 247.

luisti, et juxta jurisprudentiam in epist. *Declarasti* et decisionibus S. Congr. Rom. contentam. — Constat decisione S. Officii, 22 febr. 1888, a Leone XIII approbata [1].

2° Insuper eisdem aliisque Superioribus missionum communicari solet amplior facultas, vi *formulæ I*, n. 23. In hoc n. 23 [2], sic legitur : « Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat (ita tamen ut in prima missa non sumpserit ablutionem)... Caveat vero ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam *ex gravissimis causis* et *rarissime* utatur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur ut *paucis* dumtaxat, *iisque maturioris prudentiæ ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus*, eamdem communicet aut respective causas approbet. » Licet clausulæ sint rigidæ, hæc formula confert tamen Vicariis apostolicis ampliorem potestatem, quam ea quæ deducitur ex jure communi ; aliter esset inutilis, ut ait ipsa S. Congr. de Prop. Fide [3] ; sic possunt iterare missam aut iterationem concedere etiam pro *diebus non festivis de præcepto*, vel pro *non magno numero fidelium*, etc. Æstimatio autem hujus necessitatis relinquitur *charitati et prudentiæ Vicarii aut Præfecti apostolici*, ut sæpe respondit eadem Congr. [4].

35. — **Quæritur 7°** *Num, in casu necessitatis, permitti possit una die etiam tertia missa.* — Resp. :

[1] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 795, p. 301.

[2] *Collectanea*, n. 792, p. 295, not. 1 ; — vel *Acta S. Sedis*, t. VII, p. 303 (ubi tota *Formula I* perscribitur).

[3] *Instructio*, 24 maii 1870, n. 11 (*Collectanea*, n. 792, p. 295).

[4] *Ibid.*, n. 13 sq.

1° Vi *facultatis concessæ locis missionum*, non potest concedi tertia missa, ut patet ipsis terminis *Formulæ*, n. 23 : « Celebrandi *bis* in die... » Hinc S. Congr. de Prop. Fide, in cit. *Instructione*, negat prorsus *vigore facultatum posse celebrari aut concedi tres missas*. idque probat pluribus suis decisionibus [1].

2° Vi *juris communis*, controvertitur utrum Episcopus possit, necne, in casu necessitatis, permittere una die tres missas. Alii dicunt eum *non posse* permittere, tum propter dictas S. Congr. de Fide decisiones; — tum quia S. Congr. Conc. in *Mexicana*, 20 dec. 1879, indulgens Archiepiscopo, ut tres missas diebus festis concedere posset, ei mandavit, in adjecta *Mente* : « Ut ultra tertiam missam nullam nullaque de causa iterationem permittas; necnon ut, concessionis tempore durante, *res componere satagas ad tramites disciplinæ vigentis, qua scilicet plebis necessitati audiendi sacrum satis consulatur per binationem* [2]; » — tum quia eadem S. Congr. Conc., in *Costaricen.* 6 maii 1893, concessit potestatem concedendi binationem « excluso tamen, quocumque in casu, ut quisque e sacerdotibus tertiam missam celebrare possit [3] ». Sic cl. Gasparri [4]. — Alii vero dicunt, *exstante gravissimo necessitatis casu*, etiam tertiam missam posse Episcopum permittere, quia, ex una parte, c. *Consuluisti* nullo modo restringit iterationem ad duas missas, et in altera, nullum prorsus decretum generale prohibet tres missas, servatis servandis; quoad allegatas decisiones in contrarium, decisiones S. Congr. de Prop. Fide expresse agunt de *vi formulæ*

[1] *Instructio*, n. 3, p. 296.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XXIX, p. 91, 92. — Cf. t. XIII, p. 340.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 237.

[4] *De Eucharistia*, n. 379, t. I, p. 271-272. — Inter veteres, idem docuerat Fagundez, *Quinque Ecclesiæ præcepta*, præc. I, lib. III, c. XVI, n. 5, Lugduni, 1626, p. 224.

Missionariis concessæ ; resolutiones autem S. Congr. Conc. nec urgent, nec generales sunt. Ita Avanzini, scriptor periodici *Acta S. Sedis;* d'Annibale, etc.[1].

[1] Avanzini, *Acta S. Sedis,* t. VI, p. 568, not. 1; — d'Annibale, *Summula,* t. III, n. 405, not. 55 (ed. 3, p. 323). — Inter antiquos, idem docuerant Suarez (*In part. III,* disp. LXXX, sect. III, n. 5); — de Lugo, *Responsa moralia,* lib. I, d. XII, n. 2, Venetiis, 1751, t. VII, p. 9; — Verricelli, *De apostolicis missionibus,* tit. IV, q. XCVIII, n. 203, p. 259.

CAPUT IV

DE MISSARUM ELEEMOSYNIS MANUALIBUS

§ 1. Notitiæ historicæ circa oblationes [1].

36. — Oblationes communes.

1° *Notio.* — Olim in missa duplex genus fiebat oblationum ; aliæ nempe quæ ad usum ipsius sacrificii destinatæ erant ; aliæ vero quæ in usum ministrorum ; ne autem hæ cum illis confunderentur, præceptum est ut priores offerrentur tempore *offertorii*, nempe post missam catechumenorum ; aliæ autem vel ante evangelium, vel ante missam deponerentur, aut etiam directe ad domum episcopi deferrentur. — Agitur hic præsertim de prioris generis oblationibus, quæ revera proprie pertinent ad missam ; vocantur autem hæ oblationes *communes*, ut distinguantur ab oblationibus *specialibus* seu stipendiis, quæ aliquis privatus dat alicui presbytero ut sibi specialiter applicet fructum sacrificii ; illæ autem offerebantur ab omnibus fidelibus, qui missæ intererant, ut in communi participes fierent fructuum hujus missæ, et pars reliqua cederet in usum communem cleri.

2° *Antiquitas harum oblationum.* — Antiquissimæ sunt hujus-

[1] Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. IV, art. 6, Bassani, 1788, t. I, p. 139 sq. ; — Bingham, *Origines ecclesiasticæ*, lib. V, c. II, Halæ, 1728, t. VI, p. 250 sq. ; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. III, liv. I, c. LXX-LXXIII, Bar-le-Duc, 1866, t. VI, p. 462 sq. ; — de Berlendis, *De oblationibus ad altare*, Venetiis, 1713.

modi oblationes, nam earum mentio occurrit aut usus supponitur in plerisque priorum sæculorum monumentis. Sic S. Cyprianus, *De opere et eleemosyna*, xv, invehitur in matronam divitem quæ nihil ad altare offerebat : « Locuples et dives es, et dominicum celebrare te credis, quæ Corban omnino non respicis, *quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis* [1]. » De his oblationibus legitur in *Constit. apost.*, lib. VIII, c. xxxi : « *Eulogias quæ in mysticis oblationibus supersunt*, diaconi, ex voluntate Episcopi aut presbyterorum, distribuant clero [2]; » unde eulogiæ (seu *panis benedictus*) dicebantur partes oblationum, quæ non fuerant consecratæ. Idem fere dicit Theophilus, episcopus Alexandrinus (m. a. 412) : « *Quæ in sacrificii rationem offeruntur, post ea quæ in mysteriorum usum consumuntur*, clerici dividant [3]. » Unde de Chrysantho, episcopo Novatiano (circa annum 400), scribit Socrates : « Ab ecclesiis nihil accepit, præter duos panes eulogiarum, singulis diebus dominicis [4]. » — Cf. etiam statim referendos canones apostolorum et canonem concilii Carthaginensis III [5].

3° *Materia oblationum.* — Nihil regulariter debebat offerri præter materiam sacrificii, nempe *panem* et *vinum*. Cum autem, tertio vel quarto sæculo, aliqui vellent offerre ad altare, præter materiam sacrificii, alia quæpiam, hoc prohibuere canones apostolorum et concilia. Sic ait can. apost. 3 : « Si quis episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliqua animalia aut legumina supra altare obtulerit... deponitur [6]. » Hic canon non tolerat offerri ad altare (præter panem et vinum), nisi *frumen-*

[1] Migne, *P. L.*, t. iv, col. 612.
[2] Migne, *P. G.*, t. i, col. 1128.
[3] Theophili *Canones*, can. 7; Migne, *P. G.*, t. lxv, col. 42.
[4] *H. E.*, lib. VII, c. xii; Migne, *P. G.*, t. lxvii, col. 759.
[5] Nulla tamen oblationum mentio fit apud Patres apostolicos, nec in *Doctrina duodecim apostolorum*, nec apud S. Justinum.
[6] Bruns, *Concilia*, t. i, p. 1.

tum et *uvas, oleum* et *incensum*. Alia omnia, juxta can. 4, deferri debebant ad domum Episcopi. — Sic etiam conc. Carthaginense III (an. 397), c. 24, non tolerat offerri (præter panem et vinum), nisi *uvas* et *frumentum*[1]. — Serius autem permissum est, ut omnia alia offerrentur in ecclesia, sed ante missam, vel saltem ante evangelium ; ut constat ex Reginone, *De eccl. discipl.*, lib. I, *Inquisitio*, n. 72-73[2].

4° *Jus oblationis.* — Non omnium acceptabatur oblatio, sed eorum tantum qui *jus habebant offerendi ;* hoc enim jure carebant excommunicati, catechumeni, pœnitentes, etc. Hoc autem jus maximi tunc fiebat, sive quia erat signum communionis, sive quia ii tantum qui offerebant, participes censebantur fructuum sacrificii. Cæterum laici et clerici, viri et mulieres, principes et subditi, offerebant.

5° *Varia adjuncta oblationum*[3]. — Clerici offerebant *ad altare*, laici *suis locis* in ecclesia ; unde sacerdos circuibat cum clericis per varia loca ecclesiæ ad recipiendas oblationes laicorum[4]. — Oblationes receptæ, super altare deponebantur seu offerebantur, et ex eis pars seligebatur quæ in corpus et sanguinem Christi convertenda erat ; reliqua autem cedebant in usum ministrorum (in Oriente vocabantur *eulogiæ*, de quibus supra). — Prioribus sæculis, oblatio fiebat quoties missa celebrabatur ; postea restricta est ad *dies dominicos*, ut statim dicitur.

6° *Imminutio usus oblationum.* — Sæculo VI ad finem vergente, imminui cœpit, saltem quibusdam in locis, fervor fidelium in faciendis oblationibus. Constat ex celebri concilii Matisconensis (an. 585), can. 4 : « ... Cognovimus quosdam christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviasse, ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, *dum sacris altaribus nullam admovent hostiam.* Propterea decernimus, ut, *omnibus dominicis diebus, altaris oblatio*

[1] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 126.

[2] Migne, *P. L.*, t. CXXXII, col. 190.

[3] Cf. Martène, *loc. cit.*

[4] Romæ, sacerdos recipiebat panem, diaconus vinum ; ita in *Ordine Romano I*, n. 13 ; Migne, *P. L.*, t. LXXVIII, col. 943.

ab omnibus viris et mulieribus offeratur tam panis quam vini... Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur[1]. » — Sic etiam *Capitularia regum Francorum* tolerant oblationem fieri die tantum dominica[2]. Tempore Reginonis (m. a. 915), toleratum erat oblationes non fieri nisi a mulieribus[3]. Juxta Honorium Augustodunensem (scripsit circa an. 1120), quum receptum fuit ut populus nonnisi rarissime communicaret, oblatio panis et vini (quæ non erat amplius necessaria) locum cessit oblationi pecuniæ : « Et quia, populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarii formari vel fieri, et ut populus, *pro oblatione farinæ, denarios offerrent...*, qui tamen denarii *in usum pauperum* cederent, vel *in aliquid quod ad hoc sacrificium pertineret*[4]. » Non dicit tamen quo sæculo id factum fuerit; quidquid id est, hæc oblatio pecuniæ, ob ejus usum, remanebat inter *oblationes communes*. — Sæculo autem XII, passim abrogata erat oblatio panis et vini, vel non fiebat nisi a clericis[5].

37. — Oblationes speciales seu stipendia missarum.

1° *Origo harum oblationum :*

a. Juxta omnes eruditos, stipendia missarum, qualia hodie intelliguntur, erant certo in usu sæculo VIII. Quod perspicue patet testimonio sancti Chrodegangi (episcopi Metensis, 743-766), *Regula Canonicorum*, c. 42 : « Si aliquis *uni sacerdoti pro missa sua*, vel pro confessione, aut clerico pro psalmis et hymnis, seu pro se ipso, vel pro quolibet caro suo aut vivente aut mortuo, *aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc sacerdos vel clericus a*

[1] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 250.

[2] Lib. VI, c. CLXX (Baluze, *Capitularia*, Parisiis, 1780, t. I, p. 951). — Cf. *ibid., Capitula* Herardi, archiepiscopi Turonensis, c. LIII, p. 1289 (an. 858).

[3] Regino, *De ecclesiasticis disciplinis*, lib. II, c. V, n. 89; Migne, *P. L.*, t. CXXXII, col. 287.

[4] Honorius August., *Gemma animæ*, lib. I, c. LXVI; Migne, *P. L.*, t. CLXXII, col. 564.

[5] Martène, *loc. cit.*, n. 6.

tribuente accipiat, et exinde quod voluerit faciat. Si autem a tribuente ad omnes sacerdotes aliquid in eleemosyna datum fuerit, hanc eleemosynam communem habeant, et psalmodiam vel missas pro eo misericorde faciant [1]. » Certe verbis clarioribus non poterat exprimi indoles stipendiorum missarum. — Unde jam in priori medietate sæculi VIII erant in usu et sine ulla controversia. Et inde forsan est quod concilium Germanicum (an. 742), cui præerat sanctus Bonifacius, can. 3, præcipit ut « *unusquisque presbyter*... semper in quadragesima *rationem et ordinem ministerii sui*, sive de baptismo, sive *de precibus et ordine missarum ipsi Episcopo reddat et ostendat* », ne quis scilicet hac de re oriatur abusus [2]. Quod confirmavit proximum Leptinense concilium (an. 743), c. I [3]. Ad hoc ergo sæculum VIII primam originem stipendiorum missarum multi referunt, Mabillon, Thomassin, Thiers, Van Espen, Guiard. Juxta Mabillon, « id fieri cœptum, ut videtur, sæculo VIII, saltem in missis privatis; non tamen ubique passim ante sæculum XII [4]. »

b. Verum de Berlendis [5] ab altiori ætate repetit usum stipendiorum. Et vero fere impossibile est sanctum Chrodegandum, circa an. 750, tam clare et indubitanter locutum fuisse de his stipendiis, nisi antiquius inceperint. Porro : 1. Venerabilis Beda, in *Historia Anglorum*, lib. IV, c. XXII [6], agens de anno circiter 679, aperte loquitur de fidelibus qui, extra missam, presbyteris dabant

[1] Migne, *P. L.*, t. LXXXIX, col. 1076. — Cf. in alia editione *Regulæ*, c. XXXII, *ibid.*, col. 1116.

[2] Mansi, *Concilia*, t. XII, col. 366. — Cf. Baluze, *Capitularia*, t. I, p. 147.

[3] Mansi, t. XII, col. 370.

[4] Mabillon, *Acta Sanctorum O. S. B.*, sæculum III, part. I, præfatio, n. 62, Lutetiæ Parisiorum, 1672, p. XLIII; — Thomassin, *Discipline de l'Église*, part. III, liv. I, c. LXXI, n. 8, Bar-le-Duc, 1866, t. VI, p. 467; — Thiers, *Des superstitions*, c. XIII, Avignon, 1777, t. II, p. 195 sq.; — Van Espen, *Jus eccl. univ.*, pars II, tit. V, c. V, n. 3 sq., Coloniæ Agrippinæ, 1702, p. 336; — D. Guiard, O. S. B., *Dissertation sur l'honoraire des messes*, art. 1, *s. l.*, 1757, p. 9.

[5] *De oblationibus ad altare*, pars II, § 2, Venetiis, 1743, p. 289-299; — et item Vicecomes, *De antiquis missæ ritibus*, lib. III, c. XXX, Mediolani, 1620, t. III, p. 280, sed hic falsis innixus testimoniis.

[6] Migne, *P. L.*, t. XCV, col. 205-207.

pecuniam, ut hi celebrarent missam pro his fidelibus, ad impetrandum a Domino aliquod donum spirituale vel temporale; — 2. Sanctus Joannes Eleemosynarius (episcopus Alexandrinus, 610-616), accepta pecunia a quodam patre ut missam celebraret pro reditu filii sui in patriam, missam petitam felici exitu celebravit, ut legimus in ejus *Vita*[1]; — 3. Ultrogotha regina, uxor Childeberti regis (mortua an. 558), ad sepulchrum sancti Martini, « mane *oblatis muneribus multis*, in honorem beati confessoris, *missas expetiit celebrari*[2]; » — 4. Sanctus Benedictus (m. an. 543), ut narrat sanctus Gregorius Magnus[3], « manu sua protinus oblationem dedit dicens : Ite, et *hanc oblationem pro eis* (duabus monialibus defunctis) *offerri* Domino facite; » — 5. Imo juxta sanctum Epiphanium, *Hæresis*, XXX, n. 6[4], patriarcha quidem Judæorum, quum fuisset conversus ad fidem christianam (circa annum 347), et ab episcopo baptizatus, « vim quamdam auri non mediocrem tenens, hanc episcopo porrexit, et : Pro me, inquit, offerto, πρόσφερε ὑπὲρ ἐμοῦ[5]. »

2° *Progressus harum oblationum post sæculum* VIII.

a. Adeo invaluit usus harum oblationum, transacto sæculo VIII, ut plurimi concurrerent ad sacerdotes cum oblationibus pecuniariis ad postulandas missarum celebrationes[6]; unde sacerdotes monitos voluere concilia, « ut non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad missarum solemnitates recipiant. » Ita conc. Romanum, an. 826 (sub Eugenio II), et

[1] Bollandus, *Acta Sanct.*, 23 jan., *Vita S. Joannis Eleem.*, c. IX, n. 50, Antuerpiæ, 1643, p. 508.

[2] Gregorius Turonensis, *De miraculis S. Martini*, lib. I, c. XII; Migne, *P. L.*, t. LXXI, col. 926.

[3] S. Gregorius, *Dialogi*, lib. II, c. XXIII; Migne, *P. L.*, t. LXVI, col. 178. — Verum forsan hæc *oblatio* Benedicti non erat nisi panis offerendus et consecrandus.

[4] Migne, *P. G.*, t. XLI, col. 414. .

[5] Quod factum de Berlendis exponit de petitione missæ, *loc. cit.*, p. 295-296. — Sic etiam Thomassin, *loc. cit.*, c. LXX, n. 2, p. 462.

[6] Hunc usum noverant etiam pueruli; sic Petrus Damianus (988-1072), adhuc puer, repertum nummum tradit presbytero ut hic celebret missam pro patre defuncto, ut legimus in *Vita* Petri Damiani, ab ejus discipulo Joanne conscripta, c. II; Migne, *P. L.*, t. CXLIV, col. 117.

aliud concilium item Romanum, an. 853 (sub Leone IV), c. XVII [1];

b. Imo putabant nullam aliam eleemosynam prodesse defunctis, nisi eam quæ dabatur presbytero, ad celebrandam missam pro ipsis; quem errorem refellit Jonas, episcopus Aurelianensis (821-843), *De institutione laicali,* lib. III, c. XV [2];

c. Jam sæculo XI orti erant abusus, adeo ut quidam presbyteri « pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumerent plures facere missas »; sunt verba Alexandri II hunc abusum damnantis, c. *Sufficit,* 53, dist. I, De Consecratione;

d. Sæculo autem XII, universalis erat usus stipendii missarum [3].

3° *Causæ prædicti usus oblationum particularium :*

a. Prima et præcipua causa fuit *negligentia oblationum communium;* etenim, ex una parte, putabant fideles, ad hoc ut participes essent fructus sacrificii, se debere cooperari sacrificio saltem per aliquam oblationem; sacerdos enim in missa (ut legi potest in canone) præcipue commemorat apud Deum *offerentes;* quum ergo, ex altera parte, nihil amplius offerebant in missis privatis et fere nihil in publicis, pronum erat ut extra missam aliquid sacerdoti offerrent, specialem sui commemorationem ab ipso postulantes. Cum autem, ut didicimus ab Honorio Augustodunensi, jam cœpisset offerri inter oblationes *communes* pecunia, fideles cœperunt pecuniam offerre extra missam, ut oblationem pro se specialem; hæc revera oblatio multo commodior est omnibus aliis. — Propter hanc ergo primam causam, dicunt communiter doctores stipendia missarum successisse oblationibus communibus. Sic de Berlendis, Mabillon, Van Espen, etc. [4].

b. Alia causa, quæ fovit usum oblationum specialium, fuit persuasio qua putabant fideles sibi aut suis plus prodesse missam specialiter applicatam, quam missam communiter oblatam, ut olim, pro omnibus offerentibus. Hujus persuasionis testis

[1] Mansi, *Concilia,* t. XIV, col. 494, 1005.

[2] Migne, *P. L.,* t. CVI, col. 264.

[3] Cf. de Berlendis, *loc. cit.,* pars II, § 7, p. 362, sq.; — Thiers, *loc. cit.,* c. XIII, p. 196.

[4] Locis supra cit., et multi alii apud de Berlendis, pars II, § 1, p. 275-276. — De hac prima causa, cf. hunc auctorem, pars II, § 1, n. 5, p. 284.

est Walafridus Strabo (m. circa 849)[1], qui hanc falsitatis frustra insimulare conatur, quem confutat Benedictus XIV[2].

c. Aliam causam addit de Berlendis, nempe *imminutionem pietatis* in fidelibus; quum enim, more antiquo, solerent interesse missæ quæ pro ipsis offerebatur, et missa publica seu communis longior esset, magnopere delectabantur missa breviori, qualis erat missa privata, et præsertim missa *votiva*, quæ pro una persona specialiter offerebatur, ut testantur *missæ votivæ*, quæ jam exstant in *Sacramentario gallicano* (sæculi VII)[3].

d. Fatendum etiam est hunc usum ipsis sacerdotibus non potuisse displicere; sicut enim olim pars oblationum non consecrata in eorum commodum præcipue cedebat, ita et hæc nova specialis oblatio in eorum utilitatem cessit[4].

§ 2. Legitimitas eleemosynæ pro missa.

38. — Impugnatores stipendii pro missis.

1° Wiclefus impugnavit stipendia missarum duplici ex capite, sive quia missa applicata uni, non plus illi prodest, quam missa omnibus applicata, sive quia stipendia missarum ex se sunt simoniaca. Unde concilium Constantiense damnavit duas Wiclefi propositiones, ut sequitur : « 19. Speciales orationes, applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, *non plus prosunt eidem, quam generales*, cæteris paribus; » et : « 25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus[5]. »

2. Protestantes etiam impugnare solent stipendia missarum. Sic Calvinus, qui in hunc usum Ecclesiæ romanæ

[1] *De rebus ecclesiasticis*, c. XXII; Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 948.

[2] *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 182, Lovanii, 1762, t. II, p. 274.

[3] Edito a Mabillon, *Musæum Italicum*, t. I (vide *Missas votivas*, p. 360 sq.). — Cf. de Berlendis, *loc. cit.*, p. 284-286.

[4] De Berlendis, *ibid.*, n. 6, p. 286-287.

[5] Mansi, *Concilia*, t. XXVII, col. 633.

quam vehementissime et impie invehitur [1] : quem plus minusve secuti sunt alii Protestantes.

3° Item concilium Pistoriense, an. 1786, duplici ex capite impugnat stipendia missarum : 1. Tenet non esse in arbitrio sacerdotis applicare fructum sacrificii cui vult, sed hoc esse solius Dei; unde concludit errare fideles, cum putant ex missa sibi specialiter applicata, specialem fructum sibi acquiri [2]; — 2. Notat morem hunc, offerendi nempe et recipiendi stipendium, tanquam *turpem abusum* [3]. Cf. Pii VI const. *Auctorem fidei,* 5 kal. sept. 1794, prop. XXX, LIV [4].

4° Non desunt catholici, qui impugnent stipendia missarum; sic auctor anonymus (nempe D. Guiard, O. S. B.) libri jam cit. *Dissertation sur l'honoraire des messes* [5], qui, propter abusus quibus viam apertam latamque præbent, ea tollenda proponit, et in eorum locum antiquas oblationes communes restituendas ; de quo magnas controversias movit cum scriptoribus ephemeridum *Mémoires de Trévoux*, præsertim an. 1749. Auctor tamen ille non videtur damnare *in se* eleemosynas missarum [6]. — Cæterum multi sunt doctores catholici qui defleant et damnent abusus ex eleemosynis missarum ortos [7] ; unde etiam quædam conci-

[1] *Instit.,* lib. IV, c. XVIII, n. 18, Amstelodami, 1667, p. 387.

[2] *Actes et décrets du concile de Pistoie* de 1786 (ex italico translatum), sess. IV, *De l'Eucharistie,* n. 8, Paris, 1789, p. 354-356.

[3] *Actes et décrets du concile de Pistoie,* sess. V, *De l'Ordre,* n. 13, p. 450.

[4] *Bull. rom. cont.,* t. IX, p. 404, 409.

[5] 1757, sine loco edit.

[6] Cf. *op. cit.,* p. 10.

[7] Sic Petrus Cantor (m. a. 1197), *Verbum abbreviatum,* c. XXVII-XXIX; Migne, *P. L.,* t. CCV, col. 99 sq.; — Robertus Pullus (m. circa an. 1150), *Sent.,* lib. VII, c. XVII; Migne, *P. L.,* t. CLXXXVI, p. 929-930; — de Berlendis, *loc. cit.,* pars II, § 4, n. 5 sq.; § 7, n. 9 sq., et alibi passim; — Bened. XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 184 sq., 192; et *De synodo,* lib. V, c. VIII, IX.

lia particularia ea aliquo modo prohibuere; sic conc. Toletanum, an. 1324, c. VI : « Districtius prohibemus, ne aliquis presbyter pro missis celebrandis pecuniam *exigat* vel rem aliam temporalem, sed grate accipiat si aliquid, per facientem missas celebrari, oblatum sibi caritative fuerit, absque pacto et contentione quacumque [1]. »

39. — Propugnatur eleemosynæ missarum legitimitas. — *Licitum est, non tantum accipere, sed etiam exigere, consuetam eleemosynam seu stipendium, pro missa celebranda.*

1° *Declaratur propositio.* — Licitum esse sacerdoti accipere eleemosynam *sponte oblatam*, apud omnes constat, nec unquam ulla concilia (nec etiam supra relatum conc. Toletanum) illud prohibuere, nec etiam ullum in hoc exstat vestigium avaritiæ aut simoniæ; unde vis propositionis præsertim est in vocabulo *exigere*. Insuper agitur de *consueta* eleemosyna, non de eleemosyna arbitrio sacerdotis augenda. Dicimus autem *eleemosynam* seu *stipendium;* magis tamen placet vocabulum *eleemosyna;* licet enim vox *stipendium* adhibeatur a sancto Paulo (I Cor., IX, 7), et multis doctoribus, verbum *eleemosyna* magis conforme est traditioni ecclesiasticæ, efficaciusque revocat in mentem sacerdotis puram illam intentionem, cum qua celebrare debet sacra mysteria.

2° *Demonstratur propositio :*

1. *Usu totius Ecclesiæ.* — Ab octavo enim sæculo usque nunc usus communis est Ecclesiæ, ut sacerdotes non tantum accipiant, sed etiam, occasione data, *exigant,* modeste quidem, sed tamen exigant, consuetam stipem pro missa celebranda; hunc autem usum Ecclesia, non tantum

[1] Mansi, t. XXV, col. 733.

negative permittit seu tolerat, sed etiam *positive approbat*, quatenus de hac eleemosyna leges et decreta edit; imo, ut infra dicetur, si quis sacerdos missam, pro qua recepit eleemosynam, alteri celebrandam committat, *jubet* Ecclesia ut totam eleemosynam huic alteri sacerdoti tradat. Atqui, ut omnes norunt, Ecclesia, in sua disciplina *generali*, nihil statuere potest quod sit juri naturali vel divino contrarium. — Ad hunc usum universalem Ecclesiæ jam suo tempore appellabat Gerson, pro tuenda legitimitate hujus missarum eleemosynæ contra obloquentes : « Sufficere in primis debet, ad consensum hujus veritatis, *usus totius communis Ecclesiæ*, qui sic habet et recipit, *cui si quis detrahit, imprudenter se decipit*[1]. »

2. *Jure naturali et divino.* — Divus Paulus ait, I Cor., IX, 7 sq. : « *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?...* Nescitis quoniam *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* » Hæc autem *ordinatio dominica* exhibetur in his Christi Domini verbis : « Dignus enim est operarius cibo suo,... mercede sua[2]; » in quibus verbis agitur de operariis evangelicis. Quæ cæteroquin omnia etiam jure naturali dictantur; jure enim naturæ nemo tenetur gratis incumbere curæ aliorum. — Unde *officio gravi* adstringuntur fideles sustentandi ministros, qui illis spiritualia præstant; cui *officio* fidelium correspondet in ministris *jus* hanc sustentationem postulandi; *offi-*

[1] Opusc. *De sollicitudine ecclesiasticorum*, partic. XIX (*Opera omnia*, Antuerpiæ, 1706, t. II, p. 603). — Cf. etiam partic. VI, p. 599.

[2] Matth., X, 10; — Luc., X, 7. — Cf. I Tim., V, 18.

cium enim et *jus* correlativa sunt. Ergo ministri, qui missam celebrando, spiritualia bona præstant fidelibus, ab eis postulare jure possunt, ad sustentationem suam, temporalia bona. — Potuisset quidem Ecclesia, ad avertendos abusus, prohibere ne, occasione missæ, quidquam exigatur, sicut fecit pro sacra ordinatione conferenda et pro aliis actibus, imo sicut fecit conc. Toletanum pro diœcesibus sibi subjectis; sed, revera, nunquam id prohibuit.

3. *Decretis conciliorum aut Romanorum Pontificum.* — Sic :

a. Concilium Lateranense IV (an. 1215), c. LXVI (= c. *Ad Apostolicam*, 42, De simonia), loquens de exsequiis mortuorum, de benedictione nubentium, de sacramentis conferendis, quæ procul dubio complectuntur etiam missam quæ præcipua pars erat in exsequiis et nuptiis, prohibet quidem ne clerici *extorqueant* pecuniam, sed simul jubet servari pias consuetudines : « Quapropter, super his, pravas exactiones fieri prohibemus, et *pias consuetudines præcipimus observari,* statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed, *per Episcopum loci,* veritate cognita, *compescantur qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* » Ergo, in his omnibus, sacerdotes stare debent decreto Episcopi, et postulare quod ille decreverit.

b. Concilium Tridentinum, c. *Contingit,* 4, sess. XXV, De reform., in iis ecclesiis, ubi, pro missis fundatis celebrandis, *eleemosyna adeo tenuis sit, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere,* jussit per Episcopos minui missarum numerum, et sic augeri eleemosynam; putabat ergo missarum eleemosynam esse legitimam.

c. Pius VI, in cit. constitutione *Auctorem fidei,* postquam docuit (prop. XXX) contra synodum Pistoriensem, *ex speciali applicatione sacrificii specialem fructum acquiri*

fidelibus, addidit (prop. LIV) : « Item, (doctrina Synodi) quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam *pro celebrandis missis*..., quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, dum, secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum, utantur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur, *falsa*, *temeraria*, *ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva*, *in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa*[1]. »

40. — Solvuntur difficultates.

1° Simonia est, aliquid temporale exigere pro re spirituali; ergo simonia est exigere eleemosynam pro missa celebranda, quæ gratis applicanda est, juxta verbum Domini : « Gratis accepistis, gratis date[2]. »

Resp. : Simonia quidem est exigere quidpiam temporale pro re spirituali, *tanquam hujus rei pretium*, de quo nulla difficultas; insuper simoniacum esset exigere pecuniam pro *labore intrinseco* qui necessario impenditur in re spirituali ministranda; nam hic labor intrinsecus, utpote necessarius, confunditur cum ipsa re spirituali. Imo, jus habet Ecclesia prohibendi ne quid temporale accipiatur quocumque modo occasione rei spiritualis, si hoc judicet necessarium ad avertenda pericula et scandala ; in quo casu simoniacum etiam esset, simonia saltem juris ecclesiastici, quidquam accipere. — Verum sacerdos, missam celebraturus, non accipit aut exigit pecuniam pro missa ipsa, nec pro labore in ea impendendo; unde nec lædit verbum Domini : *Gratis accepistis*, etc.; sed tantum postulat aliquid *pro sui ipsius sustentatione*, usus (ut ait Pius VI, cit. bulla *Auctorem fidei*) jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia

[1] *Bull. rom. cont.*, t. IX, p. 404, 409.
[2] Matth., X, 8.

ab his quibus spiritualia ministrat[1]. Cæterum Ecclesia nunquam prohibuit lege generali accipi aut exigi pecuniam *titulo sustentationis* occasione missæ; imo, ut dictum est, approbat positive.

2° Concilium Trid., c. *Quanta cura,* sess. XXII, De observandis et evitandis in celebratione missæ, sic statuit : « Quod ad avaritiam pertinet, *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta,* et quidquid pro missis novis[2] celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potiusquam postulationes..., *omnino prohibeant* (Episcopi). » Atqui, eo ipso quod *exigit* sacerdos eleemosynam pro missa celebranda, et reipsa fidelis tradit eleemosynam pro missa, adest condicio, seu *pactum,* nempe *duorum consensus in idem placitum.* Ergo conc. Trid. prohibuit stipendium missarum, quale vulgo in usu est.

Resp. : 1° Volebat quidem primus scriptor hujus capitis prohibere, ne sacerdos exigat eleemosynam pro missa; sic enim in *schemate* scripserat : « Nemini liceat ob missas, quæ ei incerta occasione ex tempore celebrandæ offeruntur, *quidquam ex convento, nec mercedis aut subsidii nomine postulare;* si quid tamen... *sponte fuerit oblatum, illud acceptare sit permissum*[3]. » Quod fuerat cautum can. 6 conc. Toletani, an. 1324, ut supra dictum est (n. **38**).

[1] Ita etiam D. Thomas, IIª IIæ, q. c, art. 2; — Suarez, *In part. III D. Thomæ,* disp. LXXXVI, sect. 1, n. 4 sq.; et etiam *De religione,* tract. III, lib. IV : *De simonia,* c. XLVI; — S. Alph., lib. III, n. 55.

[2] Occasione *novæ missæ,* nempe *primæ missæ novi sacerdotis,* abusus erat in quibusdam ecclesiis; novus enim sacerdos circumibat ecclesiam, ut oblationes reciperet. Quem abusum damnavit Gregorius XIII (an. 1573); permisit tamen novo sacerdoti, ut, in medio altari, se verteret ad populum, et oblata acciperet (Bened. XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 195, 196). A fortiori, licitum est accipere justum stipendium pro hac prima missa.

[3] *Acta authentica concilii Trid.,* ed. Theiner, Zagabriæ (Lipsiæ), 1874, t. II, p. 121.

— Verum admonuit episcopus Naxiensis *non debere prohiberi quod petitur nomine subsidii a celebrantibus, cum qui altari servit, altari participare debeat*[1]. Et ideo deleta sunt verba *schematis*, et scriptum est decretum ut nunc jacet.

2° Ut diximus supra (n. **39**), conc. Trid., c. *Contingit*, 4, sess. XXV, De ref., non modo non reprobavit eleemosynam pro missis, sed etiam positive permisit, imo jussit eam augeri. Insuper, in hoc ipso c. *Quanta cura*. De observandis, etc., concilium expresse permittit *postulationes* eleemosynarum pro missis, et non prohibet nisi *importunas atque illiberales exactiones*. Ergo, per hæc verba : *Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta*, intelligenda sunt vel pacta *simoniaca*, ut indicare videtur locutio « *mercedum* conditiones », vel pacta *superstitiosa*, vel pacta *præter usum communem Ecclesiæ*.

3° Nullus auctor catholicus intellexit præfata verba concilii, in eo sensu quod prohibuerit *quodlibet pactum* de missis; imo nec ipsa Congregatio Concilii hoc decretum sic interpretata est, quum ipsa positive permittat stipendia missarum, de quibus plura decreta tulit, ut infra dicemus. — Unde dicendum est illud ipsum pactum quod consistit in obligatione utrinque assumpta, dandi nempe eleemosynam, et celebrandi missam, nullo modo prohiberi[2], sed tantum, ut dictum est, pacta simoniaca aut superstitiosa, aut contra taxam præfixam, usumve communem.

41. — Quæritur 1° *Num sacerdos dives possit postulare eleemosynam pro missa.*

Resp. : Affirmative ; nam, hoc adjunctum, quod nempe

[1] *Acta authentica concilii Trid., loc. cit.*, p. 122.
[2] Cf. Suarez, *loc. cit.*, sect. 1, n. 4.

sacerdos sit dives, prorsus impertinens est relative ad *officium* jure divino indictum fidelibus sustentandi ministrum, et ad *jus* huic ministro competens hanc sustentationem recipiendi. Unde sanctus Paulus ait, *loc. cit.* : « Quis militat *suis* stipendiis unquam? » Nec concilia aut Rom. Pontifices distinguunt inter sacerdotem divitem et inopem. Et ita communiter doctores, v. g., Suarez, de Berlendis, S. Alphonsus, etc[1].

42. — **Quæritur 2°** *Num, quando plures concelebrant, singuli possint recipere eleemosynam?*

N. B. In Ecclesia Orientali, sicut olim, sic etiam hodie in more est concelebratio, vi cujus, præter episcopum vel alium principaliorem celebrantem, unus vel plures alii in eodem altari eamdem hostiam eumdemque calicem consecrant, quibus omnes deinde participant. — In Ecclesia Occidentali, viget adhuc concelebratio, tum in ordinatione presbyterorum, tum in consecratione Episcopi.

Resp. : Quando plures concelebrant, *singuli possunt applicare missam et recipere eleemosynam.* — Nam : 1. Vere singuli missam celebrant, offeruntque sacrificium; si enim sint, v. g., duo concelebrantes, duæ sunt celebrandi intentiones, duæ pronuntiationes formæ super materiam aptam, et proinde duæ actiones sacrificæ; quod autem sit eadem res oblata, nempe Christus Dominus, id non obest pluralitati actionum sacrificarum, quum eadem sit res oblata pro omnibus sacrificiis totius mundi. Si nolis admittere pluralitatem sacrificii, saltem dicendum est, cum Suarez[2], singulis concelebrantibus correspondere integrum fructum sacrificii : quod ad idem redit pro perce-

[1] Suarez, *loc. cit.*, sect. III, n. 2; — de Berlendis, pars I, § 9, n. 3, p. 221-222; — S. Alph., lib. III, n. 55.

[2] *In part. III D. Thomæ*, disp. LXXIX, sect. XII, n. 5.

ptione eleemosynæ; — 2. Apud Græcos, sacerdotes concelebrantes percipiunt eleemosynam, non secus ac si singuli singulas separatim celebrent missas; sic, v. g., apud Maronitas, juxta expressam dispositionem concilii Montis Libani, an. 1736 [1]; apud Melchitas, juxta item expressam dispositionem Benedicti XIV, in ejus constitutione *Demandatam*, 24 dec. 1743, §§ 9-10 [2]. — Unde et pro Ecclesia Occidentali idem communiter dicunt doctores, Benedictus XIV, cum pluribus ab ipso relatis, sanctus Alph. et, inter recentiores, Gasparri, etc. [3].

43. — Quæritur 3° *Num sacerdos applicare possit missam pro eleemosyna conferenda;* si, v. g., sacerdos pro missa hodierna non habeat stipendium, potestne, ut missam non celebret *gratis*, eam applicare ad intentionem illius qui offeret sibi eleemosynam?

Resp.: 1° Non agitur in quæsito de *validitate applicationis;* si persona offerens vel potius oblatura stipendium, sit *indeterminata*, applicatio erit invalida; si vero sit *determinata*, v. g., si missa applicatur ad intentionem ejus qui *primus* offeret, applicatio potest esse valida. — Sed agitur de *liceitate* applicationis, aliunde validæ.

2° *Non licet hoc modo applicare missam.* — Hunc enim usum damnavit S. Congr. Concilii; quum enim, sub Clemente VIII, ad eam relatum esset consuetudinem « in dies magis invaluisse, ut sacerdotes, missam celebrantes, *ejus valorem applicent his qui postea missæ celebrationem postulaturi ac pro ea eleemosynam præbituri sint, tametsi, antequam missæ sacrificium peragеretur, neque a sacer-*

[1] Part. II, c. XIII, n. 18; *Collectio Lac.*, t. II, p. 223.

[2] *Bull. Bened.*, t. I, n. LXXXVII.

[3] Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 144, Lovanii, 1762, p. 219-221; — S. Alph., lib. VI, n. 232, 829; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 360, 547.

dote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam præstitissent », respondit S. Congr. ; « ... In S. Congregatione primum de ea (consuetudine) actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quæ, ex ejusdem Congregationis sententia, *hujusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, explosit ac improbavit.* » Quam Clementis VIII et S. Congregationis decisionem Paulus V, datis ad Episcopos litteris, promulgavit, ut refert Benedictus XIV[1].

§ 3. De taxatione eleemosynæ missarum.

44. — Jus episcopi relative ad taxam stipendii.

1° *Jus est episcopi taxare eleemosynam missarum,* ita scilicet ut nemo plus exigat, quam taxatum est. — Constat hoc jus episcopi : 1. *Concilio Trid.,* nempe c. *Quanta cura,* sess. XXII, De observandis in celebratione missæ : « In primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum condiciones, pacta,... *nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potiusquam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant* (Episcopi). » Ergo jus est Episcopi judicare de justa eleemosyna missarum, eamque determinare; — 2. *Decisione S. Congr. Conc.,* quæ, ad hæc duo quæsita : « 1° Quanta debeat esse eleemosyna missarum manualium; — 2° quanta esse debeat pro perpetuis, non taxatis a fundatore; » respondit, 15 nov. 1698 : « Ad 1 et 2, censuit attendendam

[1] Benedictus XIV refert decisionem et factum promulgationis, *De sacrificio missæ,* pars II, n. 201, p. 301-303. Quum erat archiepiscopus Bononiensis, prohibitioni adjecit suspensionem *ipso facto; Inst.,* XCII.

esse consuetudinem loci, vel legem synodalem, quatenus adsit; sin minus, *statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio*[1]. »

2° Sæpissime *ipsa consuetudine* invenitur taxata eleemosyna missarum; tunc ei standum est, ut statim audivimus ex S. Congr. Conc. — Attamen jus Episcopi non coarctatur his consuetudinibus; concilium enim Trid., in fine cit. c. *Quanta cura*, addit episcopum posse jure suo uti : « Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac *consuetudinibus quibuscumque*. » Unde, si taxatam consuetudine eleemosynam nimiam judicet, poterit eam minuere; item, si insufficientem, inspectis temporis, loci et personarum adjunctis, reputet, augere eam potest.

3° *Etiam Regulares juri Episcopi, hac in re, subjiciuntur.* — Constat : 1. *Concilio Trid.*, cit. c. *Quanta cura*, in cujus fine Episcopi, ad omnia peragenda de quibus decernit hoc caput, et proinde ad statuendam prædictam taxam, amplissima potestate a concilio muniuntur, « etiam ut *delegati Sedis apostolicæ*, » et, ut dictum est : « Non obstantibus *privilegiis, exemptionibus*, ac consuetudinibus quibuscumque; » — 2. *Decisione S. Congr. Conc.*, quæ, 15 jan. 1639, respondit : « Eleemosynam pro qualibet missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis esse *taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis*[2]; » — 3. Ipsa *ratione naturali;* ut enim ait Benedictus XIV[3] : « Quemadmodum ipsi (Regulares), veluti membra communitatis, adstringuntur in contractibus servare æqualitatem statutam a legibus loci ubi degunt, ita et in hoc quasi con-

[1] Hanc decisionem refert Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, pars II, n. 187, p. 281; — et *De synodo*, lib. V, c. VIII, n. 11.

[2] Hanc refert Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, pars II, n. 189, p. 283.

[3] *Ibid.*, n. 189.

tractu non possunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit. »

45. — Quantitas taxæ. — De quantitate taxæ hæc dicenda :

1° De ea non potest certa et universalis regula, ubique custodienda, statui, cum alibi majorem, alibi minorem eam esse deceat, juxta varia adjuncta locorum, et temporum[1]; ideoque conc. Trid. et S. Congr. Conc. eam Episcopis definiendam reliquerunt.

2° Nullo modo necessarium est, ait Benedictus XIV, « ut eleemosyna tanta sit, quæ *integram sustentationem* sacerdoti ea die, qua celebrat, suppeditet[2]; » nam : 1. Actio sacrificandi non requirit integrum diem, nec majorem ejus partem, ut ait Suarez[3], licet, ut aliunde advertit de Lugo[4], celebratio impediat sacerdotem, per sat magnam diei partem, ab operibus lucrosis; — 2. Sacerdos non potuit recipere sacros ordines, sine beneficio aut patrimonio ad sustentationem congruo; unde non requirenda est tota sustentatio ex celebratione missarum.

3° Varia esse potest taxa pro variis adjunctis missarum celebrandarum, v. g., hora, cantu, locorum distantia, perpetuitate oneris assumpti. Item mutari potest, mutatis rerum adjunctis.

46. — Quæritur *Quid dicendum de sacerdotibus qui pecuniam exigunt vel accipiunt supra vel infra taxam.*

1° Omnino prohibitum est *aliquid exigere supra taxam;* quod constat ex dictis. Insuper hæc exactio, non tantum

[1] Ita Benedictus XIV, *ibid.*, n. 188.
[2] *Ibid.*
[3] *In part. III D. Thomæ*, disp. LXXXVI, sect. II, n. 5.
[4] *De sacr. Euch.*, disp. XXI, n. 25.

est contra legem ecclesiasticam, sed etiam *contra justitiam commutativam*, quia ibi adest verum pactum, ut dictum est, et quantitas sustentationis debitæ occasione spiritualis ministerii, a solo Episcopo determinari valet; unde locus est restitutioni [1]. — Insuper, quoad simoniam, adest, in foro *externo*, præsumptio simoniæ, et in foro *interno*, simonia saltem *juris ecclesiastici*; num autem sit simonia *juris divini* in foro *interno*, dubium est; quæ omnia constant ex doctrina communi *de simonia*.

2° Licitum est sacerdoti *accipere quod ei sponte offertur a fidelibus etiam supra taxam*. — *Donatio* enim *gratuita* est justus titulus aliquid accipiendi occasione ministerii spiritualis, nisi aliunde expresse jure positivo prohibita sit; porro, in re præsenti, nullo modo prohibita est [2]. Imo, juxta S. Conc. Congr., Episcopus prohibere nequit ne quid supra taxam offeratur aut accipiatur; ita S. Congr., 16 jan. 1649 [3].

3° Potest sacerdos, spectato jure communi, *applicare missam pro eleemosyna infra taxam*. — Quod per se patet; sacerdos enim potest remittere de jure suo, imo gratis omnino celebrare, ergo a fortiori pro minori stipendio. — Attamen, quia illa consuetæ eleemosynæ remissio noxia esse potest aliis sacerdotibus, qui non possunt consuetam stipem minuere, licita erit lex episcopalis, prohibens ne sacerdotes eleemosynas missarum accipiant infra taxam; in quo sensu respondit S. Congr. Concilii, 16 julii 1689 [4].

[1] Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 189; — Suarez, *loc. cit.*, disp. LXXXVI, sect. II, n. 6.

[2] Cf. Suarez, *loc. cit.*, n. 3.

[3] Quam decisionem refert Bened. XIV, *ibid.*

[4] Prout refert *ibid.* Benedictus XIV.

§ 4. De obligatione orta ex recepta eleemosyna.

47. — Indoles obligationis hujus. — Obligatio qua tenetur sacerdos ad celebrandam missam, pro recepta eleemosyna, est obligatio *justitiæ*. — Hæc enim obligatio ex *pacto* oritur; fidelis enim dedit sacerdoti stipendium sustentationis, *ut hic ipsi ministraret spiritualia celebrando missam;* quam legem tacite saltem acceptavit sacerdos. — Hæc autem obligatio justitiæ certo gravis est, juxta omnes, quando stipendium datum vel promissum *materiam gravem* constituit. Quando autem hoc stipendium *leve* est, dubitatur num sacerdos teneatur *sub gravi* celebrare missam, de qua conventum est; alii dicunt, obligationem probabilius esse gravem[1]; alii autem, probabilius esse levem[2]; sed hac de re videant theologi[3].

48. — Obligatio quoad numerum missarum celebrandarum. — *Tot celebrandæ sunt missæ, quot data sunt stipendia.* — Constat :

1° *Decretis S. Congr. Conc.*, an. 1625, decreto 2, in quo legimus : « S. Congr., sub obtestatione divini judicii, *mandat ac præcipit, ut absolute tot missæ celebrentur, quot, ad rationem attributæ eleemosynæ, præscriptæ fuerint,* ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur. » Quum autem dicitur hic : « Quot, ad ratio-

[1] S. Alph., lib. VI, n. 317; cui communiter accedunt recentiores, v. g., Lehmkuhl, ed. 1893, t. II, n. 199, p. 146; — d'Annibale, ed. 3, t. III, n. 190, p. 167; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 584.

[2] Billuart, *De Eucharistia*, diss. VIII, art. VI, petit. 7.

[3] Certo levis est obligatio, si eleemosyna tam exigua fuerit, ut magis gratis promisisse videaris; ita communiter. D'Annibale, t. III, n. 190, not. 6.

nem attributæ eleemosynæ, *præscriptæ* fuerint, » hoc significat : Quot *ab ipso offerente* (non ab Ordinario, qui stipendium taxavit) petitæ et præscriptæ sunt : quod constat ex *responso 2* ejusdem S. Congr., super his decretis. — Porro hæc decreta et responsa *vim habent legis proprie dictæ;* de quo sciendum est, Sacram Congregationem Concilii, ad compescendos abusus ex stipendiis missarum ortos, edidisse die 21 junii 1625, octo decreta[1], super quibus quum orta fuerint dubia, viginti *responsa* seu *declarationes* edidit[2]. Hæc autem omnia *decreta* et *responsa* confirmavit et de verbo ad verbum perscripsit eadem S. Congr. Concilii, 23 nov. 1697, pluribus aliis additis *decretis.* Tandem hæc omnia complexus est et in extenso retulit Innocentius XII, bulla *Nuper,* 23 dec. 1697[3]. Atqui priora *decreta,* an. 1625, vim legis habent; ea enim condidit S. Congr. Conc., *vi auctoritatis specialis sibi ab Urbano VIII ad hoc concessæ* (ut in ipso textu legitur) et *rite promulganda curavit.* Item viginti *responsa* vim legis habent; pariter et nova decreta an. 1697; nam Innocentius XII, ut expresse dicit in bulla *Nuper,* iis omnibus specialem confirmationem tribuit, quasi *ipse propria auctoritate apostolica conderet.* Unde S. Congregatio Concilii, in una *Congregationis Passionis D. N. J. C.,* 16 dec. 1893[4], declaravit omnia illa decreta obligare ubi-

[1] Quorum tamen duo ultima missarum celebrationem directe non respiciunt.

[2] Hæc decreta *Cum sæpe contingat* inveniuntur in *Bull. rom.,* t. v, part. 5, p. 335-338; post *decreta,* sequuntur *responsa.*

[3] *Bull. rom.,* t. ix, p. 464-471. Hæc *decreta* plures referunt auctores, v. g., Reiffenstuel, in tit. *De celebratione missarum,* n. 29; — Giraldi, *Expositio,* etc., part. II, sect. lxvii, p. 895; — Lucidi, *De visitatione,* etc., part. II, 42, p. 380; — Gasparri, *De Eucharistia,* t. ii, p. 436; — Ferraris, v° *Missa,* art. 2, n. 2. — Hæc etiam habes ad calcem hujus voluminis, *Documentum I.*

[4] *Acta S. Sedis,* t. xxvi, p. 405.

que terrarum (excipitur, ut patet, *decretum* 7, quod expresse restringitur ad Italiam et insulas adjacentes). — Itaque, quidquid dixerunt et dicunt theologi de valore infinito sacrificii missæ, quod, pluribus applicatum, non minus singulis prosit, quam si uni applicetur, necessario tot missæ celebrandæ sunt, quot stipendia recepta. Hinc etiam, quidquid dixerunt aliqui, non potest duplex stipendium recipi, unum pro fructu *impetratorio*, alterum pro fructu *satisfactorio* ejusdem missæ; uti declaravit S. Congr. Conc., 13 dec. 1659 [1].

2° *Auctoritate Alexandri VII*, qui, decreto S. Officii, damnavit duas propositiones, quæ sequuntur : « 8. *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere*, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII [2]. — 10. Non est contra justitiam *pro pluribus sacrificiis stipendium accipere*, et *sacrificium unum offerre* [3]. » Ergo, ut ex damnatione prioris propositionis patet, non est licitum eamdem missam pro duobus stipendiis offerre, applicando uni offerenti fructum *specialem*, alteri fructum *specialissimum*, quidquid aliunde dixerunt theologi de alienabilitate aut inalienabilitate hujus fructus specialissimi [4].

49. — **Quæritur** *Quid dicendum si offerens vel non determinet numerum missarum, vel offerat stipendium taxato inferius?* — Resp.:

1° In priori casu, standum est *responso 2* S. Congr. Conc. (an. 1625) : « Quod si tribuens eleemosynam,

[1] Hanc decisionem refert Fagnanus, tunc secretarius ejusdem Congr., in c. *Fraternitatem* (3, *De sepulturis*) n. 97.

[2] Nempe supradicta decreta an. 1625.

[3] Damnatæ 24 sept. 1665; *Bull. rom.*, t. VI, part. 6, p. 85.

[4] Cf. de Berlendis, *loc. cit.*, part. II, § 12, n. 13, p. 461.

numerum missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundum morem civitatis vel provinciæ. » Id est, standum est stipendio taxato, et juxta illud determinandus numerus missarum.

2° In altero casu, liberum quidem est sacerdoti stipendium taxatum exigere, et recusare stipendium minus; sed, si sciens volens acceptaverit, tenetur celebrare missam pro hoc stipendio. Constat *responso 3* S. Congr. Conc., in quo declaravit tunc sacerdotem « teneri » celebrare missam. — Aliunde supra relatum *decretum 2,* quod jubet tot celebrari missas, quot accepta fuerint stipendia, expresse loquitur etiam de stipendiis infra taxam.

50. — Obligatio quoad tempus celebrationis. — De hac obligatione quoad *tempus* hæc tenenda :

1° Si tempus fuerit *determinatum,* v. g., hac hebdomada, infra quindecim dies, etc., standum est tempori determinato, uti per se patet, quia tunc illud adjunctum temporis est pars contractus. — Notandum est autem tempus determinari posse, vel *explicite,* vel *implicite :* explicite, v. g., infra mensem; implicite, puta si missa petatur pro moribundo, pro periculo superando, pro felici partu, etc.; in utroque casu, standum est tempori.

2° Si tempus *non fuerit determinatum,* tunc locum habet *decretum 5,* an. 1625, in quo legimus, partic. 4 : « Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, *si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis.* » Quam tamen prohibitionem eadem S. Congr., in *responso 11,* interpretata est moderate, hoc modo : « *Non*

prohibere absolute; ac propterea etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, *dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* » Hoc autem decreto eadem Congregatio, in *responso 16*, declaravit : « Comprehendi etiam *privatos sacerdotes.* » Unde lex est : Sacerdos non potest acceptare onera missarum (sive alia jam habeat, sive non), nisi *infra modicum tempus* possit satisfacere.

3° Quodnam autem sit illud *modicum tempus,* non facile dictu est. Sacra Congregatio Conc., ad hoc quæsitum : « ... Hodie nonnulli Superiores Regulares, pro conscientiarum, ut inquiunt, quiete, denuo quærunt, an dictum *modicum tempus* celebrandi missas, reputetur tempus *duorum* vel *trium* mensium, » respondit, 17 julii 1655 : « Modicum tempus intelligi *infra mensem*[1]. » Notandum est hanc declarationem datam esse pro communitatibus religiosis, in quibus, propter numerum sacerdotum, facilius missæ celebrantur, nec fuisse relatam in Innocentii XII bulla *Nuper.* Unde communiter dicunt aut supponunt doctores hanc declarationem non necessario extendendam esse ad totum orbem terrarum et ad privatos sacerdotes. Communis enim opinio est, missas pro *vivis* celebrandas esse infra bimestre (quod tempus, in jure canonico, habetur ut modicum; cf. conc. Trid., c. *Cum præcepto,* 1, sess. XXIII, De ref.), missas autem pro *defunctis* citius, nempe infra mensem, aut circiter[2]. — Verum id intelligitur de paucis missis; si enim idem fidelis det eidem

[1] Hanc decisionem refert Benedictus XIV, *Inst.,* LVI, n. 14.

[2] Sic S. Alph., lib. VI, n. 317; — d'Annibale, ed. 3, t. III, n. 190, p. 167; — Lehmkuhl, ed. 1893, t. II, n. 199, p. 147; — Gury, t. II, n. 369; — Ferrari, *Summa inst. can.,* n. 327, not. 5, Parisiis, 1869, t. II, p. 23; — Gasparri, qui putat adhærendum decisioni an. 1655, agnoscit tamen nostram opinionem esse communem, *De Eucharistia,* n. 569, 592.

sacerdoti 90 missas, clarum est non posse eas celebrari tam brevi tempore; in hoc casu, si agatur de missis *pro vivis*, pro quibus conceditur dilatio bimestris, satisfiet intentioni fidelium, si intra quinque circiter menses celebrentur 90 missæ [1].

4° Si offerens eleemosynas missarum, audiens sacerdotem non posse statim pro ipso celebrare, consentiat ut magis etiam differat celebrationem, sacerdos potest acceptare eleemosynas, et celebrare missas tempore, de quo conventum est. — Quod per se patet, et declaratum est a S. Congr. Conc., an. 1625, in *responsis 12* et *15*.

5° Quoad ipsum *diem* celebrationis, si offerens petat celebrari missas, v. g., qualibet feria II, vel III, etc., vel prima die singulorum mensium, distinguendum est : vel constat offerentem non habuisse rationem specialem sic agendi, sed tantum voluisse ut haberentur *dies certi ;* vel e contra, quod semper præsumendum, habuit rationem specialem designandi tales dies, v. g., si designaverit primam feriam VI singulorum mensium, vel sabbatum ob honorem B. Mariæ Virginis, etc. In priori casu, anticipatio, vel modica dilatio generatim licita est, ut per se patet. In altero casu, standum est diebus determinatis; attamen, ut ait de Lugo : « Non facile poterit in ejus (designationis) omissione mortaliter peccari, cum materia sit ex se parva, præsertim si cum causa, vel non multum frequenter [2]. »

51. — Obligatio quoad locum celebrationis.

1° Si offerens petat missam celebrari in *altari privilegiato*, et sacerdos acceptaverit, hæc dicenda :

[1] Ita etiam C. Gennari, *Consultazioni canoniche*, etc., part. II, cons. 2, Napoli, 1893, p. 302, not. 1.

[2] De Lugo, *De sacramento Eucharistiæ*, disp. XXI, n. 43.

a. Satisfacit suæ obligationi sacerdos, non tantum si celebret in altari privilegiato, quod patet, sed etiam si fruatur *privilegio personali altaris privilegiati*, et, celebrans in quocumque altari, lucretur indulgentiam altaris privilegiati. — Hoc, aliunde per se clarum, confirmatur decisione S. Congr. Indulg., 16 feb. 1852 [1].

b. Non vero satisfacit suæ obligationi, si celebret in altari *non privilegiato*, licet etiam postea lucretur aliquam indulgentiam plenariam, v. g., recitando post missam orationem *En ego*, etc. — Constat : 1. *Decisione S. Congr. Indulg.*, quæ, ad quæsitum : « Utrum qui hac vel alia quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere, applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat? » respondit, 16 febr. 1852 : « Negative [2]; » — 2. *Ipsa ratione juridica;* aliæ enim indulgentiæ plenariæ, quoad efficacitatem suam, multum pendent a dispositionibus ejus qui eas lucrari intendit, dum indulgentia altaris privilegiati, quum sit annexa ipsi sacrificio Christi, non pendet a dispositionibus sacerdotis, secundum opinionem communem. Unde non parvi refert offerentis eleemosynam, quod sacerdos lucretur indulgentiam altaris privilegiati, potiusquam aliam. Ita communiter doctores [3].

c. Attamen, si sacerdos, qui tenetur applicare defuncto indulgentiam altaris privilegiati, hanc bona fide non lucretur (v. g., quia ritum missæ debitum non servavit), sufficit ut postea lucretur et applicet aliam indulgentiam ple-

[1] *Decreta authentica* S. Congr. Indulg., n. 351, Ratisbonæ, 1883, p. 301.

[2] *Decreta authentica*, n. 357, ad 2, p. 306.

[3] Theodorus a Spiritu Sancto, *De indulgentiis*, pars II, c. I, art. 4, § 1, in fine, Romæ, 1743, t. II, p. 56; — de Lugo, *loc. cit.*, n. 39; — Beringer, *Indulgences*, Paris, 1890, t. I, p. 462; — Gasparri, *loc. cit.*, n. 590; — d'Annibale, t. III, n. 69 (contra Lehmkuhl, t. II, n. 200).

nariam. — Sic ex concessione benigna S. Congr. Indulg., in *Briocen.*, 22 febr. 1847, ad 3 [1]. Nec hanc responsionem in *Briocen.* sustulit responsio posterior, supra relata, an. 1852; hæc enim statuit *jus*, prior continet benignam concessionem S. Congr., in favorem bonæ fidei; ita ambas responsiones conciliat ipsa S. Congr., in resp. 24 julii 1885 [2].

2° Si, extra casum altaris privilegiati, offerens petat celebrari missas *in loco determinato*, v. g., in tali ecclesia, in tali altari, tunc idem fere dicendum est ac supra de die determinata, nempe distinguendum est : vel *constat* offerentem non habuisse rationem specialem sic agendi; et tunc circumstantia loci non obligat sacerdotem nisi levissime; vel, *quod semper præsumendum*, habuit specialem rationem designandi talem locum, v. g., propter specialem cultum Sancti, Imaginis, Reliquiarum, propter beneficia ibi accepta, etc., et tunc circumstantia loci obligat; verum, ait de Lugo, « non facile continget peccatum mortale, propter parvitatem materiæ; imo, si fuisset (mutatus locus) cum causa rationabili, non erit peccatum veniale [3]. » Et ita communiter [4].

3° Si agatur de celebrioribus templis, in quibus quotidie a fidelibus offeruntur multæ missarum eleemosynæ, quæ profecto in his templis omnes celebrari nequeunt, valde opportunum est ut tabella obvia apponatur, qua moneantur fideles missas ibi *non posse omnes celebrari, verum diligentiam omnem adhiberi ut quam citissime in aliis ecclesiis celebrentur;* imo, teste Benedicto XIV [5], hæc cautela præcipi solet a S. Congr. Concilii (utique in casi-

[1] *Decreta authentica*, n. 339, p. 289.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XVIII, p. 94. — Cf. Beringer, *loc. cit.*, p. 469-470.
[3] De Lugo, *loc. cit.*, n. 36.
[4] Præter de Lugo, cf. Barbosa, *De officio Episcopi*, alleg. 24, n. 33 sq.
[5] *Inst.*, LVI, n. 14. — Cf. etiam Gasparri, *De Eucharistia*, n. 577-580; n. 621.

bus qui ad eam deferuntur). — Quod si non apponatur hæc tabula, Episcopus proprio jure cavere potest de modo et loco translationis missarum, quæ supersint. Nam licet non possit commutare fidelium voluntates, potest tamen eas interpretari, præsertim quando hæ voluntates *impedimento juris* vel *facti nequeunt adimpleri*[1].

52. — Obligatio quoad qualitatem missæ. — Hæc dicenda :

1° Si offerens petat missam *pro defuncto*, sacerdos sufficienter satisfacit per applicationem cujuslibet missæ, licet non sit missa *de requiem*. — Et quidem : 1. Solutio omnino certa est, si sacerdos applicet missam *pro defuncto*, die festo *duplici;* quia S. Rit. Congr., *decreto* 5 aug. 1662, prohibuit ne diebus festis duplicibus missæ *de requiem* celebrarentur, simulque declaravit, sic volente Rom. Pontifice : « Si ex benefactorum præscripto, missæ hujusmodi celebrandæ incidunt in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed *dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorum benefactorum*[2]. » Quod valet, licet benefactores petierint non tantum missam pro defuncto, sed etiam missam *de requiem*, quia etiam de hujusmodi missa agitur in decreto, ut patet ex contextu[3]; — 2. Idem certum etiam videtur, si sacerdos missam de die applicet *pro defuncto*, etiam die festo semi-duplici, aut infra, in quo posset dicere missam *de requiem;* nam : *a*. Alia est applicatio sacrificii, alius ritus; si offerens petat missam

[1] Cf. Gennari, *Consultazioni*, etc., part. II, cons. 2, Napoli, 1892, p. 306; — d'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, n. 69, in fine, p. 67.

[2] *Decreta authentica*, n. 1238, t. I, p. 255.

[3] In quo casu R. Pontifex, pro sua suprema potestate, paululum commutavit voluntates benefactorum.

de requiem, petit ritum; si vero petat tantum missam *pro defuncto*, non petit nisi *applicationem*, ob usum universalem Ecclesiæ applicandi missam pro defunctis, etiam in missis *non nigris :* cui usui se conformare præsumitur offerens; — *b.* Sic aperte declaravit S. Congr. Indulg., 11 apr. 1840 : « Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi missam *pro defuncto*, servando ritum feriæ, vel cujuscumque sancti, etiam si non sit semiduplex aut duplex? — *Affirmative*[1]; » — *c.* Sic fert *communissima* doctorum sententia, teste S. Alphonso[2]; — *d.* Nec obstat decisio S. Congr. Rit. in *Aquen.*, 3 martii 1761, ad 7[3] : « Diebus quibus dici possunt missæ votivæ privatæ vel defunctorum, sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriæ obligationi non satisfacit, dicendo missam de die occurrente ; *expressa* enim *voluntas testatorum vel postulantium*, dummodo sit rationabilis, *debet adimpleri;* » non obstat, inquam, hæc decisio, quia manifeste supponit *expressam voluntatem* offerentium, de celebranda missa, non tantum pro defuncto, sed *de requiem.*

2° Si offerens petat, voluntate expressa, missam *de requiem*, sacerdos, si acceptaverit, tenetur, non tantum applicare pro defuncto, sed etiam celebrare missam *de requiem, saltem si per rubricas liceat.* — Constat propositio, tum ex principio generali, quod servanda sit, quando possit, voluntas expressa offerentium, — tum supra cit. decisione S. Rit. Congr. in *Aquensi*, an. 1761. — Si sacerdos non celebraverit missam *de requiem*, non tenetur restituere stipendium acceptum, sed postea sup-

[1] *Decreta authentica* S. C. Ind., n. 281, ed. 1883, p. 248.
[2] Lib. VI, n. 422.
[3] *Decreta authentica*, n. 2461, t. II, p. 121.

plebit applicando (non quidem fructum medium, sed) suffragia ex ritu missæ *de requiem* orta.

3° Si offerens petat missam *pro vivis*, sacerdos satisfacit per applicationem cujuslibet missæ, etiam missæ *de requiem*. — Constat : *a*. Ipsa *ratione canonica;* petitio enim missæ *pro aliquo vivo*, v. g., ægroto, peccatore, etc., nullo modo importat ritum, sed tantum applicationem *fructus medii* seu *specialis*, qui idem omnino est in quibuslibet missis; — *b. Decisione S. Rit. Congr.*, 13 oct. 1856 : « An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare missam *de requiem*, ut satisfaciant obligationi quam susceperunt celebrandi pro vivis? — *Affirmative, modo non diverse præscripserit qui dedit eleemosynam*[1]; » — *c. Decisione S. Congr. Concilii*, in *Romana*, 27 aug. 1895, in qua declaravit sacerdotem, missam *de requiem* in exsequiis persolvendis, nullo recepto stipendio, celebrantem, posse applicare hanc missam *de requiem* ad aliam intentionem pro eleemosyna recepta, et proinde etiam pro vivis[2]; — *d. Usu communi*, quo sacerdotes, die 2 nov., celebrant quidem, ex præcepto rubricarum, missam *de requiem*, sed illam applicant ad quamlibet intentionem, etiam pro vivis [3].

4° Si offerens petat *missam votivam* alicujus sancti, vel mysterii, sacerdos obligationi non satisfacit applicando *missam diei festi duplicis occurrentis;* concessio enim S. Rit. Congr., aut potius Rom. Pontificis, in supra cit. decreto 5 aug. 1662, non valet nisi pro missis *de requiem;*

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXVIII, p. 127. — Hæc decisio non est apud *Decreta authentica*.

[2] *Acta S. Sedis, ibid.*, p. 125-128.

[3] Non enim tenemur, hac die, applicare missam *pro omnibus fidelibus defunctis*, uti per se patet (quia nullibi præceptum est), et ut respondit S. Congr. Rit., in una *Dalmatiarum*, 4 aug. 1663, ad 9; *Decreta authentica*, n. 1275, t. I, p. 262.

unde sacerdos tenetur exspectare diem in quo possit celebrare missam *votivam*, et tunc celebrare et applicare ad mentem offerentis. — Quæ omnia patent ex dictis.

5° Si offerens petat missam *in honorem alicujus sancti vel mysterii*, quærendum est, ex adjunctis temporum, regionum et personarum, quid præcise voluerit, utrum celebrari *missam votivam* hujus sancti, an tantummodo offerri divinum sacrificium, ut promoveatur cultus et honor hujus sancti, Deoque gratiæ reddantur pro beneficiis illi concessis[1]; standum erit ejus voluntati; quod si relinquatur dubia, partem quæ sibi magis placuerit, eligat sacerdos. — Quæ patent ex dictis[2], et ita communiter[3].

6° Si offerens petat missam *cantatam*, vel missam *solemnem* (nempe cum diacono et subdiacono), patet non posse satisfieri obligationi, in utroque casu, nisi per missam cantatam aut missam *solemnem*. Missa autem *cantata* non importat missam solemnem. Missam *lectam* non sufficere pro adimplendo onere missæ *cantatæ*, aperte declaravit S. Congr. de Prop. Fide, Epist. 8 junii 1844[4].

§ 5. De stipendio missæ aliunde debitæ.

53. — Missa debita ratione beneficii, etc. — Quando sacerdos tenetur ad applicandam missam ratione *beneficii*,

[1] Sic enim quælibet missa offertur « in honorem beatæ Mariæ semper virginis, et beati Joannis Baptistæ, etc. », ut dicit sacerdos intra missam in oratione *Suscipe*.

[2] Cf. Responsum S. Rit. Congreg. in una *Plurium diœcesium*, 13 junii 1899, ad 4; *Decreta auth.*, n. 4031, t. III, p. 365.

[3] Cf. Gasparri, *De Eucharistia*, n. 596; — Lehmkuhl, t. II, n. 201. — Vide etiam apud *Nouvelle Revue théologique*, an. 1893, t. XXV, p. 391 sq., responsum S. Pœnitentiariæ, 7 dec. 1892, quæ omnia prædicta confirmantur.

[4] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 883, Romæ, 1893, p. 319.

capellaniæ, legati aut *salarii*, non potest eamdem missam ad aliam intentionem, pro stipendio recepto, applicare. — Constat *responso 4* in *decretis* an. 1625, quod sic habet: « Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione *beneficii*, seu *capellæ, legati* aut *salarii*, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, *non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.* » Ergo, si sacerdos ratione beneficii teneatur applicare pro *defunctis*, et missa dato stipendio postuletur pro *vivis*, sacerdos utrique oneri una missa satisfacere nequit. — Hæc aliunde propositio non est nisi corollarium doctrinæ supra (n. **48**) positæ, juxta quam tot sunt celebrandæ missæ, quot recepta stipendia; missa enim debita ratione beneficii, capellaniæ, etc., habet suum stipendium in reditibus beneficii, capellaniæ, etc.

54. — **Quæritur** *Quid dicendum, quando, in fundatione beneficii vel capellaniæ, in constitutione legati aut salarii, requiritur a sacerdote celebratio tantum missarum?*

1° Sciendum est, ante omnia, fidelem, offerentem aliquam eleemosynam pro missa, posse petere tantum *ut missa celebretur, non vero ut sibi applicetur:* quod quidem non præsumendum, sed tamen fieri potest, v. g., in die dominica, ut facilior sit fidelibus auditio missæ, in pia peregrinatione, in sacello tali vel tali sancto dicato, etc. Porro, si *omnino constet* fidelem non petere nisi missæ *celebrationem*, potest sacerdos hanc missam applicare pro recepto stipendio; nec dici potest eum duplex pro eadem missa recipere stipendium; nam prior eleemosyna non est præcise stipendium (quod non solet intelligi nisi pro missa *applicata*), sed potius aliquod salarium, ut sacerdos subeat incommodum tali loco, die et hora celebrandi[1].

[1] Ita de Lugo, *De sacramento Eucharistiæ*, disp. XXI, n. 21-24.

2° Quando, in fundatione beneficii, capellaniæ, etc., requiritur a sacerdote *celebratio* missarum, præsumendum est fundatorem voluisse tum *celebrationem*, tum *applicationem* missarum : hoc enim fieri solet a fundatoribus; porro, juxta regulam 45 juris, in VI : « Inspicimus in obscuris quod est *verisimilius*, vel quod *plerumque fieri consuevit*. » Et ita constans jurisprudentia S. Congr. Conc., v. g., in *Tinen.*, 18 martii 1668[1].

3° Quando, in fundatione beneficii, capellaniæ, constitutione legati, salarii, etc., requiritur tantum *celebratio* missarum, *ita ut omnino constet fundatorem non requisivisse applicationem*, sacerdos potest applicare missas pro receptis stipendiis. — Ratio patet ex dictis; tunc enim non præcise recipitur duplex stipendium pro una missa. — Nec obstat supra cit. *responsum 4*, ad *decreta* 1625, quod intelligendum est, juxta supra dicta, de *celebratione cum applicatione conjuncta*. — Et ita, omissis decretis, forte non authenticis[2], S. Congr. Conc., communis doctorum sententia[3].

4° Quandonam autem *omnino constet* fundatorem non requisivisse nisi *celebrationem*, hoc, pro singulis casibus, relinquitur judicio prudentum. Si, v. g., fundator expresse dicat se liberam celebranti relinquere applicationem, si alias missas jubeat *celebrari et sibi applicari*, alias autem tantum *celebrari*, dicendum est ipsum voluisse tantum

[1] Quam refert Benedictus XIV, *Inst.*, LVI, n. 9, et *De sacrificio missæ*, part. II, n. 198. Omittimus alia decreta ejusdem Congr., quia, ex Benedicto XIV, *De sacrificio missæ, ibid.*, forsan non sunt authentica.

[2] Vide notam superiorem.

[3] De Lugo, *loc. cit.*, n. 19 sq.; — Fagnan, in c. *Significatum* (11, *De præbendis*), n. 38 sq.; — de Berlendis, part. II, § 12, n. 7-8, p. 455; — S. Alph., lib. VI, n. 324. — Nec contrarius est Benedictus XIV, qui quæstionem non diremptam relinquit, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 198.

celebrationem[1]. Aliquando intentio fundatorum, exigendi tantum *celebrationem,* constat ex consuetudine, ut in causa *Monasterien.,* 14 junii 1845, ad 1[2]. In dubio, semper tenendum est ipsum voluisse celebrationem et applicationem.

55. — Missa debita ratione curæ animarum, seu missa pro populo. — *Parochi, aliique, qui tenentur missam applicare pro populo, non possunt hanc missam ad aliam intentionem, recepto stipendio, applicare,* ita ut utrique oneri satisfaciant. — Constat : 1. Ex supra relato *responso 4,* ad *decreta* 1625; parochiæ enim seu curæ animarum conjungi solet *beneficium,* aut saltem *congrua,* seu *salarium,* quod continere censetur stipendia missarum *pro populo;* — 2. Ex Benedicti XIV const. *Cum semper oblatas,* 19 aug. 1744[3], § 2, ubi diserte tradit : « eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, *nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse.* » — Hinc contrariam consuetudinem, recipiendi nempe eleemosynam pro missa parochiali, reprobavit S. Congr. Concilii[4]. — Ergo, licet offerens missam petat *pro defunctis,* aut *in honorem Dei,* non potest parochus morem illi gerere, stipendiumque accipere, sub prætextu quod non debeat ovibus suis fructum latreuticum aut satisfactorium.

[1] Cf. Ferraris, v° *Missa,* art. 3, n. 15-17; — Gasparri, *De Eucharistia,* n. 494, p. 353.

[2] *Decreta authentica* S. Rit. Congr., n. 2892, t. II, p. 327.

[3] *Bull. Bened.,* t. I, n. CIII.

[4] In *Brixien.,* 3 martii 1855, *per summaria precum; Acta S. Sedis,* t. I, p. 14.

56. — Missa conventualis pro benefactoribus. — *Canonici, vel alii choro adstricti, qui celebrant missam conventualem, ideoque eam applicant pro benefactoribus in genere, non possunt eamdem missam ad aliam intentionem, recepto stipendio, applicare.* — Constat ex supradicto *responso 4*, ad *decreta* 1625; nam hi canonici vel beneficiati tenentur prædictam missam celebrare et applicare, ratione propriæ præbendæ vel proprii beneficii, vi cujus pertinent ad capitulum et sunt de gremio capituli; ergo, vi prædicti *responsi*, non possunt eamdem missam pro alia eleemosyna applicare. — Quod fortius valet in illis plurimis capitulis in quibus, ex speciali *massa* ad hoc destinata, tribui solet aliqua specialis eleemosyna seu distributio canonico seu beneficiato pro celebranda et applicanda missa conventuali. — Quæ confirmantur pluribus S. Congr. Conc. responsis [1], quæ omitto, quia res clara est.

57. — Missa debita ratione præcepti superioris, promissionis, voti.

1° Si Superior, v. g., Prælatus quoad Regulares, vel Episcopus quoad sacerdotes sæculares, jubeat applicari missam ad intentionem determinatam, subditi missam ad hanc intentionem applicare tenentur, ut per se patet [2].

[1] Apud de Berlendis part. II, § 12, n. 8, p. 456.

[2] Hic notandum, si sacerdos subditus, neglecto præcepto superioris, missam suam ad aliam intentionem applicet, hanc applicationem esse quidem illicitam, sed *validam*. — Hoc patet pro sacerdote sæculari; pro sacerdote autem regulari, qui dicitur « velle et nolle non habere », quidam dixerunt hanc applicationem esse etiam *invalidam;* sed hoc communissime rejicitur, quia potestas applicandi missam est potestas *ordinis;* vi enim ordinis sui, sacerdos est consecrator et *dispensator* sacrificii; potestas autem ordinis est independens a voluntate superiorum. — Ita, contra paucissimos, de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XIX, n. 210 sq.; — Suarez, *In part. III D. Th.*, disp. LXXIX, sect. IX, n. 3; — S. Alph., lib. VI, n. 334; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 63, Lovanii, 1762, p. 112.

Porro, hanc missam sic debitam non possunt ad aliam intentionem, pro recepto stipendio, applicare. — Hic quidem non applicatur prædictum *responsum 4;* sed ipsa ratio theologica rem satis demonstrat; nam superior, hoc præceptum imponens, intelligit missam cum omnibus suis elementis et fructibus quæ possunt ad finem intentum concurrere; porro *vivis* prosunt fructus impetratorius et satisfactorius; *defunctis* prodest immediate satisfactorius et mediate impetratorius. — Nec dicas sacrificium, duobus applicatum, æque singulis prodesse ac si singulis applicaretur; nam hoc, licet sit probabile, et, si velis, valde probabile, non egreditur tamen fines probabilitatis; porro nec præcepto certo, nec obligationi certæ justitiæ, satisfieri potest per adimplementum dubium.

2° Si sacerdos promiserit unam missam promissione *mere gratuita*, quæ proinde non obliget nisi ex fidelitate, tenetur quidem applicare missam, sed non nisi *sub levi;* juxta enim communem opinionem, hæc est indoles hujus obligationis ex promissione, nisi quis gravius se velit obligare [1]. — Insuper, ut eadem fert communis opinio, licet hic uti sententia, juxta quam sacrificium, pluribus applicatum, æque prodest singulis, ac si uni applicaretur; unde pluribus missis gratuito promissis satisfieri potest uno sacro; ratio est quia, juxta *L. Quidquid adstringendæ*, 99, ff. *De verb. oblig.* (XLV, 1), quæ maxime ratione nititur, promissio gratuita hanc recipere debet interpretationem, ut sit promittenti quam minime onerosa; præsumitur enim noluisse se obligare nisi juxta bonas et pro-

[1] S. Alph., lib. VI, n. 317, q. IV; — d'Annibale, edit. 3, t. III, n. 190, p. 166. — Imo, fieri potest ut nulla, etiam levis, sit obligatio, si nempe, ut fit aliquando, promittens voluerit tantum animum benevolum ostendere (Carrière, *De contractibus*, n. 477, t. II, p. 7); tunc sufficiet in missa commendatio.

batas doctorum opiniones[1]. — Hinc, missam sic debitam et uni vel pluribus applicatam vi promissionis mere gratuitæ, sacerdos potest ad aliam intentionem, *etiam pro recepto stipendio,* applicare, modo tamen pro hac ultima obligatione, quæ est *ex justitia,* missam applicet intentione *primaria,* pro aliis autem intentione *secundaria*[2].

3° Si sacerdos promiserit missam promissione *onerosa,* quæ proinde transeat in contractum bilateralem, hæc missa intelligenda est ut modo dicebam de missa debita ratione *præcepti superioris.* — Nam, cum hic interveniat ratio justitiæ exigentis certitudinem et æqualitatem, sacerdos non potest suæ obligationi satisfacere, nisi per *applicationem certam missæ cum suis omnibus fructibus.* Unde, licet non agatur nisi de una missa, obligatio est *gravis*[3], juxta supradictam (n. **47**) communem opinionem. — Exemplum est in illis piis sacerdotum associationibus, quas libere quidem ingrediuntur sacerdotes, sed, si ingressi sint, tenentur ad statuta, juxta quæ, defuncto uno socio, singuli viventes unam missam pro ipso applicare teneantur. — Hinc, missam sic debitam et applicatam vi promissionis onerosæ, sacerdos non potest ad aliam intentionem pro recepto stipendio applicare.

4° De missa debita ratione *voti,* idem dicendum est ac de missa debita ratione *præcepti,* nisi aliud intenderit vovens.

§ 6. De stipendio missæ in una die iteratæ.

58. — Prohibitio duplicis stipendii. — *Hodie, vi consuetudinis quæ videtur in plerisque orbis partibus*

[1] Gury, t. II, n. 370; — d'Annibale, *loc. cit.;* — Gasparri, n. 643, t. I, p. 468.

[2] Ballerini in Gury, t. II, n. 352; — Gasparri et d'Annibale, *loc. cit.*

[3] Licet non desit qui putet esse *levem.*

recepta, non licet sacerdoti, duas missas una die celebranti, duplex stipendium recipere. — De qua consuetudine hæc dicenda :

1° Sæculo XVIII, imo per fere totam priorem mediam partem XIX, nulla fit apud auctores mentio hujus prohibitionis; S. Alphonsus, Billuart, aliique, in locis ubi hanc memorare debuissent, prorsus silent; item Benedictus XIV in epist. *Declarasti.* Circa annum 1840, probati auctores, v. g., Bouvier, Gousset, dicunt in casu licitum esse duplex stipendium [1]. Circa annum 1858, in pluribus Galliæ diœcesibus, sacerdotes bis celebrantes duplex stipendium optima fide recipiebant [2]. — Id solum prohibitum et reprobatum erat, ut nempe sacerdos eo præcise fine bis in die celebraret, *ut duplici stipendio se facilius sustentaret :* quod jam Alexander II prohibuerat, c. *Sufficit,* 53, dist. I, De cons.; unde hanc vocat *abusionem intolerabilem* Benedictus XIV [3]. Sed hoc longe aliud est a supra dicta prohibitione.

2° Prima Congr. Concilii, in *Vintimilien.,* 19 dec. 1835, quum agebatur de concedenda facultate binandi parocho qui uni præerat parochiæ, ad quæsitum : « An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti in casu, » respondit : «*Affirmative, ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa* [4]*;* » quæ profecto prohibitio erat mere *localis et in casu,* ut patet. — Canonicum autem documentum a quo S. Congr. Conc. hanc prohibitionem mutuata esse videtur, est Benedicti XIV, breve *Quod*

[1] Cit. in *Folio* causæ *Cameracensis,* 25 sept. 1858 (*Thesaurus,* t. CXVII, p. 404-405). Agitur de prioribus editionibus horum auctorum; nam in posterioribus loca mutata sunt.

[2] Ut, v. g., in diœcesi Cameracensi, uti refertur in cit. *Folio* in *Cameracen., loc. cit.*

[3] Brevi *Apostolicum,* 30 maii 1753, § 11 (*Bull. Bened.,* t. IV, n. XVI).

[4] *Thesaurus,* t. CXVII, p. 407.

expensis, 26 aug. 1748, quo, ut supra dictum est (n. **27**), Hispanis et Lusitanis tres missas pro die 2 nov. concessit, sed ea expressa et rigida lege, ut pro novis missis concessis nullum prorsus stipendium, directe aut indirecte, vel etiam sponte oblatum, reciperetur. Quod imitata Congregatio Conc., concessit quidem alteram missam, sed eadem lege. Et quidem omnino ad mentem canonum, et sapientissime; quum enim, ut ait Benedictus XIV in cit. brevi, § *Ut autem*, ideo suppressa fuit pluralitas missarum in una die, « ut avaritiæ et sordidis quæstibus adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur, » necesse erat, si iterum in aliquo casu pluralitas missarum concederetur, firmam apponere prohibitionem plura stipendia recipiendi, ne scilicet eadem mala reviviscerent.

3° Inde S. Congr. Conc., quoties indulta binationis ab ipsa petita sunt, eamdem conditionem apponere solita est; solitum ejus hac in re *responsum* exscriptum est in *folio* causæ *Cameracensis*, 25 sept. 1858[1], in quo legimus : « Ordinariorum scilicet esse de re cognoscere (de necessitate binandi)...; qui (Ordinarius) præterea moneat parochos, quibus facultatem iterum eadem die secundam missam celebrandi concesserit, *ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque prætextu pro ea percipiant*, juxta decreta alias edita a S. Congr., sed eam pro populo sibi commisso gratis applicent[2]. » Hæc scripsit, circa an. 1840, S. Congr. ad plures antistites, et, 14 oct. 1843, ad archiepiscopum Cameracensem.

4° Juxta hanc *declarationem*, prodiit, 22 sept. 1858[3],

[1] *Thesaurus*, t. CXVII, p. 403.

[2] Quæ ultima verba referuntur exclusive ad casum quo parochus duabus parochiis præsit.

[3] *Thesaurus*, t. CXVII, p. 408.

celebris resolutio S. Congr. Conc. in *Cameracen.* Hæc, inter alia, quæsita erant : « 2. An parochus qui in una eadem parochia, bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis omnino applicare teneatur in casu; — 3. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent..., secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu; » porro respondit : « Ad 2. Negative, *firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* — Ad 3. Negative, quatenus curam animarum non habeant, *firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* » — Quæ *resolutio* facta est quasi norma, ad quam postea non semel remisit S. Congr. (v. g., in *Salamantina,* 22 febr. 1862) [1], aut quam constanter supposuit (v. g., in pluribus causis infra referendis).

5° Hinc paulatim enata est consuetudo, in Italia, Gallia, Hispania, etc., quæ vim legis habet. Licet enim præfata S. Congr. Concilii responsa non sint generalia, nec fuerint promulgata, et proinde ex se vim juris non habeant (quippe quæ continent interpretationem certo extensivam decreti conc. Trid. [2], et proinde, juxta omnes, egent promulgatione), attamen locum et felicem occasionem dederunt consuetudini, quæ nullo requisito caret, ut vim obligandi habeat. Unde audiendi non sunt quidam, qui de hac prohibitione dubie loqui videntur, v. g., Santi, cæteroquin doctissimus, qui ait tantum : « At, ex *mente canonum, videtur non posse recipi eleemosynam pro secunda missa* [3]. »

6° Quæ consuetudo, promovente S. Congr. de Prop. Fide, invaluit etiam per loca missionum. Hæc enim, in

[1] *Thesaurus,* t. CXXI, p. 72.

[2] C. *Quanta cura,* I, sess. XXII, De observandis et vitandis in celebratione missæ, § *Atque ut multa.*

[3] *Prælectiones juris can.,* in tit. *De celebr. miss.,* n. 6, Ratisbonæ, 1886, t. III, p. 359.

encyc. 15 oct. 1863[1], dixit : « Visum est expedire eam promulgare regulam, quam constanter tenuit S. Congr. Emorum Patrum conc. Trid. interpretum, videlicet, *ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda missa, etiamsi de illis agatur, qui, parochiali munere instructi, ideo stipendium pro prima missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur.* » Quod iterum declaravit in *Instructione* 24 maii 1870, n. 8[2]. — Attamen, ob speciales missionum pecuniarias necessitates, Pius IX, ut ait S. Congr. duobus locis cit., « benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis missionum facultas impertiatur, quemadmodum per præsentes litteras eisdem tribuitur, indulgendi, ut, justa et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant. » Unde, in locis missionum, prohibitio valde mitigata est.

7° Unde, juxta hanc consuetudinem et decisionem in *Cameracen.*, parochus qui bis celebrat, si duplicem regat parochiam, duas missas *pro populo* applicat; si unam tantum regat parochiam, unam, quam voluerit, *pro populo* applicat, alteram gratis. Alii sacerdotes, curam animarum non gerentes, alterutram missam pro recepto stipendio applicant, alteram gratis[3].

[1] *Collectanea,* n. 887, Romæ, 1893, p. 319.

[2] *Collectanea,* n. 792, p. 297.

[3] Non raro conceduntur *indulta* a S. Sede, ut nempe sacerdotes bis celebrantes percipere valeant pro secunda missa eleemosynam; solet autem apponi conditio, nempe ut hæc eleemosyna proficiat alicui pio operi, v. g., seminariis. Vide in periodico *Le Canoniste contemporain,* an. 1893, t. XVI, p. 76-78, rarissimum, imo, quod sciam, unicum exemplum indulti, vi cujus episcopus possit parochis pauperibus, duabus parochiis præfectis, licentiam dare sibi retinendi eleemosynam secundæ missæ diebus dominicis festisque celebratæ; quod indultum, an. 1886, viva voce a Leone XIII concessum est episcopo, pro toto sui episcopatus tempore.

59. — **Quæritur 1°** *Num sacerdos bis celebrans possit percipere aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi extrinseci?*

Resp. *Affirmative.* Nam fieri potest ut bina celebratio (præter laborem intrinsecum celebrationis, qui pretio æstimari nequit, quia cum ipsa missa confunditur) afferat magnum laborem et varia incommoda itineris, jejunii, etc. Pro his porro omnibus nihil repugnat percipi aliquam remunerationem; hoc enim non est percipere eleemosynam pro secunda missa, cujus applicatio remanet omnino libera[1]. Et hoc passim consuetudine receptum est pluribus in locis, ubi constituta sunt fundationes aut salaria, non tantum ad solvendas impensas, v. g., itineris, pro secunda missa, sed etiam ad præbendam aliquam remunerationem celebranti, intuitu incommodi et laboris extrinseci. Quum ergo præfata prohibitio duplicis stipendii vim suam juridicam hauriat ex consuetudine, non est extendenda ultra ambitum ipsius consuetudinis. Unde in hoc sensu respondit S. Congr. Concilii, in *Treviren.*, 23 maii 1861, *per summaria prec.*: « *Posse permitti, prudenti arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missæ*[2]. »

60. — **Quæritur 2°** *Num sacerdos bis celebrans possit, per secundam missam, satisfacere alicui veræ obligationi applicandi missam?* — Resp. :

1° Non potest, per secundam missam, satisfacere obligationi contractæ ex *quasi stipendio.* Voco *quasi stipendium* illam remunerationem quam parochi, beneficiati, etc., recipiunt pro adimplendis omnibus oneribus parochiæ aut

[1] Nisi agatur, ut statim dictum est, de parocho duas regente parochias, qui ambas missas applicare tenetur *pro populo.*

[2] *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 13-15.

beneficii, inter quæ reperitur etiam onus applicandarum missarum pro populo, pro benefactore, etc. Unde si parochus, infirmitate aut alia causa impeditus, non possit hac die dominica applicare *pro populo*, non poterit, sequenti die dominica, per secundam missam, satisfacere obligationi omissæ. Et hoc satis patet; aliter enim reciperet stipendium pro secunda missa. Et in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., 21 martii 1887 [1].

2° Potest autem, per secundam missam, satisfacere obligationi ex charitate, ex fidelitate, ex voto, ex præcepto superioris, etc. Ratio est quia sic nullum recipit stipendium pro secunda missa.

3° Potest etiam, per secundam missam, satisfacere obligationi ex quasi contractu aut justitia, modo non recipiat *stipendium*, nec *quasi stipendium*. Sic multæ reperiuntur sacerdotum associationes, in quibus lex est, ut, uno defuncto, omnes pro ipso applicent missam : quæ profecto obligatio est ex justitia, quum orta sit ex quasi contractu. — Ratio est quia responsa S. Congr. Conc., et inde orta consuetudo, stricte sunt intelligenda, quippe quæ induxerint novam et gravem obligationem; porro hæc responsa excludunt tantum *receptionem eleemosynæ* pro secunda missa : « *Firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* » Ergo non sunt extendenda ultra casum quo recipitur stipendium, aut, ad summum, quasi stipendium in sensu supra declarato. — Nec refert quod sacerdos inde lucretur, *indirecte*, aliquod emolumentum; si enim, in casu dato, non applicaret secundam missam pro socio defuncto, aliam missam gratis applicare teneretur et sic uno stipendio privaretur. Hoc, inquam, non obstat, tum quia illud adjunctum se habet *per acci-*

[1] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 215, p. 80.

dens, tum quia aliter nec liceret, per secundam missam binationis, satisfacere obligationi ortæ ex voto, præcepto, charitate, etc.; quod nemo dixerit. — Unde pluries in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., v. g., in *Nanceyen.*, 14 sept. 1878 [1], in *Vivarien.*, 5 martii 1887 [2], licet paulo antea, nempe 29 apr. 1871, quum ageretur de simili associatione, dicta *Pactum Marianum*, hæsitasset et dedisset indultum ad cautelam [3].

[1] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 894, p. 321, vel apud *Acta S. Sedis*, t. XI, p. 283.

[2] *Acta S. Sedis*, t. XX, p. 39.

[3] *Acta S. Sedis*, t. VII, p. 69-77.

CAPUT V

DE MISSIS FUNDATIS

§ 1. De legibus canonicis circa ipsam fundationem missarum.

61. — Notio prævia. — Missæ *fundatæ*[1] eæ dicuntur quæ, *in numero determinato, quotannis, in perpetuum, celebrari debent, pro quibus proinde constituitur fundus seu dos, numero missarum et earum perpetuitati proportionata.* His assimilantur quæ quotannis, non quidem in perpetuum, sed ad *diuturnum tempus* celebrari debent, v. g., ad quinquaginta annos, sive quia id expresse cautum est in tabulis fundationis, sive quia Rom. Pontifex concessit ut legata perpetua missarum exstinguerentur post quinquaginta annos (uti fecit pro Fratribus Ordinis Minimorum, ut infra dicetur). Hinc patet quid sit *fundatio missarum*, nempe constitutio dotis in aliqua ecclesia vel instituto aut loco pio, ut quotannis in perpetuum una missa vel plures celebrentur. Hinc etiam patet multum differre hujusmodi missas *fundatas* a missis *manualibus* seu *adventitiis*, de

[1] Aliquando, præsertim apud veteres, vocantur *anniversarium*, vel *anniversaria*, quia, quolibet anno redeunte, celebrari debent.

quibus supra diximus : hæ enim non dicuntur quotannis in perpetuum, sed semel dicuntur in numero determinato, licet forsan is numerus magnus sit, pro quibus proinde traditur ab offerente eleemosyna numero missarum respondens.

Ut autem rite peragatur fundatio missarum, tria requiruntur, nempe *acceptatio facta ab Instituto, licentia auctoritatis competentis,* et *investimentum dotis,* de quibus statim :

62. — Primum requisitum : acceptatio Instituti. — Fundationem acceptari necesse est ab administratoribus Instituti, sive fiat per donationem inter vivos, sive per actum ultimæ voluntatis : quod ipso jure naturali clarum est. — Donatio autem, antequam acceptetur, revocari potest a donatore, et si hic moriatur ante acceptationem, donatio ipso jure evanescit. Unde patet fundationes acceptandas esse quam primum, et etiam ante habitam licentiam Superioris, sed *sub expressa conditione hujus habendæ licentiæ,* quæ omnino necessaria est, ut nunc dicendum est.

63. — Secundum requisitum : licentia auctoritatis competentis.

1° *Fundatio missarum in qualibet ecclesia aut instituto fieri nequit, nisi cum licentia vel Episcopi aut vicarii generalis, si agatur de ecclesia aut instituto sæculari, vel Prælati regularis, si agatur de ordine regulari.* — Constat clare utrumque *decretis* an. 1625, quæ vim legis habent (ut supra, n. **48** 1°, dictum est) ; sic enim fert *decretum* 5, partic. 3 : « S. Congr., quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum, tam sæcularium quam regularium, Superioribus, vel aliis ad quos pertinet,

districte prohibet ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi vel ejus generalis vicarii, regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia, in scriptis et gratis concedenda[1]. »

2° Superior, de licentia prædicta requisitus, duo inquirere debet : 1. Num institutum, de quo agitur, *possit, attento numero sacerdotum ejus, tam veteribus oneribus, quam novo suscipiendo satisfacere ;* — 2. Num dos constituta pro nova fundatione *respondeat novo oneri secundum morem cujusque civitatis vel provinciæ.* Superior autem dare nequit suum consensum fundationi, antequam ipse certior sit præfata duo vera esse. — Constat tum ipsa natura rei de qua agitur, tum *decreto 6, ib.,* quod hæc omnia clare præcipit.

3° In licentia concedenda, *determinari debet numerus missarum celebrandarum,* modo qui sequitur :

a. Si pius fundator constituerit tantum dotem, sed non determinaverit numerum missarum quotannis celebrandarum, non hæredis est hunc numerum præscribere, sed Ordinarii. — Constat *responsio 2* ad *decreta* an. 1625 : « Si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non præscripserit, tunc *tot missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciæ.* » — Igitur Ordinarius determinat numerum juxta taxam ab eo præscriptam vel consuetudine receptam pro *missis perpetuis ;* hæc taxa major esse debet taxa missarum manualium, tum quia hoc ipsum requirit assumptio oneris perpetui, tum quia, præter eleemosynam sacerdoti celebraturo tradendam, reservanda est aliqua pars ipsi Instituto seu

[1] *Bull. Rom.,* t. IX, p. 465. — Habes hæc *decreta* ad calcem hujus voluminis, *documentum I.*

fabricæ Ecclesiæ pro gestione bonorum dotis aliisque impensis, tum quia opportunum est etiam consulere futuræ imminutioni bonorum [1].

b. Si donator assignaverit taxam infra statutam et adhuc ipse vivat, res cum ipso componenda est.

c. Si donator mortuus sit vel fundatio facta fuerit per actum ultimæ voluntatis, res componi nequit cum ejus hæredibus, sed recurrendum est ad S. Sedem (ut infra dicetur, n. **74**), nisi fundator in ipso actu fundationis potestatem tribuerit Superiori reducendi numerum missarum.

4° Si rector Instituti fundationem definitive acceptet sine licentia Superioris, incurrit pœnam prædicto *decreto 5*, partic. 3, statutam, nempe : « Alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso; regularis vero pœnam privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ et passivæ, absque alia declaratione, incurrat. » Prima tamen pœna, nempe *interdicti* contra sæculares, cessavit, utpote non relata in bulla *Apostolicæ Sedis*.

5° Omissa licentia Superioris, fundatio quidem illicita est, sed non irrita, quia nempe hæc pœna nullitatis in præfatis decretis non est statuta; unde valet fundatio. — Attamen, in hoc casu, dicunt plures in potestate esse Superioris *rescindendi fundationem*, allegata responsione S. Congr. Ep. et Reg., in *Assisien.*, 17 maii 1861 [2], quæ tamen nihil probat, quia ipsa Congregatio fundationem

[1] Parisiis, taxa pro missis perpetuis est summa quinque libellarum pro singulis (ex quibus duæ fabricæ reservantur), et proinde sors (le *capital*) pro una missa perpetua est circiter 150 lib.

[2] Ita Lucidi, *De visitatione*, etc., c. VII, n. 55, 1878, t. II, p. 417; quem sequuntur Gennari, *Consultazioni*, pars II, c. II, n. 6, Neapoli, 1892, p. 303; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 561, p. 406.

rescidit. De quo hæc dicenda videntur : *a.* Episcopus non potest rescindere fundationem, *ex hoc ipso quod lex canonica violata est*, quia hoc fere æquivaleret pœnæ nullitatis, quam legislator noluit statuere; — *b.* Si fundatio facta fuerit per *donationem inter vivos*, et proinde per modum contractus, potest Episcopus, ad instantiam alterutrius partis, rescindere contractum vel illum reducere ad normam juris, *modo adfuerit et probetur læsio;* et hoc, licet donator jam mortuus fuerit. Constat a fortiori ex dicendis infra; n. **75;** — *c.* Si fundatio facta fuerit per actum ultimæ voluntatis, videtur admitti posse opinio præfatorum doctorum, modo item *adfuerit et probetur læsio;* quia, sive hæres fundatoris, sive institutum prætendat læsionem et instet pro rescisione, in utroque casu Episcopus videtur competens ad rescindendam fundationem : in priori casu, quia, vi concilii Trid., c. *Episcopi,* 8, sess. XXII, De ref., Episcopus est *executor omnium piarum dispositionum;* in altero casu, quia Episcopus est tutor omnium institutorum ecclesiasticorum suæ diœcesis, quæ ab injusta læsione tueri debet; — *d.* Episcopus potest rescindere fundationem etiam *ex officio,* quando, acceptato novo onere, ecclesia vel institutum non potest amplius omnibus oneribus, nempe veteribus et novo, satisfacere quoad *tempus* et *locum* a fundatoribus determinata; in hoc enim casu, Episcopus competens est ad rescindendam novam fundationem, quatenus *executor et tutor omnium piarum dispositionum.*

64. — Tertium requisitum : investimentum dotis. — Dos seu pecunia constituta pro onere perpetuo missarum debet *investiri,* id est, converti in bona stabilia ut fructum annuum referat. De quo hæc dicenda :

1° *Necessitas investimenti.* — Patet hæc necessitas ex

decreto 5, an. 1625, partic. 1 : « ... Statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia ecclesiis,... congregationibus, monasteriis,... in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem sacram vel personam fide ac facultatibus idoneam, ad effectum *illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris quod illis annexum reperitur.* » Ratio est quia alioquin dos constituta posset statim consumi in impensas plus minusve utiles, et sic remaneret in perpetuum onus sine ullo reditu, quod gravissimum esset pro aliquo instituto; hoc insuper onus, cum nulla utilitate conjunctum, negligentiæ et oblivioni esset obnoxium. — Pœna supradicta *interdicti* cessavit, utpote non relata in const. *Apostolicæ Sedis.*

2° *Modus investimenti.* — Juxta relatum *decretum 5,* investiri debet dos in *bonis immobilibus fructiferis,* qualia sunt prædia rusticana vel urbana, etc. Tituli censuum in ærarium publicum (*rentes sur l'État*), vel tituli in varias societates (*actions* vel *obligations sur les sociétés*) non sunt bona *immobilia,* ad sensum legis canonicæ; unde, in rigore juris, dos oneris perpetui missarum investiri nequit in his titulis; verum quia, ex regula 6 Juris in VI : « Nemo potest ad *impossibile* obligari, » licitum fit hujusmodi investimentum, vel ubi lex civilis non sinat aliter fieri fundationem quam emptis titulis debiti publici, vel ubi, attenta eadem lege, tuta non sit acquisitio prædiorum, vel ubi inveniri nequeant congrua prædia.

3° *Mutatio investimenti.* — Si bona fructifera, quæ continent dotem oneris perpetui missarum, alienari (servatis debitis solemnitatibus) contigerit, tunc : « Eorumdem

pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi atque *in aliis bonis stabilibus* itidem *fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.* » Ita in eodem *decreto* 5, partic. 2.

4° *Casus specialis fundationis.* — Locus non est prædictæ legi de dotis investimento, quando fundatio talis est ut bona non tradantur ecclesiæ seu instituto, sed tantum reditus ei solvantur ab hæredibus aut legatario per singulos annos; si, v. g., testator jubeat ab hæredibus suis solvi quotannis in perpetuum ecclesiæ centum libellas ad celebrandas missas, et assignet fundum, ex cujus reditibus assumatur pecunia solvenda [1]. — Verum, ut in perpetuum consulatur adimplemento oneris suscepti, curare debet rector instituti aut ecclesiæ, ut, quoties licet per leges civiles, super bonis assignatis rite assumatur *hypothecaria inscriptio;* id quidem nulla lex canonica expressa præcipit, sed requirit prudens rerum administratio; unde, in casibus particularibus, hanc inscriptionem hypothecariam solent præscribere S. Congr. Concilii et Congr. Episcoporum et Regularium, ut testis est Lucidi [2]; imo S. Congr. Ep. et Reg. inscriptionis omissionem non semel rectoribus aut capitulis imputavit ad *negligentiam* [3].

§ 2. De legibus canonicis circa adimplementum fundationum.

65. — Obligatio quoad ipsas missas.

1° De obligatione quoad missarum *numerum*, idem

[1] Vide varios modos quibus id fieri possit, apud Bened. XIV, *De synodo*, lib. XIII, c. ult., n. 32-33.

[2] *De visitatione*, etc., c. VII, n. 52, 1878, p. 416.

[3] V. g., in *Albanen.*, 30 jan. 1846; Bizzarri, *Collectanea*, edit. 1885, p. 531.

dicendum est ac supra quoad missas manuales (n. **48**), collatis iis quæ mox dicta sunt (n. **63**) de determinatione numeri missarum fundatarum, quam facere debet superior in licentia concedenda.

2° De obligatione quoad *tempus* celebrationis et *qualitatem* missæ, idem etiam dicendum ac supra (n. **50**, **52**), quoad missas manuales.

3° De obligatione quoad *locum* celebrationis, hæc dicenda : 1. Si fundator voluerit missas celebrari in altari privilegiato, idem dicendum est ac supra (n. **51**); — 2. Si fundator determinaverit locum celebrationis, sed *constet* ipsum non habuisse rationem specialem sic agendi, tunc circumstantia loci obligat quidem, sed non nisi leviter; — 3. Si fundator determinaverit locum ob specialem rationem (quod semper præsumendum est), v. g., ob specialem cultum sancti, imaginis, reliquiarum, tunc obligat circumstantia loci; imo supponunt doctores hanc obligationem posse esse *gravem*, si nempe ratio determinandi locum fuerit gravis, v. g., si ibi fuerit locus sepulturæ fundatoris, vel ut populus habeat missam diebus festis, vel si agatur de missis cantatis, etc.; rara tamen mutatio non inducit culpam gravem[1]; — 4. Mutatio loci ob causam proportionatam non est illicita, v. g., si altare sit execratum, ecclesia polluta, aut aliud hujusmodi; — 5. Episcopus potest etiam dispensare ad hoc ut aliquando mutetur locus; licet enim non possit *commutare* ultimas defunctorum voluntates, attamen potest has voluntates cum causa proportionata interpretari, saltem si fiat ad tempus, et raro; — 6. Si fundatio fiat in aliqua ecclesia, vel in aliquo instituto, v. g., seminario, monasterio, licet *nullo modo designetur locus celebrationis*, rector ecclesiæ vel instituti aut mona-

[1] Cf. de Lugo, *De sacramento Eucharistiæ*, disp. XXI, n. 36; — S. Alph., lib. VI, n. 329.

sterii non potest ad libitum fundatas missas alibi celebrari curare; ex hoc enim ipso quod pius fundator eligat talem ecclesiam aut tale institutum, ejus præsumpta voluntas est, ut ibi celebrentur missæ; et inde est quod, in dote fundationis constituenda, assignentur fructus non tantum pro eleemosyna celebrantis, sed etiam pro *impensis in celebratione necessario faciendis;* unde etiam, ex *decreto 6,* an. 1625, Superior, antequam licentiam concedat, alicui ecclesiæ vel monasterio, acceptandi fundationem, certior esse debet « *illius* (nempe instituti vel ecclesiæ) *sacerdotes* tam novo oneri... quam antiquis satisfacere posse ».

66. — Obligatio quoad tabellam fundationum, libros rationum, rationesque reddendas.

1° *De tabella fundationum.* — Ut fundationes oblivioni non sint obnoxiæ, tenentur rectores ecclesiarum singularumque domorum cujuslibet instituti conficere tabellam fundationum, sic jubente *decreto 2* S. Congr. Conc., an. 1697, vim legis habente ex dictis supra (n. **48**) : « Teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere *tabellam onerum perpetuorum et temporalium, litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum*[1]. » Quod si ecclesia vel domus impar sit novis acceptandis oneribus, id etiam exprimatur in tabella, ut *ibid.* præcipitur.

2° *De libris rationum.* — Ut facilius certiusque constet de adimplemento fundationum aliarumque missarum, tenentur rectores eorumdem locorum *duos* habere *libros in Sacrario.* In priori, hæc notentur : 1. Singula *onera perpetua et temporalia;* 2. singulorum *eleemosyna;* 3. singulorum *adimplementum;* 4. *ratio reddita* adimplementi (juxta statim dicenda); — in posteriori libro, idem omnino

[1] Const. *Nuper,* § 18; *Bull. Rom.,* t. IX, p. 469 (vel ad calcem hujus voluminis, *documentum I*).

fiat quoad missas *manuales*. — Quæ obligatio constat expressis terminis ex *decreto 3* S. Congr. Conc., an. 1697[1].

3° *De ratione reddenda*. — Ii ad quos, in singulis ecclesiis vel domibus, pertinet curare de adimplemento missarum, tenentur singulis annis rationem reddere de dicto adimplemento quoad missas fundatas vel manuales, ex eodem *decreto 3* : « Singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter *exactam rationem suis Superioribus reddere*. » Agitur, ut patet, de Superioribus localibus[2].

67. — De vigilantia Episcopi seu Ordinarii.

1° *Jus et officium est Episcopi, in omnibus ecclesiis aut domibus non regularibus suæ diœcesis, advigilare adimplemento fundationum*, et proinde executioni omnium decretorum hoc adimplementum respicientium. — Constat : 1. Principio generali, juxta quod Episcopi *omnium piarum dispositionum sunt executores;* quod principium scriptum est in c. *Nos quidem*, 3, et c. *Tua nobis*, 17, De testamentis, tum in Conc. Trid., c. *Episcopi*, 8, sess. XXII, De ref.; — 2. *Decretis* S. C. Conc., an. 1697, quibus expresse hæc cura mandatur *Ordinariis;* qui, juxta hæc decreta, hanc curam exercere possunt, sive in visitatione, sive extra, sive ad instantiam partis, sive ex officio. Ita bulla *Nuper*, § *Meminerint*, 23[3].

2° Cum, juxta decreta 1697, hæc cura demandetur *Ordinariis*, sequitur : 1. Vicarium *generalem* et Vicarium *capitularem* esse in his omnibus judices competentes, ut

[1] Const. *Nuper*, § 19, p. 469.

[2] Pœna suspensionis lata (in *decretis*, 1697, § 21) contra delinquentes in rebus supradictis, cessavit, utpote non relata in const. *Apostolicæ Sedis*.

[3] *Bull. Rom.*, t. IX, p. 470. — Cf. Bened. XIV, *De synodo*, lib. XIII, c. ult., n. 1.

etiam respondit, pro Vicario capitulari, S. Congr. Conc., 15 apr. 1684 [1]; — 2. Item esse competentem Prælatum *Nullius*, ut omnes concedunt [2], imo, ut puto, et alios Prælatos habentes jurisdictionem quasi episcopalem, quia hi omnes dicuntur et sunt *Ordinarii*.

68. — Leges speciales quoad Regulares. — Regulares, quoad adimplementum fundationum, tenentur omnibus legibus supradictis (excepta vigilantia Episcopi), sed insuper, in *decretis* S. Congr. Conc., an. 1697, quædam specialia pro ipsis statuta sunt, ut sequitur :

1. « Debeant ulterius Regulares prædicti, omnes et quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum, coram patribus discretis seu consiliariis vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere [3]. »

2. Regulares, ad quos pertinet cura tabellæ, librorum, capsæ, qui suam operam his minime navaverint, vel eorum superiores, non invigilantes aut non exigentes reddendam rationem, plectuntur ipso facto privatione vocis activæ, passivæ, et officiorum cum inhabilitate [4].

3. Superiores locales curare debent ut præfata omnia *decreta* bis in anno in publica mensa legantur, sub pœna privationis, ipso facto, vocis activæ, passivæ, et officiorum [5].

4. Sicut, pro sæcularibus, Ordinarii est invigilare exe-

[1] Apud Bened. XIV, *ibid.*, n. 2.
[2] *Ibid.*
[3] *Decreta*, 1697, § 20; *Bull. Rom.*, t. IX, p. 469.
[4] *Ibid.*, § 21.
[5] *Ibid.*, § 22, p. 470.

cutioni *decretorum* prædictorum, sic et, pro Regularibus, hæc cura demandatur superioribus localibus, provincialibus et generalibus; vigilare ergo debent ne missæ præscriptæ omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, et hoc sub pœna privationis vocis activæ, passivæ, et officiorum cum inhabilitate[1].

5. Superiores locales non habent vocem activam et passivam in capitulis provincialibus, nisi exhibeant « attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cujuscumque domus regularis, subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis tam perpetuis quam manualibus missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem horum præsentium decretorum, tempore regiminis, fuerit omnino et integraliter satisfactum[2] ».

6. Provinciales, vicarii et visitatores provinciarum seu congregationum, debebunt, in fine eorum regiminis, superioribus generalibus, in forma probante, ostendere, quod executioni præsentium decretorum sedulo invigilaverint, quod debitas rationes adimplementi onerum exegerint in tota provincia, etc.; aliter non habeant vocem activam nec passivam in capitulis generalibus[3].

7. Tandem cuilibet aufertur facultas sive præmissa decreta interpretandi, sive relaxandi pœnas in eis statutas, sive in eis dispensandi[4].

§ 3. De cessatione oneris missarum.

69. — Cessatio per lapsum temporis.

1° Quoties onus missarum, vi donationis inter vivos, vel

[1] *Decreta*, § 24.
[2] *Ibid.*, § 25.
[3] *Ibid.*, § 26.
[4] *Ibid.*, § 28.

ultimæ voluntatis, impositum est ad determinatum tempus, v. g., ad 50 aut 100 annos, cessat ipso facto elapso tempore præfixo. — Non eget probatione.

2° Dixerunt quidam cessare ipso facto quodlibet onus missarum *lapsu decennii;* cujus singularis assertionis causa seu occasio fuit opinio D. Soti, sic dicentis, in *Sent.*, l. IV, dist. XIX, q. II, art. 2, in fine [1] : « Quapropter crediderim *nunquam aliquem in purgatorio viginti annis extitisse, imo, ut mea fert opinio, nec decem.* Nam cum nemo illic sit nisi Dei amicus, contritio ejus, et, post Christum passum, sacramenta et suffragia et bona quæ agit opera, ad cumulum ei satisfactionis accedunt. » Unde plures concluserunt legatum perpetuum missarum pro tali defuncto cessare *lapsu decennii*, utpote prorsus inutile factum. — Hujus opinionis nullam prorsus habendam esse rationem, quum tota quanta est ex solo auctorum cerebro orta sit, nemo non videt. Unde Alexander VII, die 18 martii 1666, hanc damnavit propositionem : « 43. Annuum legatum pro anima relictum non durat *plus quam per decem annos* [2]. »

70. — Cessatio per interitum dotis.

1° *Si dos constituta pro onere missarum, sine culpa ecclesiæ vel instituti perierit, cessat onus missarum.* — Constat : 1. *Ipso jure naturali*, tum quia fundamentum obligationis missæ, est sustentatio ministri, quia qui altari deservit, de altari vivere debet, ut supra dictum est (n. **39**); unde sublato fundamento, perit obligatio [3]; — tum quia

[1] Duaci, 1613, p. 497.

[2] *Bull. Rom.*, t. VI, pars 6, p. 110. — De qua propositione cf. etiam de Berlendis, *loc. cit.*, pars II, § 12, n. 13, p. 463; — Viva, *Damnatarum thesium theol.*, in prop. XLIII Alexandri VII, Patavii, 1737, p. 150 sq.

[3] Hoc tamen argumentum non videtur peremptorium, quia tandem aliquando res perit domino.

proinde nec fundator potuit obligare sacerdotem ad celebrandum sine stipendio, nec sacerdos potuit obligare suos successores in tali ecclesia vel instituto ad celebrandum sine stipendio; — 2. *Decisionibus S. Congr. Conc.*, quæ pluries quæsita resolvit in hoc sensu, ut statim dicitur. — Unde unanimiter hoc tenent aut supponunt doctores [1], nec unum videris discordantem.

2° Si reditus assignati a fundatore percipi nequeant, quacumque ex causa, cessat onus missarum. Defluit ex dictis, et ita decidit S. Congr. Conc., 20 junii 1641 : « Monachos non teneri ad celebrationem missæ, si, factis diligentiis, fructus locorum montium relictorum exigi non possunt [2]. » — Item si dos relicta sit infructuosa, cessat onus pro toto tempore quo remanet infructuosa; defluit ex dictis et bis decidit S. Congr. Conc., tum in *Forosempronien.*, 7 junii 1687, tum in *Monopolitana*, 8 aug. 1705 [3].

71. — Cessatio vi indulti pontificii. — Singulare privilegium Ordini Minimorum S. Francisci de Paula concessit Benedictus XIV, const. *Paternæ sollicitudinis*, an 1749, ut nempe *perpetua missarum onera in eorum ecclesiis ultra quinquagesimum annum non durarent*, sed hac duplici lege : 1. Ut de hoc certiores fierent qui vellent constituere onera perpetua missarum in eorum ecclesiis; — 2. Ut, hoc

[1] Ita, v. g., Passerini, *De hominum statibus*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 1037, Romæ, 1663, t. II, p. 696; — Riccius, *Praxis... ecclesiastici fori*, pars IV, resol. 105, Venetiis, 1674, t. II, p. 442; — Crispino, *Visita pastorale*, pars II, § 18, n. 11, Venetiis, 1711, p. 219; — Monacelli, *Formularium*, pars I, tit. VI, form. 9, n. 1-2, Romæ, 1713, p. 646; et pars II, tit. XIII, form. 2, n. 56, p. 59; — S. Alph., lib. VI, n. 324; — Ferraris, v° *Missa*, art. 2, n. 51; — Fr. a Mostazo, *De causis piis*, lib. II, c. x, n. 16, Venetiis, 1735, p. 106; — Schmalzgrueber, in tit. *De celebratione missarum*, n. 137, et alii innumeri ab illis relati.

[2] Apud Crispino, *loc. cit.*

[3] Apud Monacelli, *loc. cit.*, n. 56. Quem exscribit Pitonius, *Const. ad parochos*, n. 1740, Venetiis, 1737, p. 384.

tempore elapso, pii benefactores participes fierent sacrificiorum quæ in universo Ordine pro benefactoribus in genere offeruntur. — Quod totum narrat ipse Benedictus XIV[1].

72. — De vi præscriptionis hac in re. — Controvertitur utrum ecclesia vel institutum, vel capellanus possint *præscribere* contra onus missarum, ita ut, si tabulæ fundationis jubeant, v. g., quinque missas annuas applicari, ad quatuor tantum vel etiam ad nullam reducatur obligatio, vi præscriptionis.

1° Alii, et quidem multi et graves doctores, asserunt præscriptionem, modo debitis sit munita requisitis, vim suam exerere posse etiam contra onus missarum. Nam : 1. Præscriptio, juxta principia generalia, potest invalescere contra *quodcumque jus* aut *bonum* alterius, nisi in lege ponatur specialis exceptio. Porro in lege canonica nulla legitur posita exceptio relative ad onus missarum; ergo, in nostro casu, præscribi potest contra jus quod habet defunctus ut sibi celebrentur quinque missæ. Nec refert hoc jus esse spirituale; nam etiam contra jura spiritualia præscribi potest, v. g., jus eligendi, præsentandi, etc., et ipsa beneficia, quibus valde sunt affines piæ fundationes, admittunt præscriptionem, ut constat c. *Cum de beneficio,* 5, De præbendis, in VI. — 2. Non potest hic applicari regula generalis, vi cujus *contra non valentem agere non currit præscriptio*[2]*;* nam, si defunctus nequit agere per se, agere potest per alios, nempe per executores testamenti, hæredes, et etiam per episcopum quem jus canonicum jubet esse executorem omnium piarum dispositionum, uti constat conc. Trid., c. *Episcopi,* 8, sess. XXII, De ref. — Ita

[1] *De synodo,* lib. XIII, c. ult., n. 9, 13.

[2] De qua cf. Reiffenstuel, in tit. *De præscriptionibus,* n. 200-201; — Barbosa, *De officio Episcopi,* alleg. 132, n. 16.

Tamburini, Layman, Gobat, Pellizarius, Passerini, Pasqualigo, aliique ab ipsis allegati[1].

2° Alii tenent præscriptionem vim suam exerere non posse contra onus missarum, ita ut standum sit omnino tabulis fundationum, licet per longum, imo longissimum et immemoriale tempus, aliter in usu fuerit. Præcipuum argumentum[2] hoc est : Regula generalis est ut *contra non valentem agere non currat præscriptio.* Hæc regula desumpta est ex jure romano, in quo contra pupillum (qui non valebat agere, lege prohibente) non currebat præscriptio, ut constat L. *Sicut in rem*, 3, c. *De præscriptione 30 vel 40 annorum* (VII, XXXIX) : « Pupillari ætate duntaxat, quamvis sub tutoris defensione consistat, huic eximenda sanctioni, » nempe statutæ ibidem præscriptioni[3]; in hoc enim jure præscriptio habebatur ut *pœna negligentiæ* ejus contra quem præscribebatur, ut constat L. *Super annali*, 1, c. *De annali exceptione* (VII, XL). Hæc autem regula transiit in jus canonicum, ut constat tum c. *Placuit*, 1, DE PRÆSCRIPTIONIBUS, in quo declaratur præscriptionem non currere contra ecclesiam cathedralem, si sit vacans, vel titularis sit schismaticus; tum c. *Ex transmissa*, 10, eod. tit., in quo declaratur *tempore hostilitatis præscriptionem non currere.* — Atqui defuncti, pro

[1] Tamburini, *De sacrificio missæ*, lib. III, c. VII, § 1, Venetiis, 1678, p. 356; — Layman, *Theol. mor.*, lib. III, tract. I, c. VIII, n. 13, Moguntiæ, 1709, p. 231; — Gobat, *Experientiæ theol.*, tract. III, n. 514; *Opera*, Venetiis, 1749, t. I, p. 173; — Pellizarius, *Manuale regularium*, tract. V, c. IX, n. 92, Lugduni, 1665, t. I, p. 465; — Passerini, *De hominum statibus*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 1102-1106, Romæ, 1663, p. 713; — Pasqualigo, *De sacrificio novæ legis*, q. MCXCII.

[2] Nam alia, quæ legas apud S. Alph., lib. VI, n. 324, inefficacia videntur.

[3] Cf. etiam L. *Bonæ fidei*, 48, ff. *De acquirendo rerum dominio* (XLI, I). Eadem lex viget in plerisque codicibus legum hodiernis, v. g., Codice gallico civili, art. 2252 : « La prescription ne court pas contre les mineurs et les interdits, etc. »

quibus missæ celebrandæ sunt, agere prohibentur, non solum *lege*, sed, quod magis est, *ipso statu*, qui supponit et includit *legem naturalem* et *divinam*. Ergo contra eos currere nequit præscriptio. — Nec dicatur : 1. Hanc exceptionem, favore defunctorum, non expresse poni in jure, et proinde attendi non debere. — Nam hæc exceptio, licet implicite, certo tamen continetur in lege, ut patet communi doctorum interpretatione[1] qui, ex casibus juris romani et juris canonici supra relatis, induxerunt regulam generalem, ut *contra non valentem agere non currat præscriptio*, modo impedimentum sit legale vel notorium. — Nec dicatur : 2. Defunctos quidem non posse agere per se, posse vero agere per alios, nempe, ut dictum est, per hæredem, episcopum, etc. — Nam hæc facultas agendi per alios hac in re non attenditur, ut constat tum ex cit. L. *Sicut in rem*, ex qua præscriptio non currit contra pupillum, *licet habeat tutorem*, ut expresse ibi dicitur; tum ex cit. c. *Placuit*, ex quo deducitur præscriptionem non currere contra ecclesiam vacantem, licet habeat capitulum et vicarium capitularem, qui illam tueantur. — Unde multi doctores hanc sententiam tenent, v. g., Fr. a Mostazo, Potestas, S. Alphonsus, et, inter recentiores, Lucidi, Gasparri, d'Annibale[2] (licet hic admittere videatur hac in re vim præscriptionis *immemorabilis*); his ego assentior, quia validiora mihi videntur eorum argumenta. Ferraris utriusque opinionis exponit argumenta, sed non eligit[3].

3° S. Congr. Concilii favere potius videtur posteriori

[1] Cf. supra allegatos Reiffenstuel et Barbosa.

[2] Fr. a Mostazo, *De causis piis*, lib. II, c. x, n. 43-48, Venetiis, 1735, p. 108-109; — Potestas, *Examen ecclesiasticum*, n. 2345, Venetiis, 1759, p. 165; — S. Alph., lib. VI, n. 324; — Lucidi, *De visitatione*, etc., c. VII, n. 11-18, Romæ, 1878, t. II, p. 397; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 567, p. 410; — d'Annibale, ed. 3, t. III, n. 67, not. 14, p. 76.

[3] Ferraris, v° *Usucapio*, § 1, n. 17-19.

opinioni, ut constat tum ex illis pluribus resolutionibus quas refert Lucidi, *loc. cit.*[1], tum præsertim ex ejusdem decisione in *Lucana*, 18 febr. 1702[2], in qua agitur de capellania quam testator fundavit *cum onere missæ quotidianæ pro amore Dei et remedio animæ suæ;* quum autem, per *centum et amplius annos*, capellani omiserant *applicare* pro testatore, imo singulis hebdomadibus unam missam omittere consueverant, quod etiam descriptum fuerat in actis Visitationis diœcesis, S. Congregatio, non obstante hac centenaria præscriptione, jussit missam *quotidianam applicari* pro testatore. — Attamen non semel, quum agebatur de onere *reali* missarum, *inhærente alicui fundo*, ecclesiæ non tradito, qui tanquam plus minusve liber venditus fuerat et ut talis bona fide per longissimum tempus possessus fuerat, S. Congregatio declaravit onus missarum imminutum vel peremptum fuisse; sic in *Perusina*, *Capellaniæ*, 15 sept. et 24 nov. 1827[3], et in *Imolen.*, *Legati Pii*, 27 febr. 1858[4]. Unde mens S. Congregationis non est ut hæc regula *Contra non valentem agere non currit præscriptio* perpetuo et invariabiliter applicetur defunctis, saltem quando, ut in ultimis casibus, militat ratio boni publici, propter quam inducta est præscriptio, ne scilicet proprietas et qualitas dominiorum remaneant incertæ.

4° Si quis adhærere velit priori opinioni, meminerit *donationem* seu *causam piam*, in materia præscriptionis, assi-

[1] Licet non nimium premendæ sint illæ decisiones; quum enim multa sint ad præscriptionem requisita, nempe bona fides, titulus, tempus, possessio apta, etc., non facile semper est discernere quodnam motivum induxerit S. Congregationem ad rejiciendam præscriptionem, præsertim quando causa breviter exponitur.

[2] Quam refert Monacelli, *Formularium*, t. IV, suppl. ad t. II, n. 53-54, p. 36.

[3] *Thesaurus* S. Congr. Conc., t. LXXXVII, p. 202 sq., 215.

[4] *Ibid.*, t. CXVII, p. 43-47. — Cf. etiam *folium* causæ *Oxomensis*, 26 junii 1897; *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 242-243.

milari ecclesiæ seu loco pio, et proinde non valere contra ipsam præscriptionem nisi quadragenariam cum titulo, aut, sine titulo, immemorabilem.

§ 4. De reductione onerum missarum.

73. — Notio prævia. — In genere, dicitur *reductio missarum*, quando *numerus missarum præscriptus a pio fundatore auctoritate competenti minuitur*, ut si præscripserit centum annuas missas, et reducantur ad quinquaginta. — Sed magna varietas esse potest in casibus et causis reductionum; aliquando enim fundus vel reditus assignati a pio fundatore, *ex parte perierunt;* aliquando, in ipso limine fundationis, reditus assignati sunt *insufficientes;* aliquando fundatio facta est, non ultima voluntate, sed per *contractum,* v. g., donatione onerosa inter vivos, etc., etc. — Dicendum est : 1. De potestate faciendi reductiones; — 2. De modo faciendi reductiones.

I. De potestate faciendi reductiones

74. — Potestas reducendi onus missarum, in genere Sanctæ Sedi reservatur.

1° *Concessio Tridentina.* — Concilium Trid., c. *Contingit sæpe,* 4, sess. XXV, De ref., loquens de casu quo contingit « vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere », concessit tum Episcopis in Synodo, tum Abbatibus et Generalibus Ordinum in suis capitulis

generalibus, facultatem reducendi hæc onera missarum, « ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt. »

2° *Reservatio præfatæ potestatis.* — Quæcumque fuit extensio hujus concessionis, omnino suppressa est a S. Congr. Conc., in *Decretis* an. 1625, *decreto 1*, et potestas reducendi missas R. Pontifici fuit reservata: « ... Districte prohibet atque interdicit, ne *Episcopi in diœcesana Synodo aut Generales in capitulis generalibus vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem concilium* (Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis;* sed pro his omnibus... ad apostolicam Sedem recurratur. »

3° *Vis et extensio hujus reservationis.* — 1. Reservatio est *sub pœna nullitatis*, id est, si reductio fiat aliter quam per Apostolicam Sedem, *nulla omnino erit;* constat eodem *decreto 1,* in fine : « Alioquin reductiones..., si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit; » — 2. Non agitur nisi de oneribus impositis vel imponendis post *conc. Trid.*, quorum reductio etiam in limine fundationis reservatur; constat relatis verbis *decreti 1;* unde si agatur de onere missarum imposito *ante finem conc. Trid.*, locus non est huic reservationi; — 3. Licet legatum *nondum sit acceptatum* ab ecclesia aut instituto legatario, nihilominus (quidquid dixerunt aliqui, argumentantes ex verbis *onera imposita* [1]) non potest Episcopus aut Generalis illud reducere; quod constat ex *responso 2* ad *decreta* an. 1625; quum enim quæreretur a S. Congr. : « Quid, si legatum sit ita tenue *ut non sit qui velit onus illi injunctum subire?...* Et quid,

[1] Apud Benedictum XIV, *De synodo*, lib. V, c. x, n. 2.

si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari? » respondit S. Congr. : « Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris... Sedem apostolicam esse adeundam. Verumtamen, si, in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis esse validam et observandam. » In eodem sensu respondit S. Congr. Conc., 20 junii 1682[1]. — 4. Unde, pro oneribus post Trid. impositis vel imponendis, non est nisi una exceptio, nempe si fundator in fundatione potestatem reducendi episcopo concesserit.

75. — Casus specialis fundationis per contractum. — Fundatio fieri potest, uti supra dictum est, per *contractum;* quod supponit duas personas viventes et contrahentes, sive contractus fiat inter aliquam ecclesiam aut institutum, et pium fundatorem, sive fiat inter duas ecclesias aut instituta, quorum unum, servatis servandis, in se assumit onus aliquod missarum ab alio translatum. — Porro, in hoc casu, si contractus, decursu temporum, fiat *læsivus* instituti vel ecclesiæ, cui onus impositum est, si, v. g., reditus ita sint imminuti, ut nulla sit amplius proportio inter dotem et numerum missarum, Episcopus potest, ad instantiam partis, *reducere contractum ad æqualitatem,* et sic indirecte reducere numerum missarum. — Constat ex principio generali circa jurisdictionem judiciariam episcopi, quæ extenditur circa omnes contractus (quoad causas pias), ut, si adsit læsio, eos vel rescindat vel reducat ad æqualitatem. Ita omnes doctores[2], et etiam S. Congr.

[1] Apud Bened. XIV, *De synodo,* lib. V, c. x, n. 2.

[2] V. g., Monacelli, *Formularium,* pars II, tit. xvi, form. 10, n. 17, Romæ, 1706, t. II, p. 257, et t. IV, suppl. ad t. II, n. 466, p. 83; — Bened. XIV, *De synodo,* lib. XIII, c. ult., n. 26; — Lucidi, *De visita-*

Concilii, v. g., in *Assisien.*, 23 aprilis 1701, ubi, rogata ut reduceret numerum missarum ex contractu celebrandarum, recusavit reductionem, sed respondit : « Oratores *adeant judices suos*[1]. » — De hoc speciali casu hæc notanda :

1° Quando aliquod onus missarum *contractu* nititur, non solet Congregatio Concilii ipsa concedere reductionem missarum, ut testantur Monacelli, Benedictus XIV, etc.[2]; insuper indultum quod Episcopis conceditur reducendi missas (de quo infra dicetur) non extenditur ad onera imposita per *contractum*, quia nempe ex contractu oritur *jus partium*, cui non solet derogare S. Sedes, nisi omnino expresse caveat[3]. — Unde, si vere contractus, decursu temporum, factus fuerit *injustus* et *læsivus*, nullum aliud remedium adest nisi recursus ad Episcopum, ut judicem ordinarium.

2° Quum agatur de *via justitiæ*, Episcopus procedere debet *judicialiter*, et proinde, recepto libello actoris (nempe procuratoris ecclesiæ vel instituti quod se *læsum* affirmat), Episcopus citat testes, instrumenta scrutatur aliasque probationes, audit partem adversam, nempe successorem aut hæredem alterius partis contrahentis, etc., etc.; demum profert sententiam[4].

76. — **Quæritur** *Num Episcopus reducere possit onus*

tione, c. VII, n. 101, 1878, p. 432; — Schmalzg., in tit. *De celebratione missarum*, n. 146.

[1] Hanc causam refert Monacelli, *loc. cit.*, t. IV, p. 83.

[2] Monacelli, *loc. cit.*; — Bened. XIV, *loc. cit.*, n. 25-26.

[3] Cf. Bened. XIV, *loc. cit.*; — Lucidi, *loc. cit.*, c. VII, n. 76-77, 101, p. 424, 432.

[4] Hunc processum describit Monacelli, t. IV, *loc. cit.* — De quibusdam difficultatibus circa ipsam notionem fundationis *per contractum* sive *conventionalis*, cf. Passerini, *De hominum statibus*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 1065-1072, t. II, p. 703.

missarum, cujus reditus ex parte perierunt sine ulla culpa instituti vel ecclesiæ?

N. B. Non agitur de casu, in quo testator *non determinaverit numerum missarum;* tunc enim, si determinaverit eleemosynam, numerus missarum, imminutis reditibus, imminuendus est ad rationem præfixæ eleemosynæ; si nec eleemosynam determinaverit, censetur acceptasse eleemosynam pro loco et tempore. Agitur ergo tantum de casu quo testator determinaverit numerum missarum. — Insuper si, dote imminuta, reditus tamen qui supersunt stipendium præbent æquale aut fere æquale stipendio consueto, non est locus reductioni, ut per se patet; tunc enim fundator, initio pinguiorem dotem constituens, consuluit futuris bonorum imminutionibus. Unde agitur tantum de casu quo stipendium remanet *consueto inferius*. — Porro hac de re gravis est controversia :

1° Quidam dicunt, etiam in hoc casu, recurrendum esse ad Sedem apostolicam. — Ratio est, inquiunt, quia, in *decreto 1*, an. 1625, S. Congr. Conc. adhibet verba omnino generalia : « ... Ne Episcopi... *quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum.* » Porro, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ita Benedictus XIV, Tamburini, Lucidi, Gasparri, Ferrari, Passerini, Ferraris, etc.[1].

2° Alii, quibus assentior, contendunt necessarium non esse recursum ad Sedem apostolicam, sed Episcopum posse, propria auctoritate, reducere fundationem ad normam æquitatis. — Nituntur præcipue his argumentis :

[1] Bened. XIV, *loc. cit.*, n. 17-19; — Lucidi, *loc. cit.*, c. VII, n. 78-79, 106, p. 426, 434. — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 588, p. 424; — Tamburini, *De sacrificio missæ*, lib. III, c. I, § 2, n. 2, p. 298; — Ferrari, *Summa inst. can.*, n. 329, Parisiis, 1869, t. II, p. 25; — Passerini, *De hominum statibus*, q. CLXXXVII, art. 4, n. 1045, t. II, p. 697; — Ferraris, v° *Missa*, art. 2, n. 14.

a. Si attente legas proœmium *Decretorum* an. 1625, clare perspicies, occasionem et rationem horum decretorum; agitur enim de iis ecclesiis, sive sæcularibus, sive regularibus, quæ, *jam oneratæ et gravatæ missis fundatis, adhuc in dies novas missarum fundationes acceptabant, quocumque stipendio,* sperantes mox ab Episcopis aut Superioribus Regularibus numerum missarum reducendum esse. Unde S. Congr. Conc. expresse prohibuit ne Episcopi aut Superiores Regulares missas reducerent, etiamsi legatum esset tenue. — Porro, ut patet, ab hoc casu longe diversus est casus quem nunc contemplamur, redituum nempe initio quidem sufficientium, sed ita imminutorum (sine culpa rectorum ecclesiæ aut instituti), ut jam non sufficiant ad onera implenda; hic enim nulla fraus, nulla malitiosa aut imprudens accumulatio missarum. — Ergo ad hunc casum non debent extendi *Decreta* an. 1625. — Scio legem non esse requirendam ex parte *narrativa* decretorum, sed ex parte *dispositiva,* quæ sola proprie est lex; sed tamen negari nequit, quando adsit aliqua obscuritas aut ambiguitas in verbis, si non legem, saltem lucem requiri posse ex parte etiam *narrativa* decretorum.

b. Juxta omnes (ut supra dictum est, n. **70**), si tota dos pereat, totum perit et onus, quia nempe hæc est præsumpta voluntas testatoris, imo non potuit alia esse ejus voluntas. — Ergo, a pari, si pars pereat dotis, pars perit et oneris; hæc enim etiam est præsumpta voluntas testatoris; quod enim de toto dicitur, et de parte dici debet, ut dicebat jus romanum (L. *Quod de tota,* 76, ff., *De rei vindicatione,* VI, 1), et jure naturali hac in re clarum esse videtur. — Unde et quidam dicunt etiam interventum Episcopi non requiri[1]. Quod tamen ultimum rejiciendum est,

[1] Fr. a Mostazo, *De causis piis,* lib. II, c. XII, n. 40-42, Venetiis, 1735, p. 119, cum pluribus quos allegat.

quia justitia reductionis ex quibusdam pendet (v. g., ex absentia culpæ Rectorum ecclesiæ vel instituti in deperditis bonis), de quibus judicare nequeunt hi quorum interest.

c. Nec obstat generalitas verborum cit. *decreti 1;* nam : 1. Hæc imminutio de qua loquimur, non est proprie *reductio;* sicut enim, quando tota dos perit, non dicitur oneris reductio, sed *extinctio,* ita, in casu præsenti, non est proprie oneris reductio, sed ejus *extinctio partialis,* ex rerum natura orta; — 2. Sicut generalitas verborum *decreti 1* non impedit, in casu supra relato (n. **75**), quin Episcopus reducat onus missarum, reducendo contractum ad normam æquitatis, ita nec in casu præsenti; — 3. Hoc *decretum 1* strictam recipere debet interpretationem, quippe quod deroget juri communi; juxta enim jus commune, Episcopus potest, non quidem *commutare* ultimas fidelium voluntates, quod est Sedi apostolicæ reservatum (c. *Quia contingit,* 2, De religiosis domibus, Clem.), at saltem eas interpretari, quando non possunt adimpleri *de jure* aut *de facto* (c. *Nos quidem,* 3, De testamentis). Et hæc facultas Episcopi extenditur etiam ad missas, quia, in jure communi, nulla fit distinctio. Cum ergo *decretum 1* huic juri communi deroget, ut patet ex ejus tenore et ex *responso 1,* strictius intelligi debet, nec extendi ad ea quæ non clare continet.

d. Nec dicatur *Indulta apostolica* reductionis missarum supponere sæpius reditus imminutos, et proinde R. Pontificem nullam hujus opinionis habere rationem. — Nam, in rebus controversis, sæpe conceduntur indulta ad pacem conscientiarum; cæterum hæc Indulta non præcise supponunt reditus imminutos, sed potius abstrahunt ab hac imminutione, ideoque concedunt fieri reductionem attenta quantitate præsenti redituum, sive fuerint initio sufficien-

tes, sive non; insuper ad alia plura extenduntur, v. g., ad reducenda onera graviora *ante acceptationem*, etc.

Hanc opinionem tuentur Fagnan, Schmalzgrueber, S. Alphonsus, d'Annibale, Icard, Gennari, etc. [1].

II. De modo faciendi reductiones.

77. — Reductio facienda vi indulti. — Quando Episcopus aut Prælatus Regularis fruitur *indulto* reducendi missas, stare debet omnino clausulis indulti, ut notissimum est. Porro, usque ad hæc ultima tempora, duæ præcipuæ formæ erant hujusmodi indultorum, nempe : 1. Forma *concilii Romani,* an. 1725, sub Benedicto XIII, in quo revera, tit. XV, c. VIII, datur formula indulti *Reductionis missarum* [2], et communicatur omnibus Episcopis qui huic concilio sive per se sive per procuratorem interfuerant; imo testatur Lucidi suo tempore (nempe circa 1860-1870) hanc etiam formam adhiberi solitam esse [3]; — 2. Forma *instructionis* S. Congregationis Concilii; quæ *instructio* simul cum *indulto* mittebatur ad Episcopos [4]. — Tempore Benedicti XIV, non erant nisi illæ duæ formæ, quas ideo doctissimus Pontifex late interpretatur in suo opere *De synodo* [5]; hæc autem interpretatio etiam nunc maxime prodest pro

[1] Fagnan, in c. *Ex parte* (12, *De constitut.*), n. 25 sq.; — Schmalzg., in tit. *De celebratione missarum,* n. 139 sq.; — S. Alph., *pluribus locis,* v. g., lib. VI, n. 331, d. I; *De privilegiis,* n. 70; *Homo apost.,* tract. XV, *De Euch.,* n. 77; *Homo apost.,* tract. XX, *De priv.,* n. 70; — d'Annibale, *Summula,* t. III, n. 75, ed. 3, p. 75; — Icard, *Prælectiones,* n. 592, Parisiis, 1893, t. II, p. 531; — M. C. Gennari, *Consultazioni,* pars II, cons. 2, Napoli, 1892, p. 304.

[2] Bruxellis, 1726, p. 55-59.

[3] *De Visitatione,* c. VII, n. 63, Romæ, 1878, t. I, p. 428.

[4] Vide *indultum* cum *instructione* in periodico *Nouvelle revue théologique,* 1890, t. XXII, p. 630.

[5] Lib. XIII, c. ult., n. 22 sq.

novis Indultis, quæ plures clausulas veteribus similes continent.

78. — Exponitur novum indultum. — Hodie varia sunt indulta propter varias locorum temporumque necessitates et petitiones Episcoporum; ampla sunt indulta reductionis missarum quæ concessa fuere sive episcopo Engolismensi, 18 aug. 1888[1], sive episcopo Aurelianensi, 14 dec. 1889[2], sive episcopo Metensi, 29 martii 1890[3]. Non raro conceditur hodie *Indultum*, cujus tenor est ut sequitur : « *Sanctissimus D. noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. Congr. Conc., attentisque peculiaribus circumstantiis, benigne indulsit episcopo N. oratori facultatem, per quinquennium proximum tantum, reducendi onera missarum juxta præsentes reditus, computata eleemosyna ad manualem, quatenus tamen in singulis casibus constet quod non adsint obligati qui de jure ac utiliter cogi possint ad supplementum; itemque moderandi pia legata missarum, tam lectarum quam cum cantu, a fidelibus relictarum, et antequam ab ecclesiarum rectoribus acceptentur, ad taxam eleemosynæ perpetuæ juxta morem diœcesis, detractis nimirum, ultra manualem eleemosynam celebranti suppeditandam, necessario detrahendis pro administratione et exactione redituum, sive pro sacris utensilibus, sive pro aliis necessariis expensis.* » De quo hæc dicenda :

1° Pars prior *indulti* respicit onera missarum jam a tempore plus minusve longo acceptata; potest ergo ea Episcopus reducere, attentis reditibus fundationis *præsentibus*, sed computata eleemosyna sacerdoti tradenda ad taxam

[1] *Nouvelle revue théologique, loc. cit.*, p. 635-636.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XXII, p. 554-558.
[3] *Ibid.*, t. XXIII, p. 109-115.

manualis, non vero ad taxam *perpetuæ* (quæ major ubique esse solet), præter partem fabricæ assignandam, ut infra dicetur.

2° *Clausula*, hac in parte, attendi debet : « *Quatenus tamen... constet quod non sint obligati*, etc. » Si enim quidam teneantur præbere reditus, ad supplendos hos qui perierunt, reductioni locus non est. Contingere enim potest ut reditus imminuti fuerint *culpa rectorum* vel *administratorum*, et ex hac culpa oriatur obligatio supplendi. Item contingere potest (quod olim rarum non erat), ut hæres teneatur supplere. Testator enim potest alligare onus missarum alicui fundo, qui remaneat penes hæredem, et ex cujus reditibus provideatur oneri missarum. Verum dupliciter designari potest hic fundus, nempe vel *taxative*, vel *demonstrative : taxative*, si solus et *exclusive* designetur ad solvendas expensas oneris missarum; *demonstrative*, si tantum *præ cæteris fundis* designetur, et proinde non exclusive. Si fundus *taxative* designetur, hæres, exhaustis reditibus hujus fundi, ad nihil amplius tenetur; si *demonstrative*, tenetur ad præbendum supplementum, etiam ex aliis fundis. — Sed quæritur quandonam *taxative* vel *demonstrative* fundus designetur. Si ex inspectione totius testamenti constet de voluntate testatoris, nulla difficultas; si non constet, recurrendum ad præsumptionem; porro præsumptio hæc est : Si dicat testator hæredi : *Tibi lego talem fundum, ea lege ut ex ejus reditibus facias celebrari centum missas perpetuas*, sic incipiendo a designatione fundi, et postea assignando onus, fundus est *taxative* designatus; si vero dicat : *Tu facias celebrari centum missas perpetuas, pro quibus tibi lego talem fundum*, sic incipiendo ab onere, fundus est tantum *demonstrative* designatus[1]. Ita expresse, cum pluribus doctoribus, cit. supra

[1] A fortiori, legatum est *demonstrative* conceptum, si testator nullum

instructio S. Congr. Conc. (n. **77**); quam regulam observandam esse docet Benedictus XIV, etiam quando Indultum non remittit ad hanc *instructionem*, quia, ait, « est hæc instar juris regulæ [1]. » Notandum tamen, hanc præsumptionem cedere non tantum veritati, sed etiam validiori præsumptioni : quod de se patet. — Hodie, præsertim apud nos, rarior erit locus huic requisitioni ab hæredibus, tum quia testatores, dum instituunt onus missarum, dotem directe legare solent ecclesiæ vel instituto, tum quia, licet in rigore juris teneantur hæredes supplementum præbere, sæpe non poterunt efficaciter aut utiliter cogi ad hoc præbendum; unde, juxta ipsam clausulam, locus esse poterit reductioni.

3° Pars posterior *indulti* respicit onera missarum, præscripta quidem a testatore, sed nondum acceptata ab ecclesia vel instituto; si his oneribus non sint assignati reditus sufficientes, potest episcopus onera moderari, computata eleemosyna celebrantis ad taxam eleemosynæ *perpetuæ*. Hæc autem taxa missæ *perpetuæ*, ut jam dictum est, major esse solet taxa missæ *manualis;* nam hoc onus quod sibi imponunt sacerdotes alicujus ecclesiæ vel instituti celebrandi missas in perpetuum grave est, eo quod, hoc onere suscepto, impediantur ne ad placitas intentiones celebrent aut etiam alias missas, majoris forsan eleemosynæ, accipiant; unde æquum est ut eleemosyna perpetua major sit manuali.

4° *Clausula* quoad partem fabricæ assignandam : « *Detractis nimirum*, etc. » — Præter eleemosynam sacerdotis celebrantis, assignanda est quædam pars pro aliis expensis,

designet fundum, sed tantum imponat onus determinatum, ut in *Urgellen., Reductionis missarum*, 16 junii 1894, coram S. Congr. Conc. (*Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 329-331).

[1] *De synodo*, lib. XIII, c. ult., n. 32.

nempe pro administratione et exactione redituum, pro sacris utensilibus, etc. Ratio per se patet; quum enim missæ celebrari debeant in ipsamet ecclesia vel monasterio, etc., in quo fundatio instituitur, ecclesia vel institutum non tenetur subire gratis expensas celebrationis. — Notandum autem est hanc *clausulam*, scriptam in *indulto* post partem ejus posteriorem, respicere etiam *priorem* partem, quæ agit, ut visum est supra, de oneribus jam acceptatis, quia ratio eadem justitiæ æque urget; nec opponuntur regulæ sermonis; hæc enim clausula, in fine indulti apposita, de se afficit omnia quæ præcedunt, prout singula exigunt.

5° De extensione hujus *indulti* hæc notanda : 1. Non extenditur indultum nisi ad onera *missarum*, non vero ad alia, v. g., eleemosynas tribuendas, etc.; ratio est quia *facultas ad certas res data, ad alias diversi generis* (licet inferioris) *non producitur*[1]; — 2. Non extenditur ad missas *vi contractus* susceptas, ut supra dictum est n. **75**; — 3. Extenditur vero ad quaslibet missas, etiam cantatas, etiam solemnes, etiam certis diebus affixas; nomen enim *missæ* has omnes complectitur[2].

6° Docent plures Episcopum, si rogetur a Regularibus, posse uti, etiam erga eos, suo indulto reductionis missarum : quod approbat Benedictus XIV[3].

79. — Reductio facienda ab episcopo jure proprio. — Episcopus reducit onera missarum jure proprio, sive quando hæc facultas ei expresse tribuitur in ipsa fundatione (supra, n. **74**), sive quando uti velit opinione probabili (supra, n. **76** descripta), juxta quam ei licet redu-

[1] Cf. Bened. XIV, *loc. cit.*, n. 22.
[2] *Ibid.*, n. 25.
[3] *Ibid.*, n. 35.

cere onera missarum, quorum reditus ex parte perierunt sine culpa rectorum ecclesiæ vel instituti. — Hoc autem in casu, hæc dicenda : 1. Non potest reducere missas *vi contractus* susceptas, sed tantum, ad instantiam partis, judicis vicem agere et reducere contractum ad normam justitiæ, ut supra, n. **75,** expositum est; — 3. Si episcopus utatur dicta opinione, potest etiam reducere alia onera, quæ oneri missarum forsitan sint juncta, ut per se patet; — 3. Non astringitur prædicta clausula *indulti*. de reducendo missas ad taxam eleemosynæ *manualis;* — 4. Tenetur servare regulas generales reductionis missarum, de quibus statim.

80. — Regulæ generales pro facienda reductione. — Sive Episcopus utatur *indulto,* sive *jure proprio,* hæc servanda sunt :

1° Si oneri missarum alia onera, v. g., eleemosynarum, in eodem legato juncta sint, hæc alia onera reduci, et, si opus sit, supprimi debent, antequam missæ reducantur. — Ratio est *voluntas præsumpta* fundatoris, « qui, ut ait Benedictus XIV, proclivior fuisse censendus est in illud pium opus, ex quo majora animæ suæ suffragia obventura prospiceret, quale est incruentum altaris sacrificium[1]. » — Sed quia præsumptio cedit veritati, dicta regula fallit : 1. Si aliam fuisse fundatoris voluntatem constet ex dispositione testamentaria; — 2. Si singulis oneribus diversos assignaverit reditus, quia sic aperte ostendit se voluisse ut onera ab invicem essent independentia.

2° Si, juxta regulam prædictam, reducenda sint alia onera, Episcopus recurrere debet ad S. Congr. Conc., quia, ut dictum est, *indultum* solitum non extenditur nisi ad

[1] *De synodo,* lib. XIII, c. ult., n. 23.

missas; sed si Episcopus agat vi dictæ opinionis probabilis, potest etiam jure proprio alia onera reducere.

3° Si onus non contineat nisi missas *cantatas* aut *solemnes*, reducendus est earum numerus, juxta præsentes reditus; reductione autem facta, si quid pecuniæ supersit, erogandum est in missas lectas quotannis celebrandas pro eodem benefactore. — Ita expresse S. Congr. Conc., in *Romana*, 3 febr. 1725[1]; licet hæc decisio per se non habeat vim legis, quia tamen prudentissima est, veluti norma adhiberi potest.

4° Si onus contineat tum missas cantatas, tum missas lectas, reductio incipienda est a prioribus, ut, quoad ejus fieri potest, remaneat numerus missarum præscriptus a fundatore. Ita etiam S. Congr. Conc., 4 aug. 1725[2].

5° Quoad taxam determinandam, jam dictum est.

6° Si reditus, primum imminuti, postea augeantur, augeri etiam debet proportionaliter numerus missarum. — Ita præscribitur in *institutione* S. Congr. Conc., de qua supra (n. **77**) dictum est; hæc quidem *instructio* non obligat nisi quando *indultum* ad ejus normam conceditur; attamen hæc regula, de augendo missarum numero, adeo æqua est, ut vix possit non observari; ex voluntate enim præsumpta testatoris, reductio est quasi *dispensatio*, *quæ cessat, cessante causa*[3].

[1] Apud Benedictum XIV, *loc. cit.*, n. 34.
[2] *Ibid.*
[3] D'Annibale, ed. 3, t. III, n. 76, not. 14, p. 76.

§ 5. De condonatione missarum.

81. — Condonationis notio, reservatio, requisita[1].

1° Condonatio est *absolutio data super præteritis omissionibus missarum, quæ celebrari debuissent et non fuerunt celebratæ.* Unde, sicut *reductio* respicit *futurum* tempus, ita *condonatio* respicit præteritum.

2° Condonatio est reservata S. Sedi; agitur enim de gravi et definitiva commutatione voluntatis defuncti; unde de hac reservatione nunquam motum est dubium. — Romanus autem Pontifex hanc gratiam elargitur vel per se ipsum, vel per S. Congr. Concilii aut S. Pœnitentiariam, vel etiam per Congregationem Fabricæ S. Petri [2], saltem in locis in quæ se extendit auctoritas hujus Congregationis [3]. — Quando autem condonatio conceditur a Congr. Fabricæ S. Petri, vocatur speciali nomine *compositio,* quia solvitur a petentibus aliqua proportionata taxa, et inde, in supplementum missarum omissarum, capellani ad hoc destinati certum numerum missarum celebrant in basilica Vaticana [4].

3° In genere duo requiruntur ut impetrari possit hæc condonatio :

a. Ut omissio facta fuerit ex *bona fide;* si enim facta fuerit « sub malitiosa vel irrationabili spe earumdem (missarum) condonationem a Sede apostolica, vel compositionem a Rev. Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi », hæc condonatio non solet concedi. Ita S. Congr. Conc. in

[1] Benedictus XIV, *loc. cit.,* n. 15, 24; — Lucidi, *De visitatione,* c. VII, n. 86-96, Romæ, 1878, t. II, p. 429-431.

[2] Bened. XIV, *loc. cit.,* n. 15.

[3] *Ibid.,* n. 3.

[4] *Ibid.,* n. 15.

decretis an. 1697, *decreto 1* [1]. — Insuper, ex eodem *decreto 1,* rescripta condonationis Rev. Fabricæ hanc semper clausulam continere debent : « Dummodo *malitiose non omiserint, animo habendi compositionem; alias gratia nullo modo suffragetur.* »

b. Ut reditus qui supersunt *non sufficiant supplendis omissionibus;* unde et paupertas sive absoluta sive etiam aliquando relativa sufficit ut S. Congr. Conc. condonationis gratiam concedat. Quod Lucidi demonstrat pluribus exemplis [2].

4° Condonatio etiam pro missis *manualibus* omissis aliquando conceditur : de qua idem fere dicendum est ac pro condonatione missarum fundatarum [3].

§ 6. De translatione missarum.

82. — Translatio proprie dicta.

1° *Notio.* — Dicitur *translatio proprie dicta* missarum, quando *onus ipsum missarum auctoritate competenti de una ecclesia, monasterio, domo,* etc., *transfertur in aliam,* ita ut ecclesia *a qua* non amplius teneatur ad celebrationem missarum, sed sola ecclesia *ad quam.* Unde, posita hac translatione, ipsa dos fundationis transferri etiam debet ad ecclesiam *ad quam;* si non sit dos, sed tantum reditus ab hærede vel legatario quotannis solvendi, solventur postea ecclesiæ *ad quam.* — Hæc translatio solet esse perpetua; attamen potest etiam peti et concedi *ad tempus,* præsertim quando dos fundationis non adest, sed tantum reditus solvendi, ut dictum est.

[1] Cit. Innocentii XII bulla *Nuper,* § 17; *Bull. rom.,* t. IX, p. 469.
[2] *Loc. cit.,* n. 90-96.
[3] Benedictus XIV, *loc. cit.,* n. 29.

2° *Auctoritas competens.* — Episcopus potest facere hanc translationem in triplici casu :

a. Quando fundator expresse Episcopo hanc confert facultatem.

b. In casu quem contemplatur concilium Trid., c. *Cum illud*, 7, sess. XXI, De ref. : « Episcopi, etiam tanquam apostolicæ Sedis delegati, transferre possint *beneficia simplicia, etiam juris patronatus, ex ecclesiis quæ vetustate vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari*, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in jam erecta altaria vel capellas transferant *cum omnibus emolumentis et oneribus, prioribus ecclesiis impositis.* » Si Episcopus possit transferre *beneficium, etiam jurispatronatus*, a fortiori legatum missarum [1].

c. Quoties in ecclesia designata a fundatore missæ omnino celebrari nequeant, impossibilitate *juris* aut *facti*. Ita ex principio generali, in c. *Nos quidem*, 3, De Testamentis fundato, vi cujus Episcopus commutare ultimas voluntates potest, quando non possunt adimpleri eo modo quem præscripsit defunctus [2].

Extra hos casus, translatio reservatur S. Sedi, utpote importans commutationem ultimæ voluntatis.

3° *Causæ.* — Si agatur de episcopo, sola causa est *necessitas*, ut dictum est. Ipsa S. Congregatio Concilii caute admodum in hac re procedit, ut patet ex ejus *Resolutionibus*. Solet quidem concedere translationem in casibus casui Tridentino similibus, ut patet in *Comen.*, 15 sept. 1764 [3];

[1] Lucidi, *De visitatione*, c. vii, n. 109, t. ii, p. 435.

[2] Lucidi, *ibid.*, n. 108.

[3] *Thesaurus*, t. xxxiii, p. 139 sq., 151 (ubi multa documenta allegantur).

recusare autem solet, quando fundator, designando ecclesiam, vel *speciali devotione erga hunc locum motus est*, vel *populi commodum respexit*, aut etiam *si in ecclesia sit sepulcrum fundatoris*. Nunquam concedit translationem pro *commodo privato* capellanorum [1] aut hæredum [2]. — Recentius, sat latum *Indultum* concessit episcopo S. Galli, permittendi nempe acceptationem novorum onerum, etiam quando veteribus vix satisfieri potest, cum potestate transferendi ad alias ecclesias : « Pro facultate excipiendi nova legata ad decennium, et *quatenus tum vetera, tum recentiora adimpleri nequeant in ecclesia, cui oblata sunt, eadem transferendi ad alias ecclesias, intra tamen diœcesim; excepto casu, in quo oblator expresse designaret ecclesiam vel altare ob specialem ecclesiæ cultum, vel ex speciali sua devotione* [3]. « Causa *Indulti* fuit paupertas multarum ecclesiarum, quibus sic consuli aliquantisper potuit per applicationem quarumdam fundationum; nova enim onera acceptantur, vetera quædam, minus forte pinguia, transferuntur.

83. — Translatio improprie dicta. — Dicitur *translatio improprie dicta, quando, onere missarum penes ecclesiam, in qua primo institutum est, remanente, missæ in alio loco celebrantur;* unde non est proprie *translatio oneris*, sed *mutatio loci*, de qua jam supra dictum est (n. **65**). — Pluries a S. Congr. Conc. concessa sunt indulta, vi quorum ecclesiæ possent curare ut missæ, quarum onus apud se remanebat, alibi celebrarentur, v. g., in *Engolismen.*, 18 aug. 1888 [4]; in *Meten.*, 29 mar-

[1] In *Ariminen.*, 18 sept. 1779; *Thesaurus*, t. XLVIII, p. 111 sq., 132.
[2] In *Firmana*, 3 aug. 1782; *Thesaurus*, t. LI, p. 110-114.
[3] In una *S. Galli*, 1 sept. 1894, *per summaria precum; Acta S. Sedis*, t. XXVII, p. 480-484.
[4] *Nouvelle revue théologique*, t. XXII, an. 1890, p. 635-636.

tii 1890 [1]. Episcopus autem mutationem loci permittere potest, tum in casu *necessitatis*, ex principio generali in numero superiori allegato, tum etiam ex causa proportionata, sed ad tempus et raro, ut supra dictum est (n. **65**).

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXIII, p. 109-115.

CAPUT VI

DE QUIBUSDAM ALIIS TITULIS APPLICANDI MISSAM

N. B. Actum est de applicatione missæ ratione *stipendii* sive manualis sive fundati; dictum est sufficienter de applicatione missæ ratione *promissionis*, *præcepti superioris* et *voti*. In *Prælectionibus de Capitulis*, dicetur de applicatione *missæ capitularis*. Non remanet dicendum nisi de applicatione ratione *beneficii*, *capellaniæ* et *curæ animarum*.

§ 1. De applicatione missæ ratione beneficii et capellaniæ.

84. — Obligatio applicandi missam ratione beneficii vel capellaniæ.

1° Qui tenetur *celebrare* missas ex obligatione beneficii vel capellaniæ, tenetur etiam *applicare* eas missas ad intentionem fundatoris, nisi aliud *omnino constet*, ut supra (n. **54**) dictum est.

2° Tenetur ad numerum missarum, præscriptum a fundatore, v. g., ad tres, quatuor aut amplius, missas per singulos menses, hebdomadas, etc. — Constat tum ex *jure naturali*, — tum ex conc. Trid. c. *Ratio postu-*

lat, 5, sess. XXV, De ref. : « Quando igitur *ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus*, qualitates aliquæ requiruntur, seu *certa illis onera sunt injuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur.* » Si etiam Episcopus, per quamvis *dispositionem*, non potest derogare fundationi, a fortiori ipse capellanus.

3° Quotiescumque fundator non jussit *specialiter et expresse* capellanum celebrare *per se ipsum*, poterit celebrare *per alium*. — Constat *Regulis Juris*, in VI, 68 et 72 : « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. — Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. » Quæ regulæ omnino applicantur celebrationi missæ, quæ, a quocumque sacerdote peragitur, ejusdem est valoris. Unde fundator his regulis conformare suam intentionem præsumitur, nisi aliter dicat [1].

4° Qui tenetur ad celebrationem quotidianam, et non tenetur celebrare *per se ipsum*, debet, his diebus quibus non celebrat, procurare ut per alium celebretur. — Ratio est quia intentio fundatoris, præscribentis quidem quotidianam celebrationem, sed non exigentis *personalem* capellani celebrationem, possibilis est nec nimium onerosa, unde adamussim adimpleri debet, juxta principium generale sæpe in jure canonico, v. g., in statim relato conc. Trid. c. *Ratio postulat*, assertum, quod nempe *voluntas fundatoris pro lege habenda est.* Et ita semper, in dicta specie, respondit S. Congr. Conc., v. g., in *Collen.*, 18 sept. 1683, ad 6 [2]; — in *Ipporegien.*, 24 febr. 1872 [3].

5° Qui, juxta fundationis tabulas, tenetur ad celebra-

[1] Hoc late demonstrat Fagnan, in c. *Ut abbates* (1, *De ætate et qualitate*, etc.), n. 60-89.

[2] Quam refert Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, pars II, n. 20, p. 34.

[3] *Thesaurus*, t. cxxxi, p. 169-180. — Cf. *Acta S. Sedis*, t. vii, p. 181-183.

tionem quotidianam et *personalem*, non tenetur *omnibus omnino* diebus celebrare, sed *potest aliquando a celebratione vacare, justa interveniente causa.* — Constat clare c. *Significatum*, 11, De præbendis, in quo hanc ipsam speciem contemplatur et decidit Alexander III. Agitur de præbenda, vi cujus beneficiatus *tenetur quotidie celebrare* (*excepta tamen causa infirmitatis*), *quin possit delegare celebrationem.* Porro hunc casum sic judicat : « Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, *assidue debeat obsequium suum impendere ecclesiæ memoratæ, et quanto frequentius potest* (*salva honestate sua et debita devotione*) *missarum solemnia celebrare, nec sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa voluptatis, sive se ad aliam ecclesiam transferendo.* » Et in hoc sensu non semel respondit S. Congr. Conc., v. g., in jam cit. *Collen.*, ad 1. Cujus legis canonicæ ratio est quia voluntas fundatoris imponentis capellano ut *celebret per se ipsum omnibus omnino diebus anni* est irrationabilis, utpote nimium onerosa [1]; unde Alexander III in hoc capite hanc voluntatem juridice interpretatus est, et, quatenus opus fuit, aliquantisper commutavit. — Sed, quoniam Alexander nihil dixit de frequentia vacationis, orta est gravis controversia, de qua pauca dicenda.

85. — Quæritur 1° *Quoties capellanus prædictus possit licite a celebratione vacare?* — Distinguendæ sunt causæ vacationis :

1° Si causa sit illa *honestas et devotio,* de qua cavit Alexander, alii dicunt capellanum posse vacare etiam una die per hebdomadam, quin teneatur per alium supplere;

[1] Ut late evolvit Fagnan, in hoc c. *Significatum*, n. 8-11. — Cf. etiam de Lugo, *Responsa moralia*, lib. V, dub. 9, p. 124.

ita Barbosa, Ferraris, Monacelli, S. Alph., et hodie d'Annibale; imo Monacelli refert *decretum* S. Congr. Visitationis apostolicæ, quo hæc vacatio permittitur[1]; alii vero unum tantum diem vacationis per mensem permittere audent; ita præcipue Giraldi, cum aliis quos allegat[2]. Hac ipsa de re interrogata S. Congr. Conc., in cit. *Collen.*, ad 2, respondit tantum : « *Affirmative*[3], *concurrente aliqua legitima causa.* » — De quo hæc tantum addo : 1. Si agatur de sæculis præteritis, in quibus celebratio quotidiana non erat in tam frequenti usu apud sacerdotes, etiam pios, quam hodie, probabilis esse videtur opinio Barbosa et aliorum, quia voluntas fundatoris censetur sese conformare moribus sui temporis; et revera interpretatio horum auctorum non vim facit c. *Significatum;* — 2. Si agatur de hodiernis temporibus, in quibus plurimi sacerdotes quotidie celebrare solent, voluntas fundatoris exigentis a suo capellano celebrationem quotidianam personalem (cum una, et aliquando altera, vacatione singulis mensibus), nullo modo, attentis moribus hodiernis, videtur irrationabilis, nec est nimium onerosa; et proinde servari debet.

2° Si causa sit *infirmitas*, qua impediatur capellanus a celebratione, hæc dicenda :

a. Si, in tabulis fundationis, fundator expresse dispensatum voluerit capellanum suum a celebratione, *ob causam infirmitatis*, ut exemplum est in ipso c. *Significatum*, capellanus, *toto tempore infirmitatis*, potest vacare a celebratione, nec tenetur per alium supplere.

[1] Barbosa, *De officio Episcopi*, alleg. 24, n. 31; — Ferraris, v° *Missa*, art. 3, n. 19; — Monacelli, pars III, appendix, *Istruzione* 5, n. 11 (hic affert *decretum* dictæ Congr., quod est 18 julii 1697), ed. Romæ, 1709, t. III, p. 217; — S. Alph., lib. VI, n. 332, ex Busembaum; — d'Annibale, ed. 3, t. III, n. 69, not. 55, p. 66.

[2] *Expositio juris pontificii*, pars I, sect. CCCLXVI, Romæ, 1829, p. 254.

[3] Nempe possunt vacare a celebratione.

b. Si fundator nihil caverit de *infirmitate*, omnes concedunt capellanum, *si infirmitas non duret ultra quindecim dies*, non teneri celebrare per alium: et ita etiam non semel S. Congr. Conc., v. g., in *Romana*, 4 junii 1689, et 17 nov. 1695[1]: et hoc ex æquitate canonica, et præsumpta voluntate fundatoris. Hanc autem concessionem multi, nec male, extendunt ad *unum mensem*[2]. — Si ergo ultra perduret infirmitas, tenetur capellanus supplere per alium.

c. Si capellanus infirmus impotens sit ad celebrandum, et nihil alias habeat unde vivat et ordinatus sit ad titulum hujus beneficii vel capellaniæ, non tenetur, *toto tempore infirmitatis*, supplere per alium. — Ita, ex intentione præsumpta fundatoris, declaravit non semel S. Congr. Conc., v. g., in *Pistorien.*, 5 febr. 1650, et in *Patavina*, 24 apr. 1655[3].

86. — Quæritur 2° *Num capellanus, quando licite, ob prædictam devotionis causam, vacat a celebratione, possit celebrare ad alias intentiones.*

Resp.: *Negative*, tum quia id non obscure vetuit Alexander, cit. c. *Significatum*, dum omnino prohibuit ne capellanus capellæ seu ecclesiæ suæ subtrahat celebrationem « sive causa voluptatis, sive *se ad aliam ecclesiam transferendo* »; — tum quia in hoc sensu S. Congr. Conc. hunc textum interpretata est, in cit. *Collen.*, ad 3 et 4[4]; — tum quia, si vere *devotionis causa* capellanus abstinet

[1] Apud Giraldi, *loc. cit.*, p. 254.

[2] Ita de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XXI, n. 49; — Ferraris, *loc. cit.*, n. 24; — S. Alph., *loc. cit.*, n. 333; — d'Annibale, *loc. cit.*, n. 69 (contra Giraldi, *loc. cit.*). — Horum quidam ulterius adhuc progrediuntur, nempe ad duos menses; verum non ausim illos sequi.

[3] Apud Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, pars II, n. 20, p. 34.

[4] *Ibid.*

a missa, a *quacumque missa* abstinere debet, ut patet. Unde, diebus licitæ vacationis, capellanus non potest celebrare pro se aut suis, multo minus pro recepto stipendio, quidquid dixerunt aliqui. Si ergo celebret, celebret necesse est ad intentionem fundatoris.

§ 2. De applicatione missæ ratione curæ animarum.

87. — Obligatio applicandi missam ratione curæ animarum; missa pro populo.

1° Conc. Trid., c. *Cum præcepto*, 1, sess. XXIII, De ref., ait : « Cum *præcepto divino* mandatum sit *omnibus quibus animarum cura commissa est*, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*, etc. » Hoc autem præceptum invenitur in sancto Paulo, Hebr., v, 1-3 : « Omnis pontifex... constituitur in iis quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis...*, et propterea debet, quemadmodum *pro populo*, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. » Ergo omnes qui curam gerunt animarum, *præcepto*, et quidem *divino*, tenentur missam applicare pro ovibus sibi commissis; quæ missa dicitur missa *pro populo*.

2° Duplici modo gerens curam animarum affici potest illo præcepto divino, nempe vel *immediate* et *absolute*, vel *mediate* tantum et *hypothetice*. Episcopus hoc jure divino *immediate* et *absolute* tenetur ad missam *pro populo;* nam ex una parte, ut dictum est, curæ animarum annexum est, jure divino, onus missæ *pro populo;* ex altera autem parte, *officium episcopale* seu *cura episcopalis animarum* instituta est jure divino; ut enim

alibi demonstratur, Christus jussit in sua Ecclesia constitui, sicut supremum Caput, ita et Pastores ordinarios et immediatos, seu Episcopos (quidquid dicendum est de immediata origine jurisdictionis episcopalis); ergo, jure divino *immediato* et *absoluto* tenentur Episcopi ad missam *pro populo*. — Parochi autem tenentur ad hanc missam *jure* quidem *divino*, *sed tantum mediato et hypothetico;* nam habent quidem curam animarum, cui annexa est jure divino missa pro populo; sed hanc curam non habent nisi *jure ecclesiastico*, quia officium parochiale seu cura parochialis animarum jure tantum Ecclesiastico instituta est. Ita ratiocinatur Leo XIII in bulla *In suprema*, IV idus junii 1882, § *Quapropter mirum* [1].

88. — Quinam tenentur hoc præcepto?

1° *De Episcopis.* — De Episcopis hæc dicenda :

a. Episcopi tenentur ad missam pro populo. — Constat : 1. *Concilii Trid.* textu supra relato; — 2. Clementis XIII bulla *A quo die*, postr. idus sept. 1758, § 10, in qua, loquens de *officiis* episcoporum, hoc etiam adjecit, de qua loquimur : « *Nullumque majus putemus nobis datum esse negotium, quam crebro placationis hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri immolare* [2]; » — 3. Leonis XIII cit. bulla *In suprema*, § *His itaque*, ubi hæc plane decretoria edicit : « Decernimus et declaramus *Episcopos, quacumque dignitate, etiam cardinalitia, auctos*, item abbates jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes, *in dominicis aliisque festis diebus qui ex præcepto adhuc servantur, et qui ex dierum de præcepto festorum numero sublati sunt*,

[1] *Leonis XIII Acta*, Romæ, 1884, t. III, p. 91.
[2] *Bull. rom. cont.*, t. I, p. 31.

omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, *ad missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri*[1]. »

b. Quando Episcopus, ut non raro fit, duas diœceses *æque principaliter unitas* regit, *ad unam tantum missam tenetur*. — Constat clare ex cit. Leonis XIII bulla, § *Et ne cui*, ubi ait : « Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus eosdem Episcopos et abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius missæ pro universo populo sibi commisso, *etiamsi duas vel plures diœceses et abbatias æque principaliter unitas regant*[2]. » Aliud quidem pro Parochis, duas parochias æque principaliter unitas regentibus, sancitum est, nempe hos teneri ad duas missas pro populo applicandas; sed discrimen Leo XIII explicat, dicens parochum, duas parochias regentem, non tantum teneri applicare pro populo, sed etiam, singulis diebus festis, in utraque ecclesia parochiali, per se vel per alium, celebrare, ut populus sacro intersit, illum verbo docere, sacramentis pascere, etc.; ergo æquum est ut illæ duæ missæ pro ipso populo applicentur; non sic autem de Episcopo : « At non hæc valere possunt, pergit Pontifex, pro Episcopis qui dissimili in condicione et causa versantur, *cum nulla lege hodie jubeantur omnibus diebus festis sanctum sacrificium in cathedrali templo peragere*[3]. »

c. Si Episcopus, præter propriam diœcesim, aliam etiam habeat, v. g., ecclesiam vacantem, quam administrat, ut administrator apostolicus, una etiam missa satisfacit. — Eadem enim prorsus ratio valet ac pro duabus diœcesibus *æque principaliter unitis*, in uno enim et in altero

[1] *Leonis XIII Acta*, t. III, p. 91.
[2] *Ibid.*, p. 92.
[3] *Ibid.*, p. 92.

casu sunt vere duæ diœceses, quas unus regat pastor.

d. Si Episcopus, præter diœcesim, regat *parochiam*, distinguendum est : 1. Si sit vere *parochus*, tunc duas tenetur applicare missas, unam pro diœcesi, alteram pro parochia; hanc autem alteram applicat per Vicarium quem ponit in hac parochia, assignata ei congrua, quæ correspondeat tum aliis muneribus parochialibus, tum etiam huic speciali oneri applicandi *pro populo;* ita etiam S. Congr. de Prop. Fide, die 23 martii 1863 [1]; — 2. Si autem parochiam Episcopus administret *per accidens*, v. g., parochiam vacantem, donec inveniat idoneum pastorem, primo adspectu videretur teneri ad duas missas, unam pro diœcesi, alteram pro parochia, quia vicarii œconomi, qui nempe parochiam vacantem administrant, tenentur ad missam *pro populo;* jubet enim Benedictus XIV, ut hi omnes vicarii, « atque *alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni*, æque teneantur missam parochialem applicare pro populo [2]. » Unde non deest qui dicat Episcopum, de quo agitur, utpote comprehensum in his generalissimis verbis, teneri ad duplicem missam [3]. Putaverim tamen eum non teneri nisi ad unam missam; quæ enim facit in parochia vacante, facit, non ut vicarius œconomus, sed ut Episcopus, cui potestas est, imo cui onus incumbit providendi, etiam per curam immediatam, parochiis suis pastore destitutis; et hoc, licet in casu aliqua percipiat, v. g., decimas; hæ enim decimæ non sunt congrua vicarii, sed merces laborantis. Inde, in simili prorsus casu, S. Congr. de Prop. Fide exemit archiepiscopum Antibarensem, in Albania, ab onere duplicis missæ, die

[1] *Collectanea* Congr. de Prop. Fide, n. 204, Romæ, 1893, p. 78.

[2] Const. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744, § 4; *Bull. Bened.*, t. I, n. CIII.

[3] Ita Gasparri, *De Eucharistia*, n. 509, t. I, p. 365.

25 sept. 1779 [1]. Et ita etiam scriptor periodici *Acta S. Sedis*, et Card. Tarquini, quem allegat [2].

89. — 2° *De administratore apostolico.* — Administrator apostolicus, qui, nempe, jussu Rom. Pontificis, diœcesim aliquam administrat, sive in perpetuum, sive etiam ad tempus (v. g., tempore sedis vacantis), tenetur ad missam pro populo. — Constat : 1. Ex *paritate cum administratore parochiæ seu vicario œconomo;* hic enim, ut mox dictum est, tenetur ad missam *pro populo*, ut decrevit, *loc. cit.*, Benedictus XIV; ergo, *a pari*, tenetur administrator apostolicus; imo, *a fortiori*, quia cura Episcopalis magis gravatur præcepto divino missæ pro populo, quam cura parochialis; — 2. Ex infra referenda decisione S. Congr. de Prop. Fide, 23 martii 1863, pro vicariis apostolicis, *in locis ubi sedes episcopales canonice sunt erectæ.*

3° *De abbatibus Nullius.* — Hi tenentur ad missam pro populo, ut constat ex clarissima Leonis XIII supra relata decisione, in qua hac in re prorsus assimilantur Episcopis. — Si abbas *Nullius* habeat duas abbatias æque principaliter unitas, vel aliam abbatiam regat, aut parochiam, idem prorsus dicendum est ac supra de episcopo.

4° *De Episcopis titularibus.* — Hi non tenentur ad missam *pro populo.* — « Cum enim, ait Leo XIII in allegata bulla *In suprema*, § *Quanquam vero*, ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur, cumque nullus neque clerus neque populus eorum regimini tradatur, satis constat eos, uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione acceptæ, ita etiam haud esse

[1] *Collectanea* cit., n. 191, p. 74.
[2] *Acta S. Sedis*, t. XIV, p. 553-554.

officiis atque oneribus curæ episcopalis obnoxios[1]. » Attamen, ut ibidem pergit Pontifex, ex caritate decet eos aliquando celebrare pro suis ecclesiis, in tam misero statu positis.

5° *De Episcopo coadjutore.* — Hic non tenetur ad missam *pro populo;* hac enim obligatione tenetur coadjutus, non coadjutor; solus enim coadjutus est vere et proprie episcopus talis diœcesis; tenetur ergo solus hoc onere, quod implet vel per se, vel, si impediatur, per alium. — Excipitur, si coadjutor datus sit Episcopo in amentiam delapso; tunc enim coadjutor est per omnia quasi verus episcopus, aut potius administrator apostolicus, ut suo loco dicitur.

6° *De Vicario apostolico.* — Agitur de Vicario apostolico in locis missionum posito :

a. In locis missionum, *in quibus nondum diœcesis canonice erecta est,* Vicarius apostolicus non tenetur ad missam *pro populo.* — Constat pluribus decisionibus S. Congr. de Prop. Fide. Sic : 1. Jam, 16 jan. 1803, declaravit neque *Vicarios apostolicos,* neque eorum coadjutores aut Vicarios generales teneri ad missam pro populo, sed tantum *decere ex charitate,* ut missam dicant pro populo[2]; — 2. Quum Pius IX, in litteris encyclicis *Amantissimi,* die 3 maii 1858, § *Jam vero*[3], declarasset « parochos *aliosque omnes animarum curam actu habentes* debere missæ sacrificium pro populo sibi concredito peragere », quidam Vicarii apostolici iterum atque iterum dubitarunt utrum aliquid mutatum esset in decisionibus ipsos spectantibus, ideoque postularunt : « An *Vicarii apostolici* et missionarii qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato

[1] Leonis XIII *Acta, loc. cit.,* p. 92.
[2] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 93, p. 42.
[3] Pii IX *Acta,* Romæ, 1864, t. III, p. 21.

loco, *teneantur indiscriminatim ex justitia applicare missam pro populo* diebus festis. » Respondit S. Congr., die 23 martii 1863 : « *Negative*, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac parœciæ canonice erectæ jam sint, atque ad eas Vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant [1]; » addidit autem S. Congr. dicendum non esse Vicarios *teneri ex charitate* ad applicandum pro populo, sed tantum « *decere ex charitate, ita ut nulla proprie dictæ obligationis significatio appareat* [2] »; — 3. Hanc decisionem an. 1863 innovavit et confirmavit eadem Congr. decreto 18 aug. 1866, et 26 febr. 1875 [3].

b. Si agatur de locis, *in quibus jam erecta sit canonice diœcesis,* Vicarius apostolicus, illuc missus ut legitimi pastoris vices gerat, tenetur ad missam *pro populo.* — Constat clare cit. decisione S. Congr. 23 martii 1863.

90. — 7° *De Vicario capitulari.* — Vicarius capitularis, sede vacante, *non tenetur ad missam pro populo.* — Hujus assertionis, quæ recepta est inter doctores, non video aliam demonstrationem seriam, nisi *in ipsa voluntate Ecclesiæ*, quæ Vicarios capitulares hoc onere adstrictos noluit. Exercet quidem Vicarius capitularis curam episcopalem, ordinariam et immediatam, interni atque externi fori, et proinde primo adspectu videretur eum teneri, sicut administrator apostolicus et vicarius curatus parochiæ vacantis, ad missam pro populo; unde non deest qui teneat eum revera huic oneri subesse [4]. Attamen Ecclesia non intendit Vicarium capitularem hoc onere gravare; S. Rit. Congr.,

[1] *Collectanea,* n. 205, p. 78.

[2] *Ibid.,* in eadem decisione an. 1863, ad 2.

[3] *Ibid.,* n. 205; — n. 209, p. 79.

[4] Sic cl. Gennari, *Monitore ecclesiastico,* t. x (an. 1897-1898), pars I, p. 209, 259.

in una *Marsorum*, 12 nov. 1831, huic quæsito : « 23. Vicarii capitulares tenenturne ad hanc missæ applicationem sede vacante? » respondit : « Ad 23. *Negative*[1]. » Quæ decisio unanimi consensu doctorum excepta est, usuque communi. — Nec dicas : 1. Leonem XIII hanc decisionem sustulisse implicite sua const. *In suprema*, in qua declaravit curæ episcopali annexam esse obligationem missæ *pro populo*. Nam in hac bulla Leo XIII non agit nisi de *Episcopis* et abbatibus *Nullius;* cæterum bene noverat Leo XIII hanc decisionem S. Rit. Congr. in una *Marsorum*, ex qua refert et approbat responsionem ad 22[2]; ergo, si responsionem ad 23 supprimere voluisset, dicere debuisset. Unde etiam post hanc bullam non recedunt doctores a communissima opinione[3]. — Nec dicas : 2. Curæ animarum annexam esse *præcepto divino* obligationem missæ *pro populo*. Nam cura animarum quam exercet Vicarius capitularis est certo certius *juris tantum ecclesiastici;* porro Ecclesia constituit curam animarum, *quando vult*, *et cum his partibus et elementis quæ vult*, ut per se patet.

8° *De Vicario generali. — Non tenetur ad missam pro populo*. Licet enim habeat jurisdictionem ordinariam, attamen, in aliquo sensu, est delegatus Episcopi, cui incumbit onus missam applicandi pro diœcesi. Et ita omnes.

9° *De superioribus regularibus. —* Hi *non tenentur ad missam pro populo*. Hoc quidem fuit graviter controversum an. 1710, et relatum ad S. Congr. Conc., ibique

[1] *Decreta authentica,* Romæ, 1898, n. 2682, t. II, p. 233.

[2] In § *Quanquam vero,* p. 93.

[3] Sic etiam post annum 1882 tenent vicarium capitularem non teneri ad missam pro populo, Bucceroni, *Enchiridion morale,* Romæ, 1887, p. 96; — Gasparri, *De Eucharistia,* n. 500, p. 357; — d'Annibale, *Summula,* ed. 3, t. III, n. 169, not. 30, p. 147; — Scriptor periodici *Acta S. Sedis,* t. XIV, p. 555.

longe discussum ex utraque parte. At ista S. Congr., die 15 martii 1710, distulit resolutionem[1], quam deinceps nunquam dedit[2]. Quod signum est Ecclesiam non intendere, ut curam animarum, quæ certo incumbit superioribus regularibus, ingrediatur obligatio missæ pro ovibus commissis. — Cæterum quum singulæ domus regularium remaneant in diœcesi et de diœcesi (licet cum competenti exemptione), eis prodest missa pro populo ab Episcopo celebrata; imo, cum sint etiam in territorio parochiæ, non videntur excludi ab applicatione missæ parochialis.

10° *De Prælatis inferioribus.* — 1. Si sint Prælati *Nullius*, tenentur ad missam pro populo; tunc enim (licet non sint stricto sensu *Abbates*) comprehenduntur inter illos « abbates jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes », quos onere missæ pro populo gravatos voluit Leo XIII (supra, n. **89**, 3°); — 2. Si non sint *Nullius*, licet habeant clerum et populum, non tenentur; de his enim silet prorsus Leo XIII; quum autem eorum territorium remaneat in diœcesi et de diœcesi, fidelibus eis commissis prodest missa pro populo ab Episcopo celebrata.

11° *De parochis et de his qui plus minusve curam animarum parochialem participant*, late dicam in *Prælectionibus de Parochis;* unde hic tantum refero summam eorum quæ ibi dicenda sunt. Tenentur ad missam pro populo omnes parochi, sive *inamovibiles*, sive *amovibiles*, sive *regulares*, sive *sæculares;* item tenentur omnes *Vicarii curati*, sive *perpetui*, sive *temporales*, etiam *regulares*, in parochiis unitis; item, ut jam dictum est, tenentur *vicarii œco-*

[1] Quod totum narrat Giraldi ex ipsis S. Congr. regestis, *Expositio juris pontificii*, pars II, sect. LXXXV, p. 925.

[2] Ut testatur idem Giraldi, *ibid.* Nec, a tempore Giraldi, de dicta resolutione auditum est.

nomi, qui nempe administrant parochiam vacantem. Non tenentur autem *parochorum adjutores*, qui in Gallia *vicarii*, alibi *capellani* vocantur; nec *capellani collegiorum*, *hospitalium*, *militum*, *navium*, *communitatum*, etc. Quoad *missionarios*, tenentur ad missam *pro populo* in locis ubi *parochiæ sunt canonice erectæ*, non vero in locis ubi *nundum sunt canonice erectæ parochiæ*.

91. — Varia adjuncta obligationis missæ pro populo.

1° Episcopi, aliique de quibus supra dictum est, tenentur ad missam *pro populo a die captæ possessionis;* tenentur ad hoc *omnibus diebus dominicis*, *aliisque festivis de præcepto, etiam suppressis;* insuper hoc ipsorum onus est *reale, personale, nec differri potest ad aliam diem.* — Porro de his omnibus *idem omnino* dicendum est ac de parocho, ita ut hæc omnia quæ late evolvam in dictis *Prælectionibus de Parochis*, applicari possint et debeant Episcopis aliisque.

2° Obligatio Episcoporum abbatumque applicandi missam *pro populo*, nullo modo est *localis*, ita ut hodie non teneantur, diebus dominicis aut festivis, celebrare etiam per alium in ecclesia cathedrali aut abbatiali, ut supra audivimus ex Leone XIII (n. **88**).

92. — De missa pro populo in Ecclesia orientali.

1° Totum jus Ecclesiæ orientalis quoad missam *pro populo*, relative ad Episcopos et parochos, continetur in *responsione* S. Congr. de Prop. Fide, die 23 martii 1863, quæ ideo in extenso referenda est :

« 1. An obligatio applicandi missam pro populo, quæ secundum jus Ecclesiæ occidentalis imponitur Episcopis

et parochis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis.

« Quatenus affirmative,

« 2. An, quoad dierum determinationem, servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quæ vigere reperiantur in aliquibus diœcesibus ejusdem ritus.

« 3. An, in defectu talium legum et consuetudinum, ejusmodi dierum determinatio fieri debeat juxta normam et integram extensionem legum occidentalium.

« 4. An, ob graves rationes et circumstantias, locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sint a legibus occidentalibus, et deveniri etiam ad totalem dispensationem, obligatione tamen injuncta orandi pro populo in iisdem missis quæ applicari pro eodem deberent. »

« In comitiis habitis die 23 martii 1863, respondere censuit :

« Ad 1. Affirmative.

« Ad 2. Affirmative.

« Ad 3. Negative.

« Ad 4. Provisum in tertio et *ad mentem*. Mens autem S. Congr. fuit quod, secundum opportunitatem, Episcopis orientalis Ecclesiæ inculcaretur obligatio, qua etiam in ea (ecclesia) gravantur animarum pastores, applicandi aliqua vice pro populo; et, in eo quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis Ecclesiæ, ut ex ea normam habeant ad dignoscendum usque dum ea convenire posset in eorumdem diœcesibus, et, quocumque in casu, ad proponendum S. Sedi eas moderationes, quas necessarias putaturi essent[1]. »

2° Hinc, ut satisfiat huic *menti*, eadem S. Congr. misit

[1] *Conciliorum Collect. Lacensis*, t. II, col. 560. — Videas textum italicum in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 203, p. 77.

ad delegatos apostolicos pro Oriente, *litteras encyclicas*, 8 nov. 1882 [1], ut unusquisque, intra limites suæ *delegationis*, inquireret num sint *veræ parochiæ;* simplices enim *missiones* non esse huic legi subjectas; cæterum *jus divinum hypotheticum*, quo tenentur parochi ad missas pro populo non esse indispensabile.

3° In synodo Montis Albani, an. 1736, pars III, c. III, n. 2 [2], refertur, ex concilio Tridentino (c. *Cum præcepto*, 1, sess. XXIII, De ref.), præceptum divinum quo tenentur parochi oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*, etc.; sed nihil prorsus additur de diebus quibus urgeat hoc præceptum.

4° In synodo provinciali Ruthenorum Galiciæ, celebrata Leopoli an. 1891, expresse statuitur ut Episcopi et parochi, necnon « sacerdotes qui administrationem parochiarum retinent », missam *pro populo* applicent, tum diebus dominicis, tum diebus festis de præcepto, etiam abrogatis, ad normam relatæ encyclicæ Pii IX *Amantissimi* [3]. — Idem cavetur de parocho, in synodo Sciarfensi Syrorum, celebrata an. 1888 [4].

[1] Textum habes in dicta *Collectanea*, n. 212, p. 79.

[2] *Coll. Lac.*, t. II, p. 278.

[3] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum*, tit. IV, c. II, n. 1, Romæ, 1896, p. 41.

[4] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, c. XI, art. 3, n. 2, Romæ, 1879, p. 250.

CAPUT VII

DE TRANSMISSIONE ET COLLECTIONE ELEEMOSYNARUM MISSARUM

§ 1. De regulis transmissionis eleemosynarum.

N. B. Agitur de casu quo sacerdos, obligatus ad celebrandam missam ratione vel accepti stipendii, vel fundationis, beneficii, etc., hanc missam non potest aut non vult ipse celebrare, et ideo eam celebrandam committit alii sacerdoti, dato, ut par est, stipendio. Quæritur ergo num tradere debeat integrum receptum stipendium.

93. — Regula generalis. — *Sacerdos qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, si hanc missam celebrandam committat alteri, tradere tenetur integram eleemosynam*, ideoque nullam ejus partem retinere potest. — Constat :

1° Decretis sæpe allegatis an. 1625, quæ, ut dictum est, vim legis habent, nempe decreto 4, in quo clare statuitur : « Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, [Sacra Congregatio Conc.] prohibet sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, *ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ*

sibi retenta, celebrandam committat. » Cumque quæsitum fuisset a S. Congr., num decretum applicari deberet, *etiam quando eleemosyna concessa esset solita major,* responsum fuit, *responso 10 :* « Debere *absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse*[1]. » Hæc decreta, simul et responsa, primo edidit, ut dictum est, Urbanus VIII, deinde speciali modo confirmavit Innocentius XII.

2° *Auctoritate Alexandri VII,* qui, die 24 sept. 1665, hanc propositionem, sub n. 9, damnavit : « Post decretum Urbani, potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta[2]. »

3° *Ipsa ratione naturali.* — Sacerdos recipiens eleemosynam pro missa celebranda, ipsam eleemosynam non acquirit nisi *ratione* seu *titulo obligationis,* quam assumit, *missam celebrandi ;* supponimus enim non adesse aliam rationem seu titulum extrinsecum (v. g., cognationis, amicitiæ, etc.); ergo, si abdicet a se hanc obligationem, illam committendo alteri sacerdoti, eo ipso abdicat etiam a se quemlibet titulum retinendi quamvis partem eleemosynæ. — Nec refert quod tribuit celebraturo sacerdoti eleemosynam consuetam, retento tantum sibi excessu stipendii. Nam fidelis qui tribuit eleemosynam solita majorem, *eam totam dat intuitu ministerii,* nempe celebrationis missæ, *quod postulat,* et proinde tota debetur illi sacerdoti qui de facto exhibet illud ministerium. Si ergo sacerdos qui primo recipit eleemosynam, aliquam ejus partem retineat, hanc retinet contra voluntatem fidelis, et sine ullo titulo[3]. Et ita omnes doctores.

[1] Innocentii XII const. *Nuper,* §§ 6, 15; *Bull. rom.,* t. IX, p. 465, 468.
[2] *Bull. rom.,* t. VI, pars 6, p. 85.
[3] Cf. Pignatelli, *Consultationes canonicæ,* t. IV, cons. 237, n. 7 sq., Coloniæ Allob., 1718, p. 376.

94. — Quæritur 1° *Num sacerdos in casu tribuens consuetam eleemosynam excessumque sibi retinens, sit etiam reus furti?*

1° Quidam dixerunt præfatum sacerdotem peccare quidem mortaliter, ut omnes tenent, sed non esse reum furti, quia nempe sacerdos qui primo accipit stipendium, *statim acquirit dominium illius, sub obligatione dicendi missam;* sed hanc obligationem potest per se vel alium implere; ut autem impleat per alium, sufficit ut huic consuetam tradat eleemosynam; hic enim alius non habet jus ad majorem eleemosynam. Ergo reus furti non est, nec proinde tenetur ad restitutionem. Ita Suarez[1] (cum Soto, quem allegat); quam opinionem hodie d'Annibale putat esse *probabilem*[2].

2° Verum probabilissimum est, imo certum videtur, ideoque tenendum, præfatum sacerdotem esse quoque reum furti. — Constat : 1. Ex damnatione supra relatæ propositionis ab Alexandro VII, unde sequitur præfatum sacerdotem, qui nempe celebrat per alium, retenta parte eleemosynæ, *non satisfacere;* hæc autem vox importat conceptum *justitiæ;* ergo, sive sacerdos ille justum stipendium conferat sacerdoti celebraturo, sive non (quia Alexander non distinguit), peccat *contra justitiam;* — 2. *Ipsa ratione naturali;* nam, in casu de quo agitur, fidelis qui dat eleemosynam solita majorem, eam totam dat, ut dictum est, *intuitu sacri ministerii quod inde sperat,* ita ut causa totalis et integra, propter quam tribuit hanc eleemosynam, sit tale ministerium adimplendum; ergo, si sacerdos retineat aliquam partem hujus eleemosynæ, retinet eam omnino contra voluntatem dantis. — Nec dicas, cum Suarez, sacerdotem illum statim acquirere dominium eleemosynæ concessæ, posse autem liberrime exstinguere contractam

[1] *In III part. D. Thomæ,* disp. LXXXVI, sect. III, n. 7.
[2] *Summula,* ed. 3, t. III, n. 190, not. 17, p. 166.

obligationem vel per se, vel per alium, modo huic justum stipendium concedat. Nam sacerdos ille acquirit quidem dominium eleemosynæ, non tamen nisi *juxta voluntatem dantis;* porro voluntas dantis est (quando dat sine ullo personæ intuitu), ut tota eleemosyna devolvatur ad celebrantem, quia inde, nempe ex propria majori liberalitate in ordine ad missæ celebrationem, sperat sibi majores fructus acquirendos, ut ait sanctus Alphonsus[1]; nec ullo modo intendit facere gratuitam donationem.

N. B. — 1. Quidam auctores probationem nostræ propositionis desumunt ex Benedicti XIV brevi *Quanta cura*, 30 junii 1741[2], ubi loquens de hoc abusu (retinendi partem eleemosynæ) ait : « Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione et vitio, verum etiam *a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune.* » — Verum, ne quid exaggeretur, fatendum est ibi Benedictum XIV loqui præcise de casu quo sacerdos colligit missas *in alio loco celebrandas;* — 2. Quum peccatum, de quo agimus, admittat levitatem materiæ, ei applicanda sunt omnia quæ dicuntur de gravitate furti. — 3. Restitutio, si locus sit, fieri debet illi sacerdoti qui celebravit; in hunc enim totum jus devolutum est; ita saltem probabilius, contra quosdam qui dicunt restitutionem fieri debere fideli qui missas postulavit[3].

Quæritur 2° *Num sacerdos in casu possit partem retinere in pios usus impendendam?*

Resp. : *Negative,* tum quia lex præfata (ab Urbano et Innocentio lata) non distinguit; ergo nec nos distinguere

[1] Lib. VI, n. 322.
[2] *Bull. Bened.*, t. I, n. XXII.
[3] S. Alph., lib. VI, n. 322.

debemus; — tum quia ipsamet acquisitio seu retentio partis prohibita est; ergo usus, qui est posterior et liber, indolem hujus acquisitionis mutare nequit. — Unde : 1. S. Congregatio Conc., decreto 25 julii 1874, ad hoc quæsitum : « 7. An liceat Episcopis, sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, *aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur,* quando præsertim ea propriis reditibus careant; » respondit : « Ad 7. *Negative, nisi de consensu oblatorum* [1]. » — 2. Anno sequenti, 24 aprilis 1875, eadem Congregatio concessit quidem duobus episcopis et alicui superiori regulari facultatem aliquam partem ex eleemosynis missarum detrahendi, in pios usus designatos impendendam, sed de venia Rom. Pontificis et modo moneantur fideles *de usu excedentis eleemosynæ* [2]; — 3. Eadem Congr., die 19 januarii 1869, jam responderat parochum non posse, ex eleemosynis missarum quas aliis tradit celebrandas, retinere quamlibet partem *in bonum et utilitatem ecclesiæ, cujus rector est* [3].

95. — Applicatio regulæ generalis. — Agendum tum de missis *manualibus,* tum de missis beneficio, capellaniæ, fundationi, etc., annexis.

1° *De missis manualibus.* — Quoties agitur de missis manualibus, urget prædictum decretum 4, an. 1625, quod potissimum respicit, ut ex ejus tenore patet, missas manuales. Attamen regula generalis tres patitur exceptiones :

A. *Si sacerdos celebraturus spontanee condonet excessum stipendii.* — Manifesta est ratio hujus exceptionis; decreta

[1] *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 108-109. — Quod decretum renovatum est et confirmatum in ejusdem S. C. decreto *Vigilanti,* 25 maii 1893; *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 57; vel ad calcem hujus voluminis, *documentum IV.*

[2] *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 659.

[3] *Ibid.,* t. IV, p. 537-538.

enim, quæ interpretati sumus, nullo modo prohibent, quin sacerdos sit liberalis, et aliquam donationem faciat. — Sed, ut adsit vera liberalitas, non sufficit ut *rogatus* vel *interrogatus* sacerdos *consentiat* retentioni partis; nam Benedictus XIV, interpretans authentice decreta supradicta, ait, in cit. brevi *Quanta cura*, n. 3 : « Prædecessores Nostri decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missæ a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti, missam hujusmodi celebraturo, stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, *etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset.* » Unde, ut possit sacerdos licite retinere partem, requiritur ut sacerdos celebraturus non rogatus, nec interrogatus, sed spontanee hanc partem remittat. Sic exponit hanc exceptionem sanctus Alphonsus cum aliis communiter [1].

B. *Si excessus stipendii datus sit sacerdoti intuitu personæ, modo tamen hoc certum sit moraliter.* — Si quis enim sacerdoti, qui magna præstiterit beneficia, vel qui sit cognatus, aut valde amicus, eleemosynam consueta majorem tribuat ad celebrandam missam, patet hanc eleemosynam conferri non propter *solam celebrationem*, sed etiam alio titulo, nempe gratitudinis, amicitiæ, etc., et hanc *majorem* eleemosynam eligi ut medium aptum manifestandi gratitudinem, amicitiam, etc. Unde patet ratio exceptionis, nempe majus stipendium non dari *solo celebrationis titulo,* sed etiam *alio titulo extrinseco;* unde, ratione hujus tituli extrinseci, pars retineri potest. — In his adjunctis, nullo modo requiritur (quidquid aliqui dicunt), ut conferens eleemosynam *expresse* manifestet suam intentionem gratitudinis, etc., quod numquam fit; sed sufficit ut

[1] Lib. VI, n. 321.

hæc intentio *moraliter constet ex adjunctis*, uti respondit S. Congr. Conc., in *Colonien.* (*per summaria precum*), 25 julii 1874, ad 3 : « Integram eleemosynam solvendam esse, *nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ ipsius parochi* [1]. » Et ita etiam communiter theologi, cum sancto Alphonso [2].

C. *Si excessus stipendii sit jus parochiale*, vel, ut dicitur, *jus stolæ*. — In aliquibus regionibus, v. g., in diœcesibus Coloniensi, Trevirensi, in tota Bavaria, etc., jus curiale, seu jus *stolæ*, in sepulturis aut benedictione nuptiali, parocho non solvitur in globo, sed annectitur variis actibus qui requiruntur in his functionibus, et præsertim *ipsi missæ*, cujus propterea (lectæ aut cantatæ) augetur stipendium. Quæsitum est autem pluries a S. Congr. Concilii, num Parochus, qui hanc missam pro exsequiis aut nuptiis alii sacerdoti committit celebrandam, teneatur huic tradere totum receptum stipendium solito majus. Porro S. Congr. ter respondit *negative*, nempe : 1. In *Monacen.*, 25 julii 1874, dicens : « Attento quod eleemosynæ missarum, de quibus in precibus [3], *pro parte locum teneant congruæ parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci*, sive pro missis lectis, sive cantatis [4]; » — 2. In *Colonien.*, item 25 julii 1874, dicens : « Ad 2. Cum agatur *de juribus stolæ*, satis esse si parochus retribuat celebranti *eleemosynam ordinariam* [5]; » — 3. In *Treviren.*, 11 mai 1888, in qua, propter simillima aut potius identica adjuncta, com-

[1] *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 84.

[2] Lib. VI, n. 321.

[3] Hæ missæ erant, tum missæ fundationum, de quibus infra, tum missæ pro exsequiis aut nuptiis, de quibus agitur nunc.

[4] *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 65-73.

[5] *Ibid.*, t. VIII, p. 75-84.

municatum est cit. responsum ad 2, in *Coloniensi*[1]. — Harum autem responsionum ratio patet; in his enim casibus, majus stipendium datur, non solo celebrationis titulo, sed alio titulo extrinseco, nempe solutione juris Parocho debiti. — Notandum est locum non esse huic tertiæ exceptioni in multis aliis regionibus, v. g., in Gallia, saltem in pluribus diœcesibus, in quibus, pro exsequiis aut benedictione nuptiali, *jus stolæ* Parocho solvitur separatim et in globo; quod si stipendium missarum in his adjunctis solito majus sit, non est nisi ratione horæ insolitæ, aliorumve incommodorum, unde stipendium integrum debetur celebranti, quicumque est[2].

2° *De missis beneficio, capellaniæ, fundationi, annexis.*

A. Quando sacerdos missam applicare tenetur ratione *beneficii*, non tenetur, si missam alii committat celebrandam, ei totum tradere stipendium quod correspondet reditibus beneficii, sed sufficit ut det eleemosynam solitam. — Constat *Responsis*, super decretis an. 1625, nempe responso 8: « Satis esse ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, *tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam*, secundum morem civitatis vel provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit[3]. » Tunc enim stipendia dantur non solo celebrationis titulo, sed etiam pro aliis oneribus beneficio annexis, v. g., recitatione horarum canonicarum. Quoad ultimam restrictionem : « nisi in fundatione, etc., » hæc de se intelligitur.

B. Hæc responsio extendi debet ad missas ratione *capellaniæ*, etiam *manualis*, etiam *laicalis*. — Nam : 1. ratio

[1] Videas *Relationem archiepiscopi Trevirensis* et *Votum Consultoris* cum *responsione*, in *Nouvelle revue théologique*, t. XXI, an. 1889, p. 229-244, vel *Canoniste contemporain*, t. XII, 1889, p. 399-407.

[2] Hoc etiam notatur pro Gallia in *Nouvelle revue théologique, loc. cit.*, p. 243, et in *Canoniste contemporain, loc. cit.*, p. 407.

[3] *Bull. rom.*, t. IX, p. 468.

eadem est ac pro missis vi *beneficii* celebrandis; capellania enim assimilatur beneficio; — 2. Ita respondit S. Congr. Conc., die 15 martii 1745 : « Modo, inquit, pro capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo capellano assignati; secus vero, si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna[1]. »

C. Quoad missas ratione *fundationis* celebrandas, distinguendum est : 1. In aliquibus regionibus, v. g., in Bavaria, in diœcesi Trevirensi, fundationes missarum, in ecclesiis parochialibus institutæ, censentur constituere *partem fructuum beneficialium* parochi; ita ferunt mores populi et ita intelligunt Episcopi qui revera fundationum reditus annumerant fructibus præbendæ parochialis[2]. Unde, his in adjunctis, et *posita auctoritate Episcopi* cum *consensu tacito fundatorum*, fundatio habetur ad instar beneficii simplicis seu capellaniæ, unitæ beneficio parochiali. Quo posito, nil mirum si S. Congr. Conc., in *Monacen.*, 25 julii 1874, responderit Parochum, si missas fundatas per alium celebret, non teneri ad concedendum nisi solitum stipendium[3]. Quod responsum communicari jussit archiepiscopo Trevirensi, die 11 maii 1888[4]. — 2. In aliis autem regionibus, v. g., in Gallia, saltem ordinarie[5], fundationes nulli inhærent beneficio, nec constituunt partem præbendæ parochialis, sed pii benefactores eas constituunt ut quotannis certo celebretur numerus determinatus missarum; qui autem præsunt fabricæ, has missas celebrari

[1] Hoc decretum non extat in *Thesauro;* refertur a S. Alphonso, qui dicit se illud præ oculis habuisse, lib. VI, n. 321; legitur etiam in cit. *Colonien.*, an. 1874; *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 79.

[2] Cf. *Relationem* archiepiscopi Monacensis; *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 65, et Trevirensis, *Nouvelle revue théologique, loc. cit.*, p. 233.

[3] Habes responsum integrum supra, n. **95**, 1°, p. 182.

[4] *Nouvelle revue théologique, loc. cit.*, p. 237 sq.

[5] Ut notant *Nouvelle revue théol., loc. cit.*, p. 243, et *Canoniste, loc. cit.*, p. 406.

curant per sacerdotes parochiæ addictos, et in casu impedimenti, per alios, juxta regulas supra expositas, n. **65**; quod si stipendium harum missarum sit solito majus, hoc tribuendum est prudentiæ benefactorum, qui consulere voluerunt tum faciliori et certiori celebrationi missarum, tum futuræ bonorum imminutioni. Sic etiam in diœcesi Coloniensi[1]; unde S. Congr. Conc., in *Colonien.*, 25 julii 1874, ad 1, respondit : « *Integram eleemosynam a Parocho solvendam esse* pro missis sive lectis, sive cantatis[2]. » Quæ responsio applicanda est nostris regionibus.

96. — Quæritur 1° *Num liceat sacerdoti, qui commissas in una regione missas in alia regione celebrare facit, dare quidem receptum stipendium, sed retinere fœnus, ex permutatione pecuniæ ortum?*

Resp. : Negative. Hic quippe casus est : Titius recipit centum libellas aureas gallicas pro celebrandis quinquaginta missis; postea, in Italiam pergens, mutata pecunia, recipit centum et decem libellas italicas; dat ergo ex his centum libellas pro missis quinquaginta, et quærit num decem alias retinere possit. Porro omnino respondendum *negative;* nam, vi decretorum an 1625 (supra, n. **93**), qui missam alii celebrandam committit, debet *absolute integram eleemosynam* tradere, nec *ullam partem illius retinere* potest. Porro, in casu, accepta eleemosyna est *centum libellarum aurearum gallicarum;* ergo has integras tradere tenetur, seu, quæ eis æquivalent, centum et decem libellas italicas. Et in hoc sensu, contra consuetudinem contrariam in Hispania gliscere incipientem, respondit S. Congr. Conc., die 21 nov. 1898[3].

[1] Vide *Relationem* archiepiscopi Coloniensis; *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 75.

[2] *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 84; hæc responsio confirmabat responsionem jam datam 18 julii 1868, in *Colonien.; Acta S. Sedis*, t. IV, p. 39-41.

[3] *Acta S. Sedis*, t. XXXI, p. 623-624.

97. — Quæritur 2° *Num liceat duobus sacerdotibus permutare intentiones missarum, non permutatis stipendiis?*

Resp. : 1° Quidam auctores dicunt hoc esse illicitum, propter *speciem turpis lucri,* non tamen esse mortale. Ita, post Concina, sanctus Alphonsus[1], quem fortiter defendunt *Vindiciæ Alphonsianæ*[2].

2° Probabilior mihi videtur opinio dicens *non esse illicitum.* Nam : 1. Certo actus quem ponunt hi sacerdotes, non est ille quem intenderunt et damnarunt Urbanus VIII et Innocentius XII; nam, in casu damnato, sacerdos, committens alii sacerdoti missam tradensque stipendium, non tradit integrum stipendium, sed partem retinet; in casu præsenti, non agitur de stipendiis, sed tantum intentiones permutantur : hodie celebras pro me, cras celebrabo pro te; unde etiam sanctus Alphonsus et Concina fatentur aut saltem supponunt rem non esse prohibitam *vi decretorum Urbani* (alioquin, positis ponendis, esset graviter prohibita)[3]; — 2. Ut acute dicit Billuart : « Adjuvans (id est, celebrans pro alio), non sibi legit (missam), sed alteri, neque accipit stipendium pro sacro, sed reddit obsequium pro obsequio; » dum in casu Urbani, celebrans qui recepit stipendium diminutum, suo proprio nomine celebrat et applicat, quia statim accipit dominium stipendii; unde duo casus valde diversi sunt; — 3. Permutatio, de qua agimus, fieri potest propter optimos fines, v. g., quia applicatio hodie urget, et ego prohibeor applicare aut celebrare; aut quia stipendium quod accepi, minus æquo est, et me piget illud alteri tradere, aut alter nollet illud recipere, etc., etc.: in

[1] S. Alph., lib. VI, n. 322, dub. 4, et *Homo apost.,* tract. XV, *De Eucharistia,* n. 71.

[2] *Vind. Alph.,* part. IV, q. 2, Romæ, 1873, p. 386 sq.

[3] Cl. Gasparri solus dicit casum præsentem esse damnatum decretis an. 1625, ideoque, posita materia gravi, rem esse graviter illicitam; *De Eucharistia,* n. 610, t. 1, p. 446.

quibus casibus omnes faterentur permutationem non esse illicitam; hoc autem demonstrat in se rem nullo modo esse prohibitam; — 4. Ut etiam addit Billuart : « Videtur par utriusque conditio; sicut enim adjutus hodie accepit pinguia (stipendia), poterit alter similiter accipere; » unde, si opus sit, adest utriusque perfecta et spontanea condonatio; — 5. Quoad intentionem fidelium, huic rationi agendi non repugnat, quia intendunt se conformare bonis et probatis opinionibus doctorum. — Ita, præter Lacroix et Mazzotta, a sancto Alphonso pro hac opinione allegatos, Billuart, Ballerini, d'Annibale[1].

98. — Quæritur 3° *Quid dicendum in casu quo, vi indulti apostolici*[2]*, parochi, pro missis, quas pro populo applicare deberent, recipiunt stipendium ad Episcopum pro piis usibus transmittendum; possuntne retinere stipendii partem, quæ superet taxatam eleemosynam?*

Resp. : 1° Hic non agitur de observatione decretorum Urbani; nam hæc decreta prohibent ne sacerdos, *committens alii sacerdoti missam celebrandam,* partem recepti stipendii retineat; in casu autem præsenti, ipse sacerdos recipit stipendium et celebrat missam, sed jubetur stipendium receptum transmittere Episcopo; ad quod episcopo idoneum conceditur indultum; unde agitur potius de *interpretatione indulti.*

[1] Billuart, *Summa,* diss. VIII, *De Euch.,* art. 5, petit. 5, Trajecti ad M., 1770, t. XVII, p. 505; — Ballerini, *Opus morale,* tract. *De sacr.,* sect. IV, *De Euch.,* n. 258, Prati, 1893, t. IV, p. 745; — d'Annibale, *Summula,* ed. 3, t. III, n. 190, not. 18, p. 166.

[2] Vi indulti apostolici, in quibusdam diœcesibus, parochi, diebus festis *suppressis,* loco missæ *pro populo,* celebrare possunt pro recepto stipendio, sed *ea lege ut transmittant stipendium Episcopo, in pios determinatos usus impendendum.* Alibi, parochi, duabus parœciis præfecti, duasque missas diebus dominicis festivisque celebrantes, unam tantum, vi indulti, pro duobus simul populis applicant, et pro altera missa stipendium recipiunt, sed eadem lege ac supra.

2° Proinde, ante omnia standum est verbis indulti, si sint clara; si proinde indultum jubeat *totum omnino stipendium, quovis titulo, etiam celebrationi extrinseco, receptum*, transmitti episcopo, nulla difficultas. — Sed revera non ita est; indulta enim hujusmodi permittunt Parochis recipere *stipendium* pro missis de quibus agitur, sed ea lege ut illud tradant Episcopo; unde quum, tum in indultis, tum in decretis Urbani, eadem verba adhibeantur, pronum est ut eadem etiam in utroque loco adhibeatur interpretatio.

3° Unde, si Parochi, pro missa, de qua agitur, recipiant stipendium solito majus, et excessus stipendii *certo* detur intuitu personæ ipsius Parochi, vel ob majorem laborem aut incommodum in missa subeundum, possunt Parochi Episcopo transmittere solitum stipendium, retento sibi excessu. Et in hoc sensu respondit S. Congr. Conc., die 31 jan. 1880; ad hoc enim quæsitum : « An Parochi, misso ad episcopum stipendio a statutis diœcesanis taxato, valeant sibi missarum eleemosynæ excessum retinere in casu; » respondit : « *Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ vel ob majorem laborem aut incommodum*[1]. »

4° Caute tamen notandum Parochos, qui duabus parochiis præfecti sunt, sæpe pro labore extraordinario, itinere, cantu, quæ requiruntur pro missa in altera parochia celebranda, recipere annuam *indemnitatem;* in hoc casu, non possunt retinere partem stipendii, quæ huic labori extraordinario et cantui respondeat; non *bis de eodem.*

[1] *Acta S. Sedis*, t. XIII, p. 256-261.

§ 2. De administratoribus ecclesiarum, quoad retentionem partis eleemosynæ.

99. — Administratores ecclesiarum, *quoad stipendia missarum quæ ipsi tradunt.*

1° Nihil possunt retinere *pro decore aut ornamento ecclesiæ*, aut, in genere, *in bonum et utilitatem ecclesiæ*, licet hæc reditibus careat. — Hoc demonstratum remanet ex his quæ supra dicta sunt (n. **94**).

2° Num autem et quatenus aliquid retinere possint, *pro sacris utensilibus* (nempe paramentis, cera, vino, pane, etc.) quæ sacerdotibus subministrant, sive pro missis manualibus, sive pro missis perpetuis, dicitur in c. VIII.

§ 3. De pœnis contra pravos collectores eleemosynarum missarum.

100. — Textus constitutionis *Apostolicæ Sedis.* — Hæc Pii IX constitutio, data 4 idus octobris 1869, *De excommunicationibus*, § 2, n. 12, declarat subjectos excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatæ : « *Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent*[1]. » — Hæc pœna originem habet a Benedicti XIV brevi *Quanta cura*, 30 junii 1741[2], ubi contra hujusmodi colligentes edidit pœnas, excommunicationem contra laicos, suspensionem contra clericos, utramque reservatam Rom. Pontifici. Cessavit suspensio contra clericos, quum non fuerit

[1] Pii IX *Acta*, Romæ, 1871, t. v, p. 63.
[2] *Bull. Bened.*, t. I, n. XXII.

relata in const. *Apostolicæ Sedis*, sed excommunicatio percellit utrosque, tum laicos, tum clericos.

101. — Exponuntur singulæ partes textus Piani.

1° *Colligentes eleemosynas*, etc. — 1. Vis hujus vocabuli *colligentes* requirit (ad hoc ut excommunicatio incurratur) ut quis *quærat* missarum eleemosynas; non ergo sufficit ut quis *sponte oblatas recipiat* missas, sive a se, sive etiam ab aliis celebrandas, nisi tamen, in hoc ultimo casu, missæ ei (v. g., custodi sacrarii) *quasi collectori* committantur; — 2. Quum autem hæc vox *colligentes* sit generalissima, complectitur tam laicos quam clericos, ut jam dictum est; — 3. Cæterum, quidquid dicunt aliqui, satisfit huic vocabulo, etiam si quis quærat missas a duobus aut tribus tantum, imo etiam ab uno; si quis enim ab uno quærens receperit centum missas, bene dicitur *collegisse* missas.

2° *Colligentes eleemosynas pro missis*, etc. — 1. Quoad *numerum* missarum, oportet ut sit sat copiosus; nemo enim dicitur *collegisse* missas, præsertim in re præsenti, nempe ad lucrum, qui paucas tantum, v. g., quinque aut decem recepit, licet etiam inde lucrum ad grave furtum sufficiens perceperit; — 2. Quoad *qualitatem* missarum, agitur de missis *manualibus*, non vero de missis *beneficio* aut *capellaniæ* annexis, quia, in utraque bulla, Benedictina et Piana, agitur de his missis quæ stipendium taxatum, statutis episcopalibus aut consuetudine, habent, et in quovis loco celebrari solent; unde missis *manualibus*, hac bulla comprehensis, assimilandæ sunt missæ fundatæ quidem, sed nulli inhærentes beneficio aut capellaniæ [1].

3° Colligentes, *et ex eis lucrum captantes*, etc. — En

[1] Ut late demonstrat Pennacchi, *Commentaria in constitutionem « Apostolicæ Sedis »*, Romæ, 1883, t. 1, p. 956 sq.

ratio censuræ, nempe *lucrum* ex hac collectione captatum. Unde : 1. Si quis sacerdos, colligens missas, easque aliis committens, retineat aliquid *in pios usus impendendum*, peccat quidem, ut dictum est, sed non videtur incurrere excommunicationem (licet quidam contradicant[1]); nemo enim dicet hunc *lucrum captare;* ita plerique commentatores[2]: — 2. Licet collectori *reficere impensas*, quas fecit, v. g., in colligendis missis, in transmissione epistolarum, etc.; — 3. Non licet collectori quidquam retinere de stipendiis quæ tradit, sed debet, ut vidimus ex *decretis* et *responsis* an. 1625, ea integra transmittere, *quin possit ullam, vel minimam, eorum partem retinere;* et hoc est præcise lucrum quod prohibetur captare, et quidem sub pœna excommunicationis[3]. Attamen, cum quidam doctores collectori permittant aliquid retinere, *titulo mercedis pro labore, modo sit moderatum*, præsertim si collector sit electus ab ipsis sacerdotibus, et sanctus Alphonsus hoc dicat *non videri improbabile*[4], non ausim ego hoc damnare sub pœna excommunicationis; — 4. Tandem, non sufficit lucrum *leve*, sed requiritur *grave*, ut per se patet.

4° *Lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis*, etc. — En *modus* quo fit lucrum. De quo duo dicenda : 1. Controvertitur num, ad incurrendam excommunicationem, requiratur *diversitas locorum*, num scilicet colligens in uno loco, celebrationem procurare debeat *in alio loco*, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent. Alii tenent requiri *diversitatem locorum*, quia nempe hic est sensus obvius præsentis articuli, et est modus ordinarius quo cap-

[1] V. g., cl. Gasparri, *De Eucharistia*, n. 600, p. 489.

[2] Cf. Piat, *Commentarius in const.* « *Apostolicæ Sedis* », Tornaci, 1884, p. 200; — Pennacchi, *loc. cit.*, p. 975.

[3] Quod late prosequitur Pennacchi, *loc. cit.*, p. 972 sq.

[4] Lib. VI, n. 322, dub. 3.

tatur lucrum a prædictis colligentibus; imo hæc erat opinio communior ante decisionem S. Officii, die 13 jan. 1892, de qua statim[1]. — Alii negant requiri *diversitatem locorum*, ideoque tenent colligentem incurrere pœnam, licet celebrari curet *in eodem loco ubi collegit;* et hæc opinio est probabilior; nam : *a.* Sensus obvius textus, si attente inspiciatur, nullo modo requirit diversitatem locorum; hic enim Parisiis, ubi missarum stipendia duarum libellarum esse solent, potest collector quæritare et recipere stipendia trium libellarum; si ergo Parisiis etiam has missas celebrari curet, quid, quæso, impedit quin incidat in censuram? — *b.* Benedicti XIV constitutio *Quanta cura*, quæ in præsenti articulo innovatur et confirmatur, expresse cavet, ut incurratur pœna, licet collector in eodem loco colligat et celebrari curet; — *c.* Huic alteri sententiæ adhæsit Congr. S. Officii; ad hoc enim quæsitum : « Utrum colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, si eas celebrari faciunt *in eodem loco, ubi collegerunt,* pro minori pretio, hanc censuram incurrant, necne, » respondit, die 13 jan. 1892 : « *Affirmative ad primam partem*, negative ad secundam[2]. » — Ita etiam Avanzini, Ciolli, Gasparri, etc.[3]. — 2. Si colligens missarum eleemosynas, eas celebrari curet in loco, ubi missarum stipendia *ejusdem pretii* esse solent, non incurrit excommunicationem, quia hic casus, utpote rarus, non cavetur a legislatore, qui dicit expresse : « faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia *minoris pre-*

[1] Ita Pennacchi, *loc. cit.*, p. 944 sq.; — d'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, n. 191, p. 167, et *In const.* « *Apostolicæ Sedis* » *commentarii*, n. 127, Reate, 1880, p. 82; — Piat, *loc. cit.*, p. 202.

[2] *Canoniste*, t. XV, an. 1892, p. 234.

[3] Avanzini, *De Const.* « *Apostolicæ Sedis*, » ed. 5ª manualis, Romæ, 1878, p. 50; — Ciolli, *Commentaire pratique*, etc., versio gallica, Belmont, 1886, p. 120; — Gasparri, n. 600. — Ita etiam alii apud Pennacchi, *loc. cit.*, p. 945.

tii esse solent. » Ita, contra quosdam, d'Annibale aliique[1].

5° *Colligentes, et lucrum captantes, faciendo,* etc. — Utrumque requiritur ad incurrendam pœnam, nempe *collectio* et *captatio lucri,* medio assumpto, nempe *faciendo* celebrari, etc. Unde colligens non incurrit pœnam, nisi quando transmittit stipendia, parte retenta.

§ 4. De turpi stipendiorum missarum mercimonio et decreto « Vigilanti ».

102. — Textus decretorum Sacræ Congregationis Concilii.

1° *Decretum* Cum circa, *diebus* 25 *julii et* 31 *aug.* 1874, *editum.* — In hoc decreto, post brevissimum proœmium, ponuntur quæsita quæ fuerant S. Sedi proposita, cum responsionibus S. Congregationis Concilii, ut infra :

« 1. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis, eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo, missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt;

« 2. An hæc agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur;

« 3. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandæ et coercendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum

[1] D'Annibale, *loc. cit.;* — Piat, *loc. cit.,* p. 203.

eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur;

« 4. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine;

« 5. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro;

« 6. An illicite agant ii qui, pro missis celebratis recipiunt, stipendii loco, libros vel alias merces, seclusa quavis negotiatione vel turpis lucri specie;

« 7. An liceat episcopis, sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ea propriis reditibus careant;

« 8, 9[1]...

« Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in congregatione generali habita... die 25 julii 1874, iidem Emi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet :

« Ad 1. Affirmative.

« Ad 2. Negative.

« Ad 3. Affirmative.

« Ad 4. Affirmative.

[1] Quæsita VIII et IX huc non pertinent.

« Ad 5. Affirmative.

« Ad 6. Negative.

« Ad 7. Negative, nisi de consensu oblatorum.

« Factaque, die 31 aug. 1874, de his omnibus SS. D. N. per me infrascriptum secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congr. apostolica sua auctoritate approbavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsi eas intra propriæ jurisdictionis limites exequendas perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

« Datum Romæ ex secretaria S. C. C. die 9 sept. 1874. — P. Card. Caterini Præf. — P. Archiep. Sardianus secr. [1]. »

2° *Decretum* Vigilanti studio, 25 *maii* 1893 [2].

« Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus jugiter incubuit hæc S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

« Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit, ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis... »

Hic S. Congr. in extenso refert *quinque priora dubia*, et *septimum*, 25 julii an. 1874, cum suis responsionibus, ut supra descripta sunt, deinde pergit :

« Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sæpius

[1] *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 107-109.

[2] Hoc habes in extenso ad calcem hujus voluminis, *documentum IV*.

neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. conc. Trid. interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

« Præsenti itaque decreto statuunt (Emi Patres S. C. C.), ut, in posterum, si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius sit, clericus autem sacerdotio nondum initiatus, eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis præterea fiat ad superiores ordines suscipiendos ; laici demum excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservata obstringantur.

« Præterea cum experientia docuerit mala quæ deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major missarum numerus congeritur, quam justa necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhærentes dispositionibus a Rom. Pontificibus, ac præsertim ab Urbano VIII et Innocentio XII in const. *Cum sæpe contingat,* alias datis, sub gravi obedientiæ præcepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli, ubique locorum, beneficiati et administratores causarum piarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici, sive laici, in fine cujuslibet anni, missarum onera quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos quos eis indigere noverint ; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam si velint, sacerdotibus aliarum

diœceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant inter præfixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

« Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quæ præsentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congr. curæ et officio singulorum Ordinariorum committit, ut præsens decretum omnibus ecclesiasticis suæ jurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex præscriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit; et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

« Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni P. P. XIII per infrascriptum S. Congr. Præf., Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

« Datum Romæ, die 25 maii 1893. — A. Card. Episc. Sabinensis Præf. [1]. »

Paucis autem post annis, nempe 28 aug. 1897, S. Congregatio Concilii ad omnes Ordinarios Italiæ misit litteras encyclicas, ut eos incitaret ad promovendam observantiam decreti *Vigilanti*, quod in aliquibus locis non accurate servari auditum fuerat [2].

103. — Turpe mercimonium in præfatis decretis prohibitum et damnatum.

1° Turpe mercimonium, quod præfata decreta prohibent,

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 56-59.

[2] Videas has litteras, lingua italica scriptas, in *Monitore eccl.*, t. X, pars I, p. 194; versionem autem latinam apud *Acta S. Sedis*, t. XXX, p. 625-627.

consistit in his duobus : 1. In eo, quod bibliopolæ et mercatores *colligant missarum eleemosynas*, quocumque modo id faciunt; 2. In eo quod, tradentes has missas sacerdotibus celebrandas, his sacerdotibus, *non stipendium, sed libros vel alias merces* rependant. Constat omnino ex decreto an. 1874, ad 1, confirmato decreto *Vigilanti*. — Unde duobus copulative constat hoc turpe mercimonium, *collectione missarum*, et (datis his missis ad celebrandum) *traditione mercium loco stipendii*. Unde unum tantum ex his elementis non constituit turpe mercimonium prohibitum; sic, si tantum colligam missas, ut eas tradam aliis sacerdotibus, servatis servandis, celebrandas, non est mercimonium prohibitum; iterum, si librum aliquem a me scriptum vendam alii sacerdoti, et illi quasdam missas (minime a me collectas) celebrandas tradam, retento ex earum eleemosynis libri pretio, non est mercimonium prohibitum.

2° Turpe mercimonium, his duobus prædictis elementis constans, non excusatur : 1. nec si mercator tot missas caute faciat celebrari, quot petitæ sunt a fidelibus; — 2. nec ex eo quod sic provideatur pauperibus sacerdotibus, missarum stipendia non habentibus; — 3. nec etiam si lucrum ortum ex permutatione mercium cum stipendiis impendatur in opera pia. — Constat omnino ex decreto an. 1874, ad 2 et 3, confirmato decreto *Vigilanti*.

104. — Prohibita cooperatio huic turpi mercimonio. — Utrumque decretum duplex genus *cooperantium* reprobat et punit :

1° Primo loco nominantur qui prædictis bibliopolis et mercatoribus, missarum collectoribus, tradunt missas, quas nempe ipsi acceperunt vel a fidelibus, vel a locis piis; hi solent a mercatoribus recipere, pro beneficio præ-

stito, aliquod præmium, v. g., aliquos libros aut merces; verum parvi refert utrum aliquid accipiant, necne; nam, in quovis casu, hoc genus cooperationis prohibetur vi utriusque decreti, ad 4.

2° Altero loco nominantur sacerdotes qui a prædictis bibliopolis aut mercatoribus missas celebrandas suscipiunt, sed, loco stipendii, libros aliasve merces recipiunt; parvi refert, utrum stipendium *integrum* (nempe merces *integro stipendio respondentes*) recipiant, nec ne; nam, in utroque casu, hoc genus cooperationis prohibetur vi decretorum, ad 5.

105. — Pœnæ contra delinquentes. — Prædicta decreta, ut dictum est, memorant *delictum principale*, nempe ipsum turpe mercimonium, et *delictum accessorium*, nempe cooperationem, quæ iterum duplicis generis distinguitur. Porro decretum an. 1874 nullas in specie sancit pœnas contra tria hæc delicta, sed tantum cavet hæc delicta coerceri posse, si opus sit, ab Episcopis. — Verum decretum an. 1893 prohibitioni pœnas addit (nulla cæterum distinctione adhibita inter delictum *principale* et delicta *accessoria*) hoc modo :

1° Si delinquens sit *sacerdos*, incurrit ipso facto pœnam *suspensionis a divinis*, S. Sedi reservatæ. — Constat decreto *Vigilanti*, § *Præsenti itaque*. — Ubi notandum hanc suspensionem non esse *speciali modo* reservatam S. Sedi, et proinde, in casibus occultis, absolvi posse ab Episcopis.

2° Si delinquens sit *clericus nondum sacerdos*, incurrit duplicem pœnam : unam *suspensionis ab ordinibus susceptis*, ipso facto incurrendæ et S. Sedi reservatæ; — alteram, *inhabilitatis*, ad superiores ordines suscipiendos. — Constat *cod. textu*.

3° Si delinquens sit *laicus*, incurrit ipso facto *excommunicationem*, Episcopo reservatam. — Constat *eod. textu.*

106. — Quæritur 1° *Num sacerdotes, ephemeridum aut libellorum periodicorum (Revues) moderatores, rei sint prædicti turpis mercimonii, si sacerdotibus associatis (abonnés) missas celebrandas committant, et, loco stipendii, ephemerides aut libellos tradant.*

Resp.: Omnino distinguendum est :

A. Si hi sacerdotes, ephemeridum moderatores, *colligant* missas, id est, si non tantum disponant de missis quas sibi sponte offerunt fideles, sed etiam petant et quærant alias missas, quas sacerdotibus associatis subministrare queant, rei sunt prohibiti mercimonii. — Nam : 1. In decretis, ad 1, prohibetur : « eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et præmiis, *vel alio quocumque modo, missarum eleemosynas colligunt*, et sacerdotibus, etc. » Atqui, ut supponitur, prædicti sacerdotes *colligunt* missas, licet forsan non publice, attamen vere et efficaciter, ut satisfacere queant sacerdotibus associatis. Ergo incidunt in prohibitum mercimonium. — 2. Nec refert quod non sint *bibliopolæ* neque *mercatores;* nam, id quod damnatur, non est persona aut qualitas *bibliopolarum*, sed eorum *agendi ratio*, ut constat ex textu decretorum, ad 1, 2, 3; atqui agendi ratio prædictorum sacerdotum est *simillima*, imo *identica* agendi rationi mercatorum; ergo, juxta regulas interpretationis legum, sacerdotes, de quibus agitur, eamdem incurrunt prohibitionem ; alias, immunitas sacerdotum ab hac lege esset quid injusti et absurdi; — 3. Imo, ex iisdem decretis, ad 4, constat Sacram Congregationem in sua prohibitione inclusisse, non tantum bibliopolas et mercatores, sed etiam *alios collectores;* ibi enim damnatur *cooperatio* eorum qui missas

tradunt « bibliopolis, mercatoribus, *aliisque earum collectoribus* »; si ergo simplex cooperatio, seu actus *accessorius*, prohibetur et damnatur, a fortiori actus *principalis*, nempe ipsamet collectio missarum; alioquin lex esset prorsus ridicula et iniqua; unde, juxta certissimas regulas interpretationis, prohibitio intelligenda est etiam de sacerdotibus, missarum collectoribus; — 4. Egregie confirmatur hæc nostra assertio ex mox adducendis S. Congr. Conc. decisionibus, in quibus non tolerat associationes (*abonnements*) ope stipendiorum missarum solutas, *nisi quatenus moderatores ephemeridum excludant omnino quamlibet collectionem missarum.* — Unde in hanc assertionem convenire videntur hodie omnes auctores; et quum doctissimus moderator ephemeridum *Il Monitore ecclesiastico*[1] docuisset sacerdotes, de quibus agitur, non improbari, modo non *colligant missas, licet a paucis tantum missas petant*, postea, quum audivisset hanc theoriam et distinctionem *collectionis* a simplici *petitione* minus placuisse Sacræ Congregationi Conc.[2], hanc retractavit[3].

N. B. Dicti sacerdotes, missarum collectores, incurrunt non tantum *prohibitionem* statutam in decreto *Cum circa*, sed etiam *pœnam* sancitam in decreto *Vigilanti :* quod patet ex eisdem argumentis; sicut enim decretum prohibens *Cum circa* extendi necessario debet ad hos sacerdotes, ita et decretum pœnale *Vigilanti* ad hos sacerdotes debet extendi; alias in hac lege pœnali sequeretur absurditas et injustitia. — Si quis tamen dicat sacerdotes collectores missarum evadere, non quidem *prohibitionem*, sed *pœnam* decreti *Vigilanti*, quia tandem aliquando nullibi, in hoc

[1] T. VIII, pars I, p. 158, 160.

[2] Cf. causam discussam in hac Congr., in *Romana et aliarum*, 24 feb. 1894; *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 533-542.

[3] *Monitore eccl.*, t. VIII, pars II, p. 49.

decreto, *directe* nominantur, et in *odiosis*, extensio de casu ad casum, *etiam identicum*, fieri nequit, non contradicam, licet id multo minus probabile existimem.

107. — B. Si hi sacerdotes, ephemeridum moderatores, *nullo prorsus modo*, nec *publico* nec *privato*, colligant missas, sed tantum disponant de missis quas ipsis fideles sponte offerunt, et quas ipsi vicissim sacerdotibus associatis præbent, non sunt rei mercimonii prohibiti. — Nam : 1. Mercimonium prohibitum constat duobus actibus successivis, qui sunt : *collectio* missarum, et harum missarum traditio facta sacerdotibus, permutato stipendio cum mercibus : quod omnino constat ex utroque decreto, ad 1, et ad 3. Porro sacerdotes, moderatores ephemeridum, de quibus agimus, ponunt quidem actum secundum, non vero priorem; non enim *colligunt* missas; nisi miscere et confundere velis, contra obvium sensum et communem intellectum, hæc duo, nempe *colligere* missas; et *acceptare* missas, sponte oblatas. — Licet hæc demonstratio, ex ipso textu desumpta, clara sit et peremptoria, libet alias addere. — 2. Ipsa S. Congregatio Conc., an. 1875, eodem modo interpretata est decretum an. 1874. Edito enim hoc decreto, episcopus Calatanisiadensis hæc duo ab ipsa Congr. quæsivit : « I. An illicite agant ii qui, cum non sint bibliopolæ, nec mercatores vel aliter missarum celebrandarum quæsitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus eleemosynæ missarum traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda, eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant, stipendii loco, libros vel ephemerides? — II. An illicite agant hujusmodi sacerdotes, qui vel eis oblatas a supradictis ecclesiasticis missas acceptant, vel ipsi eas petunt celebrandas, ut inde queant, pro missis jam celebratis, earum

stipendii loco, libros vel diaria acceptare vel petere, cum ipsi aliunde sciant, aut sibi persuadeant aliter non obtenturos easdem missas pro effectiva eleemosyna celebrandas? » Hæc duo quæsita in unum adunata sunt, ut sequitur : « 5. An et quomodo respondendum sit episcopo Calatanisiadensi in casu, » porro respondit S. Congr., 24 apr. 1875 : « Ad 5. *Negative in omnibus, ad utrumque*[1]. » — 3. Eadem S. Congr. eamdem interpretationem edidit in alio ejusdem causæ articulo. Cum enim duo sacerdotes, ephemeridum moderatores, ab ea petiissent : « VI. An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum qui sacerdotibus missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente, in casu; » respondit S. Congr.[2] : « Ad VI. *Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum et oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis missarum, exclusa quacumque studiosa*[3] *collectione eleemosynarum missarum, et docto, cui de jure, de secuta missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo.* » Unde de veritate nostræ assertionis non videtur esse posse difficultas[4], modo serventur conditiones in hac ultima decisione positæ, de quibus nunc dicendum[5].

[1] *Thesaurus,* in *Tarbien. et aliarum,* 24 apr. 1875, t. CXXXIV, p. 228, 240-241. — Cf. etiam *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 650-660.

[2] *Thesaurus, loc. cit.,* p. 240-241. — Vide etiam, in eodem sensu, responsum S. Pœnitentiariæ, die 6 octobris 1862; *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 657.

[3] Hoc vocabulum *studiosa* lego in *Thesauro, loc. cit.,* p. 241. — Rmus Consultor, in suo *voto* (in *Romana et aliarum,* 24 feb. 1894), asserit hoc verbum deesse in *Actis* S. Congr.; *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 537.

[4] Licet severior sit præfatus Consultor (in cit. *Romana et aliarum,* an. 1894, *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 535-542).

[5] Ita etiam decreta an. 1874 et 1893 interpretantur, tum scriptor periodici *Canoniste contemporain,* t. XVI, an. 1893, p. 733-737, tum scriptor periodici *Nouvelle revue théologique,* t. XXV, p. 357 sq.; t. XXVI, p. 362-377.

108. — Quæritur 2° *Quænam condiciones servari debeant, ut prædicti sacerdotes, ephemeridum moderatores, immunes sint a prohibito mercimonio?*

Resp. Juxta S. Conc. Congr. responsionem mox allegatam, ad VI, requiruntur tres condiciones :

1° « Dummodo nihil detrahatur fundatorum et oblatorum voluntati circa *stipendii qualitatem*, *locum* ac *tempus* celebrationis missarum. » — Hæc condicio ipso jure communi urget, ut patet ex his quæ suis locis dicta sunt.

2° « Exclusa quacumque *collectione* eleemosynarum missarum. » — Omnino requiritur ut absit *collectio* missarum; alioquin, ut constat ex supra dictis, sacerdotes, de quibus agitur, incidunt in mercimonium prohibitum. — Unde licet quidem eis disponere de missis, quas habent vi officii sui, vel sponte offerunt fideles, sed cavendum prorsus eis est ab omni missarum petitione. Fatendum est, sat difficile esse adimplementum hujus condicionis, præsertim in iis regionibus, ubi rara sunt stipendia missarum.

3° « Docto, cui de jure, de *secuta missarum celebratione*. » Hæc condicio non semper requiritur jure communi; quando enim sacerdotes, quibus missas committimus, sunt omni exceptione majores, prorsus inutilis est illa cautio. — Verum, in casu de quo agimus, requiritur documentum de adimpleta missarum celebratione, quia sæpe moderatores ephemeridum missas committunt sacerdotibus, quos nullo modo noverunt.

§ 5. De præcepto transmittendi ad Episcopum, in fine anni, reliqua missarum onera.

109. — Finis hujus præcepti. — Relatus est supra (n. **102**, 2°) textus hujus præcepti (in decreto *Vigilanti*,

§ *Præterea*) : « Mandant ut in posterum omnes et singuli ubique locorum... utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici, sive laici, *in fine cujuslibet anni, missarum onera quæ reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant*, juxta modum ab iis definiendum. » Tota est S. Congregatio, in decreto *Vigilanti,* ut prohibeat, damnet et impediat *collectiones* missarum (aliis deinde sacerdotibus tradendarum), ut constat ex tenore hujus decreti; ex his enim collectionibus, ut ipsa ait, « mala quæ deplorantur, potissimum originem viresque ducunt; » unde, ut has collectiones efficacius impediat, imo, ut, si quæ collectiones jam accrescere inceperint, eas penitus destruat, et dissipet, præcipit ut quilibet ad missarum onera implenda obligati, *in fine cujuslibet anni, onera reliqua*, seu quæ supersunt, tradant Episcopis.

110. — Sensus hujus præcepti. — Sensus ergo est, ut, si quis, in fine anni, habeat penes se, v. g., mille onera missarum, quæ nondum aliis sacerdotibus tradiderit celebranda, et quibus ipse non satisfecerit, ea non retineat apud se, sed tradat episcopo loci, qui quam citissime curabit ea adimpleri. Verum ipsa *dispositio* legis magis patet quam *ratio* legis : ratio legis spectat potissimum collectores missarum, dispositio legis ad omnes extenditur, non enim distinguit : « *Omnes et singuli...* missarum onera reliqua tradant. » — Attamen, ut patet ex tenore decreti, non agitur nisi de oneribus missarum, *quorum adimplementum urgeat.* Unde : 1. Si, in fine anni, penes me habeam plura missarum onera, pro quibus adimplendis, *ex ipsa offerentium voluntate,* mihi remaneant adhuc tres aut quatuor menses, non teneor ea tradere Episcopo; hæc enim onera, *quibus non teneor satisfacere nisi infra quatuor menses proxime futuros,* non possunt dici *onera reliqua,*

quibus nondum satisfecerim[1]. Quod magis est dicendum, si, ex ipsa voluntate expressa aut tacita fidelium, hæ missæ celebrandæ sint in ipsamet ecclesia, in qua ego sacerdotalia munera impleo; — 2. Item, non teneor Episcopo tradere onera missarum, quibus ego satisfacere possum intra tempus legibus ecclesiæ determinatum; sic, in fine anni, missas recentissime acceptas retinere possum, per unum mensem, si sint pro defunctis, per duos menses, si sint pro vivis; ratio est quia, in hac hypothesi, nondum urget celebratio harum missarum[2]; — 3. Imo licet has missas jam ab uno aut altero mense acceperim, et proinde in culpa sim quoad earum celebrationem, possum tamen, in fine anni, non omnes missas tradere Ordinario, sed aliquas retinere, ne earem stipendiis per primas hebdomadas anni sequentis; ratio desumitur ex ipso decreto, vi cujus Ordinarius acceptas missas distribuere debet primo inter sacerdotes diœcesanos, qui eis indigeant, inter quos ego sum; si ergo traderem omnes missas, nulla excepta, Episcopo, statim ab eo nonnullas repetere possem.

111. — Munus Episcopi relative ad supradictum præceptum. — Ut patet ex ipso textu supra relato (n. **102,** 2°) decreti *Vigilanti*, § *Præterea*, « omnes et singuli missarum onera reliqua... propriis Ordinariis tradant, *juxta modum ab iis definiendum.* » Munus ergo Episcopi est, in *Mandato* ad hoc edendo, definire *modum* hujus transmissionis; qui modus respicit sive *personas hac lege adstrictas* (nempe administratores locorum piorum, parochos aut alios qui in singulis ecclesiis præpositi sunt accipiendis et distribuendis oneribus missarum, simplices

[1] Ita etiam *Canoniste contemporain*, t. XVI, an. 1893, p. 684-685.

[2] Ita etiam *Nouvelle revue théologique*, t. XXV, an. 1893, p. 362-363, — *Canoniste contemporain*, t. XVI, an. 1893, p. 558-559.

sacerdotes, ipsos forsan bibliopolas, quibus sponte tradita fuerint onera missarum, etc.); — sive *præcisum tempus quo fieri debeat illa transmissio*, nempe in fine vel anni *civilis*, vel anni *ecclesiastici;* — sive *documenta* quæ annecti debeant stipendiis traditis; — sive *numerum stipendiorum*, quæ quisque apud se servare poterit, aliave quæ Episcopus in Domino expedire judicaverit, ut certius satisfiat tum voluntati fidelium, tum præcepto S. Congregationis in præfato decreto. — Quoad personas hac lege adstrictas, notandum est, quoad *regulares*, hoc responsum S. Congr. Concilii : « S. Congr. Conc. ... haud improbandam censuit sententiam,... nimirum religiosos parochos vi præfati decreti teneri quidem rationem reddere de intentionibus missarum Ordinario, sed Ordinario proprio, hoc est, Superiori suo Regulari. Et id ad normam juris communis; quare, nisi in aliqua regione, præsertim in locis missionum, jus aliquod particulare in hac re vigeat, Regulares etiam parochi, si Superiori respectivi Ordinis rationem reddant, non sunt inquietandi[1]. »

[1] *Canoniste*, t. xx, an. 1897, p. 95. — Hujus responsi desiderantur dies et annus.

CAPUT VIII

DE SACRIS UTENSILIBUS

N. B. Sacra utensilia dicuntur, in genere, ea omnia, nempe vasa, paramenta, vestes, etc., quibus utitur Ecclesia ad cultum publicum, et præsertim ad sacrosanctum missæ sacrificium. De iis tantum hic dicemus, et pauca, quia plenior horum omnium disquisitio pertinet ad res liturgicas.

§ 1. De vasis sacris.

Loquemur hic tantum de *calice* et *patena*[1]. De sacra *pyxide* agetur infra, ubi *de custodia eucharistiæ*.

112. — Materia calicis.

1° *De jure ordinario,* calix « debet esse vel *aureus*, vel *argenteus*, aut saltem habere *cuppam argenteam intus*

[1] De calice et patena in antiquis Ecclesiæ sæculis, cf. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, c. xxv, § 1-3, Augustæ Taurinorum, 1749, t. II, p. 291-303; — Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* lib. I, c. III, art. 6, n. 13, Bassani, 1788, t. I, p. 113; — Bingham, *Orig. Eccl.,* lib. VIII, c. VI, § 21, Halæ, 1727, t. III, p. 240-243; — Bened. XIV, *De sacrificio missæ,* pars I, n. 23-30, Lovanii, 1762, t. I, p. 37-50; — Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes,* vis *Calice* et *Patène,* p. 106, 587.

inauratam, et simul cum patena, itidem inaurata, ab Episcopo consecratus ». Ita expresse jubetur in *Rubricis missalis*, pars II (*Ritus servandus*), tit. I, n. 1. Unde : 1. Modo cuppa sit *argentea inaurata*, pes calicis potest esse ex ære, aurichalco, stanno, plumbo, etc. ; — 2. Hæc verba : « aut saltem habere *cuppam argenteam intus inauratam*, » in hoc sensu interpretantur omnes, ut quoties cuppa non sit *ex auro*, debeat esse intus *inaurata*. Quæ inauratio requiritur tum ad dignitatem pretiosissimi Sanguinis, tum ut longius avertatur periculum imbibitionis sacrarum specierum; aurum enim est quam minime *porosum*. Attamen obligationem hujus inaurationis plerique dicunt esse levem, v. g., Quarti, de Herdt, sanctus Alphonsus[1].

2° *De jure extraordinario*, sufficit ut *cuppa calicis sit aurea, vel argentea, vel stannea*. — Constat ex alio loco in *Rubricis missalis*, pars III (*De defectibus...*), tit. X, n. 1 : « ... (Defectus est) si non adsit calix cum patena conveniens, cujus *cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea*, non ærea, vel vitrea. » Cum hæc rubrica non minus exprimat jus, ac prior supra relata, et oporteat ut una cum altera concordet, prior intelligenda est de jure *ordinario*, altera de jure *extraordinario*, nempe, ut exponunt omnes, *stante paupertate* vel *alia necessitate* (v. g., persecutione), quæ non sinat servari jus ordinarium. — Unde : 1. Stante paupertate, sufficit ut calix habeat cuppam vel argenteam vel etiam stanneam; imo, si urgeat amplius paupertas, cuppa potest non esse interius inaurata, quia nempe hæc vox *cuppa stannea* nullo modo implicat inaurationem; — 2. Stante paupertate, nulla requiritur licentia nec Sedis apostolicæ, nec etiam Episcopi, ut ecclesiæ pos-

[1] Quarti, *Rubricæ missalis*, pars II, tit. I, sect. II, dub. 1, Venetiis, 1727, p. 140-141; — de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars I, n. 172, Lovanii, 1863, t. I, p. 209-210; — S. Alph., lib. VI, n. 370, dub. 3.

sint habere hujusmodi calices; quia nempe tale est jus, licet extraordinarium, nec relata rubrica ullam hujusmodi licentiæ facit mentionem; — 3. Nec refert quod petantur et concedantur *indulta*, ut possint haberi hujusmodi calices[1]; nam hæc indulta sæpe conceduntur *ad cautelam*, pro casu nempe quo paupertas aut necessitas non tantæ sint, ut statim et clare locus sit præfatæ rubricæ. Unde Benedictus XIV, bulla *Imposito nobis*, 29 martii 1751, § 3[2], ait : « Quod attinet ad calices stanneos..., *nullum generale decretum proferri potest quo vel hodie vetitum sit hujusmodi calicibus e stanno confectis in missa uti*, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant. » Ita etiam Quarti, de Herdt, etc.[3]; — 4. Licet autem nulla venia requiratur ad habendos calices stanneos, attamen Episcopus, qui, in sacra Visitatione vel extra, hujusmodi calices deprehenderit, inquirere debebit, num sufficiens sit necessitas, ut locus sit huic juri extraordinario. — Ratio autem cur, his in adjunctis, licitus sit calix ex stanno (etsi hæc materia non est pretiosa), est, tum quia stannum non est porosum, illius nempe porositatis *continuæ* quæ inducat periculum *imbibitionis*, tum quia stannum non est obnoxium ærugini, sicut plumbum, æs, etc., tum quia est sat solidum, minimeque fragile, ut vitrum. — Quidquid id est, non est dubium quin possit episcopus in sua diœcesi prohibere stanneos calices, reservata sibi potestate dispensandi in hoc statuto; tale

[1] Sic Benedictus XIV concessit hujusmodi indulta, tum Italo-Græcis (bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 6, n. 20, *Bull. Bened.*, t. I, n. LVII), tum presbyteris Polonis in Russia (bulla *Imposito nobis*, 29 martii 1751, § 8, *Bull. bened.*, t. III, n. XLIII). — Sic etiam S. Congr. de Prop. Fide hujusmodi indulta concedit aliquando missionariis; ita concessit, 16 jan. 1797, pro Vic. ap. Sutchuen, *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 851, p. 309.

[2] *Bull. Bened.*, t. III, n. XLIII.

[3] *Loc. cit.*

enim statutum omnino justum esset et ad mentem Ecclesiæ.

113. — 3° *Materiæ prohibitæ.* — Extra tres materias supra indicatas, nempe aurum, argentum, et, positis ponendis, stannum, *quælibet alia materia est prohibita.* — Ratio est quia simpliciter jubetur calix esse vel *aureus,* vel *argenteus,* vel *stanneus;* ergo calix ex alia materia est prohibitus. Unde S. Rit. Congr., in *Æsina,* 16 sept. 1865[1], prohibitos declaravit calices ex *stanno*, *ære* vel *aurichalco,* licet habeant cuppam inauratam[2]. Juxta supradicta, prohibitio *stanni* intelligi debet de *jure ordinario,* ut per se patet. — Specialiter prohibetur, in mox relata rubrica, calix ex *ære* aut *vitro;* quia æs est ærugini obnoxium, vitrum autem maxime fragile. Item specialiter prohibetur calix *ligneus,* in c. *Litteras*, 14, De celebratione missarum, propter nimiam ligni porositatem.

4° *De aluminio et ære aluminii.* — 1. *Aluminium,* pro calicibus, est materia prohibita; constat ex generali prohibitione supra explicata; insuper aluminium purum vix deaurari potest; et idem dicendum de *ære aluminii* (*bronze d'aluminium*) constans nempe cupro et aluminio. Unde S. Rit. Congr., die 1 sept. 1866, ad hoc quæsitum episcopi Molinensis : « An ejusmodi calices adhiberi possint in sancto missæ sacrificio, » respondit : « Nihil innovandum[3]. » — 2. Verum, novis adhibitis precibus apud

[1] *Decreta authentica,* n. 3136, t. II, p. 447.

[2] S. Rit. Congr., in *Romana,* 16 martii 1876 (Gardellini, *Appendix,* n. 5658), et in *Albinganen.,* 28 maii 1877 (*ibid.,* n. 5695), damnavit iterum calices ex *aurichalco* et *cupro.* Hæc decreta relata non sunt in novissima editione, *Decreta authentica,* 1898-1900, quia nihil novi addunt decreto in *Æsina.* Idem dicas de responsione in alia *Romana,* 30 martii 1875; *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 425-426.

[3] Legas hoc decretum cum *voto* consultoris apud *Acta S. Sedis,* t. II, p. 232-239 (hoc decretum non relatum fuit apud *Decreta authentica*).

Pium IX, ipse Summus Pontifex calices adhiberi indulsit, die 9 dec. 1866, sub quibusdam condicionibus, in apposita *instructione*[1] præscriptis. Hæc autem licentia est *generalis*, id est, pro tota Ecclesia; nam restricta non est ad diœcesim Molinensem, et dicta *instructio* dirigitur *in genere* ad *fabros vasorum sacrorum ex ære aluminii;* et ita intelligunt eam omnes auctores qui eam memorant. — Nec refert quod non fuerit promulgata; nam, in summa, non est nisi dispensatio a lege; porro lex, non dispensatio, eget promulgatione.

114. — Consecratio calicis.

1° *Antiquitas hujus consecrationis.* — Prima mentio consecrationis seu benedictionis calicis, seu, in genere, ritus, quo calix separetur ab usibus profanis, antequam adhibeatur ad sacra ministeria, invenitur in *Sacramentario Gallicano* (supra, n. 2, 5°); in quo nempe, *circa finem*, habetur oratio pro hac benedictione peragenda, in qua hæc legun-

[1] Vide textum originalem italicum *instructionis* apud *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 588. Hic, lingua gallica, breviter perstringo has condiciones, quæ respiciunt simul calices et patenas : 1° Ces vases doivent être de bronze d'aluminium, c'est-à-dire d'un mélange formé d'aluminium et du cuivre le plus pur, dans la proportion, en poids, de 10 (d'aluminium) pour cent; en volume, de 35 pour cent; — 2° Ils doivent être argentés d'une manière *stable* et *riche* sur toute la superficie intérieure (de la coupe ou de la patène). On regarde comme argenture stable et riche, celle pour laquelle sont précipités, par la galvanoplastie, trois grammes d'argent sur chaque décimètre carré de surface; d'où chaque coupe de calice contiendra environ 10 grammes d'argent; — 3° L'argenture doit être garantie de la meilleure manière possible; en conséquence, le fabricant gravera sur chaque pièce, outre la marque de fabrique, le nombre des grammes d'argent répandus sur toute la pièce; — 4° Enfin la dorure devra atteindre au moins, *dans sa totalité*, la proportion de 25 centigrammes pour chaque décimètre carré; nous disons *dans sa totalité*, parce qu'il est désirable qu'elle ait plus d'épaisseur dans les parties les plus sujettes au frottement, comme les bords de la coupe. — Il faut remarquer que l'argenture est prescrite, parce que la dorure ne tiendrait pas sur le bronze d'aluminium pur.

tur[1] : « Ut hunc *calicem*, patenam et turrem[2], in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, *cœlesti benedictione sanctifices atque benedicas.* » Deinde unctionem et benedictionem calicis memorat Innocentius III, c. *Cum venisset*, 1, De sacra unctione : « *Ungitur* præterea, *secundum ecclesiasticum morem*, cum consecratur altare, cum dedicatur templum, *cum benedicitur calix*, non solum ex mandato legis divinæ, verum etiam exemplo B. Silvestri. » — Cujus consecrationis rationes dat D. Thomas, nempe *ad reverentiam sacramenti*, et *ad repræsentandum effectum sacramenti*[3].

2° *Necessitas consecrationis calicis.* — Ut calix possit in sancto sacrificio adhiberi, *requiritur ut sit consecratus.* — Constat clare ex rubrica supra relata : « Qui (calix) debet esse... simul cum patena, itidem inaurata, *ab episcopo consecratus.* » Cæterum probabilis non est opinio, calicem non consecratum fieri consecratum *ipsa celebratione missæ;* nam, quidquid dicunt illi pauci auctores qui contrarium tenent, hæc locutio relatæ Rubricæ, *ab Episcopo consecratus*, intelligenda est de ipso ritu consecrationis calicis, qualis describitur in *Pontificali*[4].

3° *Minister consecrationis.* — Hæc dicenda :

A. Minister hujus consecrationis est Episcopus, ut constat tum ex præfata rubrica, tum ex *Pontificali*, part. II, tit. *De patenæ et calicis consecratione*, quod alium ministrum non memorat nisi Episcopum. — Hinc, per se, potestate consecrandi calices carent quicumque carent caractere episcopali, licet sint abbates, prælati inferiores, etc.

[1] Mabillon, *Musæum italicum*, t. I, p. 389, vel apud Migne, *P. L.*, t. LXXII, col. 571.

[2] Turriculam nempe, ad deferenda solemniter oblata, et alicubi ad conservandam sacram Eucharistiam.

[3] Pars III, q. LXXXIII, art. 3, in corp. art.

[4] Cf. Quarti, *loc. cit.*, dub. 3; — S. Alph., lib. VI, n. 380.

B. Episcopus non potest delegare simplicem presbyterum ad consecrandum calicem. — Ratio est quia, procul dubio, consecratio calicis est actus *ordinis episcopalis*, non jurisdictionis. Porro notum est Episcopum non posse, quæ sunt ordinis, delegare presbyteris, ut constat c. *Aqua*, 9, De consecratione ecclesiæ, ubi dicitur : « Licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, *quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* » — Unde in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in una *Nullius Fulden.*, 22 sept. 1703, ad 2 [1].

C. Potest Romanus Pontifex delegare simplices presbyteros ad consecrandos calices. — Ratio est quia, licet hæc potestas annexa sit ordini episcopali, non tamen ei est annexa nisi *jure ecclesiastico*. — Revera multa sunt exempla hujusmodi delegationis : 1. Sæpe potestate consecrandi calices fruuntur, *vi privilegii* [2], prælati Episcopo inferiores; sed tunc ea uti nequeunt nisi intra loca ipsis subjecta et pro servitio suarum ecclesiarum, ut expresse decrevit S. Rit. Congr., in decreto 27 sept. 1659, vim legis habente, n. 19 [3]; — 2. Vi indulti a Paulo III concessi, bulla *Licet debitum*, 15 kal. nov. 1549, § *Ac Præposito Generali*, Patres Societatis Jesu, in locis infidelium, ex concessione Præpositi Generalis, possunt : « Vestes sacerdotales, pallas, corporalia, *calices*, altaria, cœmeteria (si episcopus, qui ea faciat, catholicus inibi non adsit) benedicere, ac profanatas ecclesias reconciliare [4]; » quod

[1] *Decreta authentica*, n. 2119, t. I, p. 470.

[2] Ad quod tamen non sufficit *generale privilegium usus Pontificalium*, sed *speciale* requiritur, juxta S. Rit. Congr., in *Tirasonen.*, 16 maii 1744, ad 1; *Decreta auth.*, n. 2377, t. II, p. 86.

[3] *Decreta authentica*, n. 1131, t. I, p. 234.

[4] *Institutum Societatis Jesu*, Pragæ, 1757, t. I, p. 19; — cf. etiam *Compendium privilegiorum Societatis Jesu*, v° *Benedicere*, *ibid.*, p. 276.

privilegium, vi communicationis, competit aliis Ordinibus Mendicantibus; — 3. Quoad *regulares Abbates* et *regulares Prælatos*, possunt consecrare calices *modo habeant usum pontificalium :* constat decisione S. Rit. Congr. in *Bracharen.*, 27 aug. 1707 [1]; non tamen possunt consecrare calices *nisi pro usu suarum ecclesiarum*, ut eadem decisione constat; — 4. Item *Præfectis missionum* concedi solet privilegium consecrandi calices, qua in re stare debent formulæ concessionis [2]. — Caute notandum hoc privilegium consecrandi calices nullo modo extendi ad potestatem *consecrandi chrisma*, quo, ad normam *Pontificalis*, ungi debeant calices; unde prædicti privilegiati uti debent chrismate ab Episcopo benedicto : quod cæterum sæpe cavetur in ipsis privilegiis [3].

4° *Ritus consecrationis.* — Describitur in *Pontificali*, loco cit., ejusque essentia consistit in unctione ab Episcopo facta cum sacro chrismate, et precibus correspondentibus. — De quo duo notanda : 1. Episcopus, cum pollice sacro chrismate inuncto, debet facere *duas cruces* intra ipsum calicem modo descripto in *Pontificali;* at, si unam tantum faciat, consecratio tamen valida est; ita S. Rit. Congr., in *Policastren.*, 1 dec. 1882 [4]; — 2. Episcopus, faciendo cum pollice præscriptas cruces intra ipsum calicem, debet, quantum potest, pertingere ad imum calicis; at si, propter profunditatem cuppæ, non possit imam partem attingere, ne curet; ita S. Rit. Congr., in *Pastopolitana*, 12 sept. 1884 [5].

[1] Hanc legas in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 845, p. 308 (non relata est, quoad hanc partem, apud *Decreta authentica*, forsan quia non bene cohæret cum cit. *Tirasonen.*, ad 1; conciliantur tamen ope regulæ : species derogat generi).

[2] Cf. *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 850-851, p. 309.

[3] Cf. cit. *Collectanea*, n. 850, 851; — S. Rit. Congr., in *Goritien.*, 11 aug. 1770; *Decreta authentica*, n. 2488, t. II, p. 131.

[4] *Decreta authentica*, n. 3560, t. III, p. 136.

[5] *Ibid.*, n. 3620, t. III, p. 165.

115. — Execratio calicis. — Jus canonicum, quod prævidet plures causas execrationis ecclesiarum vel altarium, nullam prævidet execrationis calicis. Unde, ubi agatur de calice, nulla admittenda est execrationis causa, præter eam quæ quasi ex naturali jure oritur, nempe quando, calix ita *amittit propriam formam, sub qua consecratus est, ut non sit amplius aptus ad usum suum.* Hinc :

1° Si *fractione* vel *alio aliquo casu* calix fiat inaptus ad usum, v. g., si fiat foramen in ima parte calicis, si cuppa majori ex parte destruatur, etc., calix amittit suam consecrationem.

2° Si *pes a cuppa separetur*, distinguendum est : 1. Si calix sit tornatilis, et, motu aliquo voluntario vel non, pes separatus fuerit a cuppa, calix non amittit consecrationem, quia non amittit formam propriam, vi cujus binæ ejus partes facile separari et iterum adunari possint; ita omnes fere doctores; — 2° Si calix non sit tornatilis, et vi aliqua vel fractione pes separetur a cuppa, calix amittit suam consecrationem, quia profecto non est amplius aptus ad usum suum.

3° Si calix *amittat internam deaurationem*, non amittit consecrationem; ita communiter, imo communissime doctores, v. g., Suarez, de Lugo, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Laymann, Quarti, S. Alphonsus, Billuart, etc., etc. [1]. — Ratio est quia, per amissionem inaurationis, calix non amittit propriam formam, nec fit inaptus ad usum suum; insuper consecratio non inhæret auro interno, sed toti calici; sicut ergo ecclesia, cujus etiam tota decidit crusta,

[1] Suarez, *In part. III*, disp. LXXXI, sect. II, n. 3; — de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XX, n. 94; — Reiff., in tit. *De sacramentis non iterandis*, n. 31; — Schmalzg., in tit. *De consecratione eccl.*, n. 53; — Laymann, *Theologia*, lib. V, tract. V, c. VI, n. 6; — Quarti, *loc. cit.*, sect. II, dub. 5; — S. Alph., lib. VI, n. 370, dub. 1; — Billuart, diss. VIII : *De Eucharistia*, art. 10.

non amittit consecrationem, quia moraliter remanet eadem ecclesia, ita et calix.

4° Si calix *novam inaurationem suscipiat*, dissentiunt inter se gravissimi doctores.

a. Alii dicunt *non amitti consecrationem*, præcipue propter tria : 1. Quia forma propria calicis non amittitur, nec substantialiter mutatur; sicut ergo ecclesia, cujus parietes denuo dealbantur, aut cujus etiam tota crusta simul renovatur, non amittit consecrationem, juxta omnes, quia est semper eadem ecclesia, ita nec calix in casu præsenti, quia est semper idem calix; — 2. Quando alicui ecclesiæ consecratæ additur aliqua minor pars, qua illa completur et perficitur, hæc pars ipso facto vi unionis cum reliqua structura consecratur; sic, si calici consecrato additur aliqua minor pars, nempe deauratio, hæc pars, vi unionis cum cæteris partibus, consecratur; quam tamen cum ecclesia comparationem nolim urgeri; — 3. Execratio calicum, sicut ecclesiarum, cœmeteriorum, altarium, est res odiosa, ideoque restringi debet ad casus, in quibus adest aut clarus juris textus, aut urgens ratio; porro hic, nec unum, nec alterum adest. Ita præcipue de Lugo, Laymann, Billuart [1].

b. Alii communius dicunt *amitti consecrationem :* 1. Consecratio fit potissimum propter contactum pretiosi Sanguinis Domini, et ideo omnino requiritur ut pars illa quæ immediate tangit Sanguinem Domini sit consecrata; sed, in casu, novum aurum non est consecratum; non enim consecratur sola unione cum reliqua parte calicis; nam licet hæc reliqua pars videatur principalior quoad molem, attamen aurea superficies principalior revera est quoad materiam, et præcipue quoad usum; ita præcipue Suarez;

[1] De Lugo, *loc. cit.*, n. 95; — Laymann, *loc. cit.*, n. 7; qui allegant pro se Diana, Coninck, etc.; — Billuart, *loc. cit.*

— 2. Huic alteri sententiæ adhæsit S. Rit. Congr., in *Leodien.*, 14 junii 1845, et in *Strigonien.*, 9 maii 1857, ad 1[1], licet in hac posteriori causa videatur potius respondisse de ministro novæ consecrationis, quam quærens necessariam supponebat. — Hanc opinionem tuentur Suarez, Reiffenstuel, Quarti (licet habeat ut probabilem alteram sententiam), sanctus Alphonsus[2].

c. Unum tantum de hac controversia adjicio. Argumentum Suarezii facile dissolvitur; vel enim aurum internum (*dorure*) est pars principalior (quoad usum), vel non; si sit principalior, ergo calix, amittens suam internam inaurationem, amittit consecrationem; si non sit principalior, ergo aurum internum, additum calici, fit consecratum vi unionis cum reliqua parte calicis. Prius autem membrum dilemmatis rejici debet, quum ejus *consequentia* a nullo admittatur, nec etiam a Suarez; ergo posterius admittendum. — Quum ergo decretum S. Rit. Congr., in *Leodien.*, non sit generale, et argumenta prioris opinionis non facile dissolvi queant, hanc improbabilem dicere non ausim : quod tamen peritiorum, ut par est, judicio submitto.

d. Aliqui auctores, in demonstrationem secundæ opinionis, allegant *consuetudinem;* profecto, si sint loca, in quibus vigeat ista consuetudo, requisitis omnibus vestita, in his locis calices, de quibus agitur, amittunt consecrationem : quod est luce meridiana clarius; sed est *quæstio facti.*

5° Calix non amittit suam consecrationem, si *ad usum profanum adhibeatur*, v. g., tempore politicarum perturbationum; hoc enim nullo jure cavetur, nec ulla ratione exigitur; — nec si *reparetur* a fabro, modo tamen nulla

[1] *Decreta authentica*, n. 2889, 3042, t. II, p. 326, 396.

[2] Locis modo citatis. — Schmalzg., *loc. cit.*, ambas opiniones exponit, nullam amplexus, licet propensior videatur ad priorem, nempe Lugonis.

præcesserit aut sequatur fractio, quæ calicem reddat inaptum ad usum. — De quo notandum est calices, quando traduntur fabro reparandi, non debere prius execrari (v. g., per fractionem), sed debere tradi ut sunt, ut decidit, contra aliquos aliter inepte sentientes, S. Rit. Congr., in una *dubiorum*, 20 apr. 1822[1]. Ratio est quia lex quæ prohibet ne vasa sacra tangantur a profanis, non urget in casu necessitatis[2].

116. — Patenæ materia, consecratio, execratio. 1° *Patenæ materia.* — Non requiritur ut patena sit ex auro aut argento, sed *potest esse ex alio metallo, quoad partem superiorem seu concavam inaurato.* — Constat clare ex rubrica jam supra (n. **112**) relata, in qua legitur : « Debet (calix) esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, *et, simul cum patena, itidem inaurata*, ab Episcopo consecratus. » Unde rubrica distinguit inter calicem et patenam, et calicis quidem assignat materiam, nempe aurum vel argentum, non vero patenæ; unde, pro materia patenæ, sufficit quodcumque metallum, modo sit decens et *inauratum* (quoad partem superiorem quæ recipit sanctissimum Christi Corpus); non sufficit aluminium, nec æs aluminii *ordinarium*, quia hæc metalla inaurationem non patiuntur; sufficit vero cuprum, stannum, æs aluminii cum condicionibus supra (n. **113**) præscriptis, etc. Ratio vero cur calix patena pretiosior esse debeat, est quia pretiosus Domini Sanguis in ipso calice consecratur et offertur, Corpus vero Domini in corporali, non in patena consecratur et offertur. — Nec dicas præscribi aurum vel argentum pro patena sicut pro calice, in can. *Ut calix*, 45, dist. I, De consecratione;

[1] *Decreta authentica*, n. 2620, t. II, p. 199.
[2] Cf. Quarti, *loc. cit.*, dub. 6.

unde multi auctores eamdem esse debere materiam calicis et patenæ docent. — Nam hic canon, concilio Rhemensi attributus, ex ignoto fonte desumptus est, et proinde nullam habet auctoritatem.

2° *Patenæ consecratio et execratio.* — Hac de re idem omnino dicendum de patena ac de calice; hæc enim duo, sub hoc respectu, pari perpetuo gradu procedunt.

§ 2. De sacris linteaminibus.

Tria sunt sacra linteamina : *corporale, palla, purificatorium.*

117. — Corporale. — *Corporale* est linteolum illud quod, tempore sacrificii missæ, super altare extenditur, ut supra illud ponantur patena cum hostia et calix.

1° *Corporalis materia.* — Corporale debet esse necessario *ex lino aut cannabe.* — Constat : 1° *Rubricis* missalis, nempe in duobus locis : *a.* part. II (*Ritus servandus,* etc.), tit. I, n. 1 : « Corporale quod *ex lino tantum esse debet,* nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, » — *b.* Part. III (*De defectibus*), tit. X, n. 1 : « (Defectus est) si corporalia non sint munda, *quæ debent esse ex lino,* nec serico in medio ornata... ; » — 2° *Decreto generali* S. Rit. Congr., 15 maii 1819, a Pio VII specialiter confirmato, in quo S. Congr. lino assimilavit cannabem, quæ revera quoad varias qualitates simillima est lino; quia vero hoc decretum vim habet legis, et proderit etiam pro infra dicendis, hic referendum est : « ... (Decreverunt Emi Patres) eadem sacra indumenta ac supellectilia [1]

[1] Agebatur tum de tribus linteaminibus, de quibus agimus, tum de amictu, alba et mappis altaris.

conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante. Aliqua tamen indulgentia utentes, permiserunt ut amictus, albæ, tobaleæ, mappulæ, si quæ ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumantur; sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, præceperunt. *Districte vero jusserunt, ut corporalia, pallæ, ac purificatoria*, post lapsum unius mensis a præsentis decreti publicatione, *linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu quæ ex gossipio supererunt*[1]. » — Unde 3° eadem S. Congregatio, data occasione, prohibuit non semel alias materias; sic, in *Pisauren.*, 15 martii 1664, prohibuit textum ex *lino et gossipio* (coton) pro tribus sacris linteaminibus et pro amictu, alba, mappis[2]; — in dicto decreto generali, an. 1819, prohibuit *gossipium* pro iisdem omnibus linteaminibus et indumentis; — in *Asculana*, 17 dec. 1875, prohibuit *telam ex urticis* pro iisdem[3]; — in *Goana*, 23 julii 1878, usum *gossipii* pro tribus linteaminibus et tribus indumentis supra dictis, *tanquam corruptelam et abusum* rejecit[4]; — in *Placentina*, 13 aug. 1895, rejecit, pro eisdem, *telam ex nipa* (planta lino simillima), licet hæc tela nititditate et tenacitate, licet non semper albedine, linum æmuletur, et pretio longe superet[5].

2° *Corporalis varia adjuncta.* — 1. Ut patet ex cit. *Rubricis*, prohibetur ne corporale sit serico vel auro *in medio* intextum, non vero quin circumdatum sit *fimbriis*

[1] *Decreta authentica*, n. 2600, t. II, p. 187.
[2] *Ibid.*, n. 1287, t. I, p. 265.
[3] *Ibid.*, n. 3387, t. III, p. 67.
[4] *Ibid.*, n. 3455, t. III, p. 95.
[5] *Ibid.*, n. 3868, t. III, p. 291.

etiam ex serico vel auro; ratio est quia si hujusmodi textura sit *in medio*, sacræ particulæ obnoxiæ sunt periculo profanationis, non vero si sit tantummodo in *oris;* — 2. Alicubi usus est ut in parte anteriori corporalis adsit *crux rubra*, acu depicta, quæ indicet hanc partem, ita ut eodem modo corporale semper ponatur coram celebrante; hic usus nec præcipitur, nec prohibetur.

118. — **Palla.** — Hæc dicenda: 1. Palla est quasi diminutum corporale; olim enim latissimum et longissimum erat corporale, quo continerentur omnes panes consecrandi, et quo etiam cooperiretur calix; quum diminui cœpit corporale, remansit pars calici imponenda, quæ tamen, propter majorem commoditatem, separata fuit a reliquo corporali; — 2. *Materia* pallæ est *linum* vel *cannabis*, ut constat ex supradictis; in omnibus enim textibus, *corporale* et *palla* pari semper gradu procedunt, quod recte explicatur ex dicta pallæ origine; — 3. Ut palla sit firmior, constare potest *duobus pannis superpositis*, amylo linitis; imo inter unum et alterum inseri potest, juxta varios locorum usus, charta plus minusve crassa (*carton*); sed requiritur ut uterque pannus sit ex lino vel cannabe; unde S. Rit. Congr., in una *Congregationis montis Coronæ*, 22 jan. 1701, ad 2, rejecit usum pallæ, *cujus pannus superior esset ex serico*[1]*;* — 4. Attamen, in pluribus locis, v. g., in Gallia, permittitur usus pallæ, cujus pannus superior sit ex serico, juxta decretum S. Rit. Congr., 10 jan. 1852, quo respondetur : « permitti posse pallam *a parte superiori panno serico coopertam, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa;* » — 5. Imo hodie usus

[1] *Decreta authentica*, n. 2067, t. 1, p. 456.

hujusmodi pallæ ubique permittitur, vi decreti ejusdem S. Rit. Congr., in una *Dubiorum*, 17 julii 1894, ad 4, in quo, ad hoc quæsitum : « An uti liceat palla a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto cooperta? » respondit per ipsissima verba decreti an. 1852, nempe : « *Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat*, etc., » ut supra[1]; — 6. Juxta receptam consuetudinem, oræ pallæ, sicut dictum est de corporali, possunt esse opere phrygio (*dentelles*) ornatæ.

119. — Purificatorium. — Debet esse ex *lino* aut *cannabe;* licet enim cit. *rubrica* requirat tantummodo « purificatorium mundum », attamen supra relatum decretum generale, an. 1819, exigit omnino, pro purificatorio, eamdem materiam ac pro corporali ac palla.

§ 3. De vestibus sacerdotalibus.

120. — Amictus et alba.

1° *Materia.* — Debent esse ex *lino* vel *cannabe :* quod præcipitur non quidem *rubricis*, sed *decreto generali* supra (n. **117**) relato, an. 1819, in quo amictus et alba in eodem gradu ponuntur, licet minus rigorose, ac corporale et palla. Pluries quidem responsum fuit, tum modo generali in *decreto generali*, an. 1819, tum in variis casibus particularibus, v. g., in *Goana*, 23 julii 1878, ad 2[2]; — in *Lauden.*, 23 junii 1892, ad 2[3], albas extantes ex gossipio, vel ex lino et gossipio, posse adhiberi, *donec consumantur*[4]; sed

[1] *Decreta authentica*, n. 3832, t. III, p. 273.

[2] *Ibid.*, n. 3455, t. III, p. 95.

[3] *Ibid.*, n. 3779, t. III, p. 239.

[4] Idem permissum fuit quoad albas tela ex *nipis* confectas, in *Placentina*, 13 aug. 1895, ad 2; *Ibid.*, n. 3868, t. III, p. 291.

omnino præceptum est, ut novæ non conficerentur nisi ex *lino* vel *cannabe*.

2° *Varia adjuncta*. — 1. Oræ albæ, sive ad manicas, sive ad pectus, sive ad imam partem, possunt opere phrygio, vel textili denticulato, esse ornatæ, licet hoc opus non sit ex lino aut cannabe; ita fert plerisque in locis consuetudo; modo tamen opus phrygium remaneat semper accessorium, et proinde minima pars; alioquin vis inferretur legi quæ jubet albas esse ex *lino aut cannabe;* si opus phrygium sit ex lino aut cannabe, potest majorem locum tenere[1]; — 2. Licet ponere sub præfato opere phrygio, in *manicis* et *fimbriis* albarum, fascias seu *fundum* rubri, cærulei, aut alterius coloris; sic declaravit S. Rit. Congr., in *Romana*, 12 julii 1892, ad 5, et in *Minoricen.*, 24 nov. 1899, ad 7[2]. — 3. In ora amictus, inter chordulas, debet esse crux quam osculetur sacerdos, sumens hoc indumentum.

121. — Cingulum. — 1° Materia *cinguli* non præscribitur *rubricis*, nec *decreto generali*, an. 1819; ideo, licet congruentius sit ut cingulum ex lino sit aut cannabe, sicut alba, ad quam refertur, attamen non necessario requiritur, ideoque potest esse ex serico, gossipio, lana, etc., in quo sensu respondit S. Rit. Congr., tum in una *Congregationis montis Coronæ*, 22 jan. 1701, ad 7[3], tum in una *Ordinis Carthusianorum*, 23 dec. 1862[4]; — 2. Quoad *colorem* cinguli, item non est præscriptus, ideoque poterit esse color proprius materiæ adhibitæ; sed cingulum potest esse etiam

[1] Cf. S. Rit. Congr., in *Syren.*, 5 dec. 1868, ad 5; *Decreta authentica*, n. 3191, t. II, p. 468; — in *Goanen.*, 16 junii 1893, ad 12; *Ibid.*, n. 3894, t. III, p. 250.

[2] *Decreta authentica*, n. 3780, 4048, t. III, p. 240, 373.

[3] *Ibid.*, n. 2067, t. I, p. 456.

[4] *Ibid.*, n. 3118, t. II, p. 729.

coloris paramentorum, uti respondit S. Rit. Congr., in *Bracharen.*, 8 junii 1709, ad 3[1]; — 3. Quoad *formam* seu *modum*, cingulum debet esse ad modum *chordulæ*, non vero *fasciæ*, ut respondit S. Rit. Congr., in *Minoricen.*, 24 nov. 1899, ad 6[2]; ibi tamen tolerat usum cingulorum ad modum fasciæ, donec consumantur.

122. — Manipulus, stola et planeta.

1° *Materia.* — 1. Materia ex qua confici debeant hæc paramenta, nulla *rubrica*, nec ullo *decreto generali* S. Rit. Congr., præscribitur; cit. decretum generale an. 1819 non respicit hæc paramenta; de his hæc tantum ait *rubrica* (*Rubricæ missalis*, part. II, tit. I, n. 2) : « Accedit sacerdos ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et *decenter munda*, ac *pulchra*. » Quænam autem sint *decentia* ac *pulchra*, non determinat rubrica; verum ex his adhibitis verbis, patet materiam paramentorum debere esse *non vilem* neque *vulgarem* aut *communem*, sed *sat pretiosam*, unde maxime decet ut sint ex *serico*, sinon puro, saltem mixto; sic textum sericum, mixtum cum alia materia, approbavit S. Rit. Congr. tum in *Ceneten.*, 21 apr. 1893[3]; — tum in *Gnesnen.*, 23 martii 1882[4]. Unde et multis in locis viget consuetudo ut adhibeatur textum saltem *semi-sericum;* — 2. A fortiori, adhiberi potest textum ex *auro* vel *argento* (*vero*, inquam, non falso), licet mixtum cum alia materia, v. g., serico, aut etiam alia inferiori; sic telas argenteas aut aureas appro-

[1] *Decreta authentica*, n. 2194, t. II, p. 9.

[2] *Ibid.*, n. 4048, t. III, p. 373.

[3] *Ibid.*, n. 3796, t. III, p. 247; ibi approbatur textum ex *serico* et *mori fibris*.

[4] *Decreta authentica*, n. 3543, t. III, p. 127; ibi approbatur (attenta paupertate ecclesiarum) textum ex serico, et alia materia (gossipium, lana, linum), ita ut sericum oculis intuentium appareat.

bavit S. Congr. Rit., tum in una *Guadalaxara*, 28 apr. 1866[1], — tum in *Papien.*, 20 nov. 1885[2]; — 3. Pluribus decretis *particularibus*, attentis locum ac temporum adjunctis, prohibuit S. Rit. Congr. paramenta ex *lana*, *lino*, *gossipio;* sic in *Mutinen.*, 23 sept. 1837, ad 5[3], prohibuit *linum* et *gossipium*, se referens ad *usum omnium ecclesiarum;* — in *Lauden.*, 23 junii 1892, ad 1[4], prohibuit paramenta ex *mera lana;* — die 28 julii 1881, missum est *Monitum*, lingua italica exaratum, ad Ordinarios Italiæ, in quo Rev. Secretarius S. Congr. illis in memoriam revocabat prohibita esse paramenta ex lino, lana, gossipio[5]; — 4. S. Rit. Congr., in *Atrebaten.*, 11 sept. 1847[6], prohibuit textum ex *vitro*, ne scilicet fragmenta vitri incidant in calicem, cum periculo valetudinis pro sacerdote; — 5. In textis, modo aliunde materia sit conveniens, pingi possunt, vel ope acus (*broderie*), vel ope penicilli, flores, frondes, ornamenta sacra, etc., ut declaravit S. Rit. Congr., tum in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 15[7], — tum in *Brunen.*, 30 martii 1885[8]; — 6. Videtur etiam prohibita, pro paramentis, materia *non textilis*, v. g., quæ dicitur gallice *tapisserie*, *tricot;* licet enim nullum sit (quod sciam) S. Rit. Congr. decretum nec generale nec etiam particulare quo hæc materia improbetur, attamen videtur esse contra usum ecclesiarum, cui hac in re maxime attendi debet; — 7. Quando dicimus hanc vel illam materiam prohibitam esse pro *paramentis*, intelligimus id quod est principale in

[1] *Decreta authentica*, n. 3145, t. II, p. 450.
[2] *Ibid.*, n. 3646, t. III, p. 177.
[3] *Ibid.*, n. 2769, t. II, p. 275.
[4] *Ibid.*, n. 3779, t. III, p. 239.
[5] *Monitum* insertum non fuit in *Decreta authentica*. Legas illud apud *Acta S. Sedis*, t. XIV, p. 144.
[6] *Decreta authentica*, n. 2949, t. II, p. 350.
[7] *Ibid.*, n. 3576, t. III, p. 143.
[8] *Ibid.*, n. 3628, t. III, p. 169.

his paramentis, nempe ipsum *textum præcipuum,* non vero *accessoria* (v. g., *médaillons, galons, croix,* etc.), quæ possunt esse etiam ex lana, gossipio, auro vel argento falso, etc.; item panni subsuti (*doublure*) possunt esse ex quavis materia congrua.

2° *Color.* — 1. Color paramentorum præscribitur *rubrica;* legitur enim in rubricis missalis, part. I (*Rubricæ generales*), tit. XVIII, n. 1 : « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse *coloris convenientis officio et missæ diei,* secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit : *albo, rubro, viridi, violaceo* et *nigro.* » Additur, ex *Cæremoniali Episcoporum*, l. II, c. XIII, n. 11, et c. XX, n. 2, color *rosaceus,* sed pro duabus tantum vicibus per annum, nempe in dominica tertia Adventus, et in dominica quarta Quadragesimæ[1]; imo tunc etiam paramenta hujus coloris non stricte præcipiuntur, sed tantum si præ manibus habeantur; — 2. Unde excluduntur paramenta coloris *aurei*[2] seu *flavi;* quod patet ex ipsa rubrica, et confirmavit S. Rit. Congr., tum in *Veronen.,* 16 martii 1833, ad 4[3]; — tum in *Mutinen.,* 23 sept. 1837, ad 5, n. 1[4]; — tum in *Adrien.,* 29 martii 1851, ad 5[5]; — tum in *Syren.,* 5 dec. 1868, ad 4[6]; — tum in *Lauden.,* 23 junii 1892, ad 3[7]; — 3. Item, et pro eadem ratione, excluduntur paramenta coloris *cærulei,* ut confirmavit S. Rit. Congr., tum in cit. *Veronen.,* ad 4; — tum in una *Congregationis Oblatorum B. M. V.,* 23 febr. 1839, ad 2[8]; — 4. Item,

[1] Cf. etiam S. Rit. Congr., in una *Vallis Vidonis* (Laval), 22 nov. 1901, ad 3; *Canoniste,* t. XXV, an. 1902, p. 246.

[2] Nisi sint *ex auro,* ut dictum est et infra etiam dicetur.

[3] *Decreta authentica,* n. 2704, t. II, p. 249.

[4] *Ibid.,* n. 2769, t. II, p. 275.

[5] *Ibid.,* n. 2986, t. II, p. 367.

[6] *Ibid.,* n. 3191, t. II, p. 468.

[7] *Ibid.,* n. 3779, t. III, p. 239.

[8] *Ibid.,* n. 2788, t. II, p. 285. — Notandum tamen est indultum, quod

et pro eadem ratione, excluduntur paramenta *quæ ita sunt plurium colorum, ut nullus color prævaleat :* quod confirmavit S. Rit. Congr. tum in una *Marsorum,* 12 nov. 1831, ad 50[1]; — tum in cit. *Mutinen.,* ad 5, n. 2; — tum in *Vicen.,* 19 dec. 1829[2], in qua tamen data est potestas Episcopo, ut ecclesiis pauperibus permitteret uti his paramentis, donec consumantur; — 5. Paramenta *argentea* valent pro colore *albo,* ut de se patet, et confirmavit S. Rit. Congr., in *Papien.,* 20 nov. 1885, ad 3[3]; paramenta vero *aurea,* nempe *ex auro* confecta, valent pro tribus coloribus, scilicet pro *albo, rubro* et *viridi,* ut pluries declaravit S. Rit. Congr., v. g., in una *Guadalaxara,* 28 apr. 1866[4]; — in *Syren.,* 5 dec. 1868, ad 4[5]; — in cit. *Papien.,* ad 2; — 6. In quibusdam regionibus, v. g., in Gallia, viget usus, ut una et eadem planeta sit coloris albi ex una parte, et, ex adversa parte, coloris rubri, et idem dicas de stola, de manipulo; hic usus cum nulli legi contradicat, legitimus est, et confirmatur ex decisione S. Rit. Congr., in *Tarnovien.,* 26 martii 1859, ad 7[6], in qua approbavit usum stolæ bicoloris in administratione baptismi.

concedi solet regno Hispaniæ et Americæ latinæ (*Acta et decreta Concilii Americæ latinæ,* n. 907, Romæ, 1900, p. 400), utendi paramentis *cærulei* coloris, quoties celebratur missa de festo, vel votiva, Immaculatæ Conceptionis B. M. V. : quod tamen non extenditur ad missam Apparitionis *de Lourdes,* nec ad missam Manifestationis *de la médaille miraculeuse,* ut respondit S. Rit. Congr., 15 feb. 1902; *Acta S. Sedis,* t. XXXIV, p. 553-554.

[1] *Decreta authentica,* n. 2682, t. II, p. 233.

[2] *Ibid.,* n. 2675, t. II, p. 229.

[3] *Ibid.,* n. 3646, t. III, p. 177.

[4] *Ibid.,* n. 3145, t. II, p. 450.

[5] *Ibid.,* n. 3191, t. II, p. 468.

[6] *Ibid.,* n. 3086, t. II, p. 418.

§ 4. De ornatu calicis et altaris.

123. — Ornatus calicis : velum, bursa.

1° *De velo calicis.* — 1. Quoad *materiam*, velum debet esse ex *serico*, ut rubrica præscribit, *Rubricæ missalis*, part. II, tit. I, n. 1 : « Eam (patenam calici impositam) tegit parva palla linea, tum *velo serico;* » non tamen excluditur tela *argentea* aut *aurea;* doctores enim assimilant velum *paramentis*, ut statim dicetur; — 2. Quoad *colorem*, velum debet esse *coloris paramentorum*, nempe planetæ, stolæ, etc.; ratio est quia velum tegere debet calicem *super altare*, et proinde annumeratur *paramentis altaris*, sicut et ipsa *bursa;* porro paramenta altaris, sicut celebrantis, debent esse coloris convenientis officio, ut constat ex cit. supra *rubrica* (part. I, tit. XVIII, n. 1); — 3. Quoad *mensuram*, debet esse tam amplum, ut calix undequaque vel saltem in parte anteriori totum cooperiatur, ut patet ex ipsa notione et indole hujus paramenti, et confirmavit S. Rit. Congr., in *Urbinaten.*, 12 jan. 1669[1].

2° *De bursa calicis.* — De hac ait rubrica (part. II, tit. I, n. 1) : « Super velo (imposito calici) ponit (sacerdos) *bursam*, coloris paramentorum, intus habentem corporale plicatum. » Annumeratur paramentis altaris, propter ejus usum, et proinde ejus materia eadem est ac materia planetæ, stolæ, etc., de qua supra (n. **122**) dictum est; item, ut præscribit ipsa cit. rubrica, ejus color idem est ac paramentorum.

124. — Mappæ altaris.

1° *Necessitas et numerus mapparum.* — Sic præscribit rubrica, *Rubricæ missalis*, part. I, tit. XX : « Hoc altare

[1] *Decreta authentica*, n. 1379, t. I, p. 284.

operiatur *tribus mappis* seu tobaleis mundis, *superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.* » De *tribus mappis* requisitis agitur etiam in eisdem *rubricis*, part. III, tit. x, n. 1. — Notandum est tolerari consuetudinem, vi cujus mappa superior non rigorose pertingit usque ad terram: ita S. Rit. Congr., in *Urgellen.*, 30 dec. 1881, ad 11[1]; quoad mappas inferiores, sufficit ut tegant sacrum lapidem[2]. — De benedictione infra agitur.

2° *Materia mapparum.* — Debent confici *ex lino vel cannabe.* Constat *decreto generali* S. Rit. Congr., an. 1819, supra (n. **117**) relato, et ejusdem S. Congr. decretis particularibus ibidem allegatis.

125. — Pallium seu antipendium altaris. — De *pallio* seu *antipendio* altaris legimus in *Rubricis missalis*, part. I, tit. xx, post verba mox relata: « *Pallio* quoque ornetur (altare), coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. » Quidam auctores dicunt *nullum esse præceptum ecclesiasticum* ornandi altare pallio[3]; sed hi auctores nituntur falsa opinione quæ distinguit rubricas Missalis in *præceptivas* et *directivas*[4], inter quas ultimas reponunt rubricam præsentem; unde dicendum est hanc rubricam obligare, sed tantum, juxta omnes, *sub levi*[5]. Imo, cum finis hujus præcepti sit *ornandi* altare, ut patet ipso textu, si altare sit aliunde satis ornatum aut decens, v. g., si sit ex marmore, aut ad formam tumbæ, nulla est obligatio.

[1] Gardellini, *Appendix*, n. 5830. — Hæc responsio ad 11 omissa fuit in *Decreta authentica*, n. 3535, t. III, p. 123.

[2] Cf. de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars I, n. 179, t. I, p. 220.

[3] V. g., inter alios, Quarti, *In rubricas missalis*, pars I, t. xx, dub. 9, p. 130.

[4] Videas eumdem Quarti, *ibid., Quæst. proœm.*, sect. II, punct. 2, p. 6-7.

[5] Cf. S. Alph., lib. VI, n. 395.

Ita sanctus Alphonsus, de Herdt, Gasparri, etc.[1]. Sic hanc rubricam interpretata fuisse videtur consuetudo, saltem in nostris regionibus. — Materia pallii non est præscripta, nec color, licet deceat ut sit coloris paramentorum : « Quoad *fieri potest*, » ut ait relata rubrica.

126. — Crux ponenda in altari.

1° *Necessitas crucis.* — Crux *omnino ponenda est in altari.* Constat ipsis *Rubricis missalis*, part. I, tit. xx : « *Super altare collocetur crux in medio*, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. » — De quo notanda : 1. Si pone altare sit *magna statuæ Crucifixi*, tenere potest locum crucis super altare collocandæ; ita S. Rit. Congr. in *Rossanen.*, 16 junii 1663, ad 2[2]; — 2. Idem dicendum si in majori tabula altaris imago Crucifixi depicta vel cælata appareat, dummodo tamen primum locum obtineat præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur; ita Benedictus XIV, in encyclica *Accepimus*, 16 julii 1746, § *Secundo loco*[3]; — 3. Si celebretur missa coram sanctissimo Sacramento exposito, unaquæque ecclesia suam consuetudinem sequatur, ita ut crux poni possit, vel non poni, juxta consuetudinem; ita S. Rit. Congr., in *Aquen.*, 2 sept. 1741, ad 1[4], et Benedictus XIV, encycl. cit., § *Quarto loco;* — 4. Communis est opinio, præceptum ponendi crucem super altari tempore missæ non obligare nisi *sub levi;* ita Merati, Benedictus XIV, de Lugo, S. Alphonsus, de Herdt, etc.[5].

[1] S. Alph., *ibid.;* — de Herdt, *loc. cit.*, n. 180; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 768.

[2] *Decreta authentica*, n. 1270, t. I, p. 262.

[3] *Bull. Bened.*, t. II, n. XVII; — cf. etiam Merati ad Gavantum, *Rubricæ missalis*, pars I, c. XX, n. 6, Venetiis, 1823, t. I, p. 156.

[4] *Decreta authentica*, n. 2365, t. II, p. 79.

[5] Merati, *loc. cit.*, n. 7; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, pars II,

2° *Necessitas imaginis Crucifixi in cruce.* — Ad satisfaciendum præcepto, non sufficit nuda crux, sed *requiritur imago Crucifixi.* — Nam : 1. Licet cit. *rubrica* non memoret nisi solam *crucem*, hanc tamen intelligit de *cruce cum Crucifixo;* paulo enim infra (part. II, tit. II, n. 2) *rubrica* hæc habet : « (Sacerdos) altari, seu *imagini Crucifixi desuper positæ* profunde se inclinat ; » — 2. *Cæremoniale Episcoporum* sæpe memorat cum cruce *imaginem Crucifixi;* sic lib. I, c. XII, n. 16 : « Et in medio (candelabrorum) crucem *cum imagine Crucifixi;* » item *ib.*, n. 11 ; — 3. Benedicti XIV idem docet et demonstrat ex *communi Ecclesiæ consuetudine;* cit. encyclica, § *Scriptores.* Unde recedendum non est ab hac sententia. — Cæterum, parvi refert utrum imago Crucifixi sit *depicta* in cruce, vel *cælata*, vel *sculpta*, etc.

3° *Varia adjuncta.* — 1. Non sufficit *parva* crux, vix visibilis, sed requiritur *magna* crux, quam sacerdos et fideles conspicere facile queant ; ita S. Rit. Congr. in cit. *Rossanen.*, 16 junii 1663, ad 1, et in una *Dubiorum*, 17 sept. 1822, ad 7[1] ; unde non sufficit parva crux appensa vel apposita statuæ vel imagini alicujus sancti qui in hoc altari colatur, ut docet etiam Benedictus XIV in cit. Encyclica, § *Equidem non improbamus;* — 2. Requiritur crux, etiamsi missa celebretur in altari, in quo sanctissimum Sacramentum in tabernaculo inclusum asservatur, uti docet Benedictus XIV in cit. encyclica, § *Tertio loco*[2], et supponit S. Rit. Congr., in cit. *Rossanen.*, ad 1 ; tunc etiam non sufficit *parva* crux, posita super vel ante tabernaculum sed requiritur magna crux (quæ tamen poni potest super

n. 101, Lovanii, 1762, t. II, p. 167 ; — de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XX, n. 79 ; — S. Alph., lib. VI, n. 393 ; — de Herdt, *loc. cit.*, n. 181, p. 221.

[1] *Decreta authentica*, n. 2621, t. II, p. 199.

[2] Item in opere *De sacrificio missæ*, pars I, n. 19, t. I, p. 32.

tabernaculum), ut docent, *loc. cit.*, Benedictus XIV et S. Rit. Congr., in *Rossanen.* et in una *dubiorum;* — 3. Quando thronus, expositioni SS. Sacramenti destinatus, est super altare, locum crucis occupans, et actu non est exposita sanctissima Eucharistia, crux non est ponenda *in ipso throno,* uti respondit S. Rit. Congr., in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 3[1]; tunc servandum est decretum ejusdem Congr., in cit. *dubiorum,* ad 7 : « Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, *alia*, tempore sacrificii, *apte apponatur inferius,* sed *visibilis tam celebranti quam populo.* » Usus tamen contrarius est in Gallia, multis saltem in locis; — 4. Crux non debet tegi, dum celebratur missa[2], nisi tempore Passionis.

127. — Cerei tempore missæ accendendi.

1° *Necessitas cereorum.* — Requiruntur, tempore missæ, saltem *duo cerei accensi.* — Nam : 1. Jam, c. *Litteras tuas*, 14, De celebratione missarum, prohibitum est celebrare *sine lumine* : « ... Inquisitionis officium iterans, ex ejus (presbyteri) confessionibus invenisti, quod idem *sine igne* sacrificabat et aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia vel ex nimia desipientia *peccasse probetur*, mandamus quatenus officio et beneficio perpetuo ipsum prives; » — 2. Non sufficit quodcumque lumen, sed requiruntur *cerei*, ut constat duobus locis *Rubricarum :* tum part. I, tit. xx : « Super altare collocetur crux in medio, et *candelabra saltem duo cum candelis accensis* hinc et inde in utroque ejus latere; » tum part. III, tit. x, n. 1 : « ... (Defectus est), *si non adsint luminaria cerea.* » — Ex his autem commu-

[1] *Decreta authentica,* n. 3576, t. III, p. 143.

[2] Cf. S. Rit. Congr., in *Molinen.,* 12 sept. 1857, ad 11; *Decreta authentica,* n. 3059, t. II, p. 404.

niter inferunt doctores grave esse peccatum, si quis celebret, vel *sine ullo lumine* (licet agatur de viatico ministrando), vel *cum alio lumine ac cereo* (excepto casu necessitatis, non meræ devotionis)[1].

2° *Numerus cereorum.*

A. Numerus cereorum in *missis lectis.* — 1. *Regula generalis est duos tantum cereos permitti in missis lectis.* — Constat *jurisprudentia constanti* Sanctæ Sedis quæ perpetuo prohibuit ne plures accenderentur cerei, reservato Episcopis et Cardinalibus numero cereorum quaternario. Sic S. Rit. Congr., aut potius Alexander VII, decreto 27 sept. 1659, n. 21, stricte jussit ut *Prælati Episcopo inferiores*, usum Pontificalium habentes, *in missis privatis*, « *duas tantum candelas* super altare adhibeant[2]; » — idem jussit S. Rit. Congr. pro *canonicis* usum pontificalium habentibus, decreto 27 aug. 1822, n. 24[3], quod confirmavit Pius VII const. *Decet Romanos,* 4 non. julias an. 1823[4]; — idem omnino jussit Pius IX, *pro Protonotariis ad instar,* const. *Apostolicæ,* 4 kal. sept. 1872, n. 18[5]; imo *ib.*, n. 22, hoc extendit ad *cæteros Romanæ Curiæ prælatos :* quæ locutio complectitur Protonotarios *honorarios*, imo et Protonotarios ipsos *participantes*[6]; —

[1] S. Alph., lib. VI, n. 394; — d'Annibale, *Summula,* ed. 3ª, t. III, n. 400, p. 318.

[2] *Decreta authentica,* n. 1131, t. I, p. 234. — Jam, ante decretum an. 1659, S. Rit. Congr. declaraverat Protonotarios non posse quatuor cereos ad altare adhibere; in una *Castri Durantis,* 7 aug. 1627; *Decreta authentica,* n. 441, t. I, p. 114.

[3] *Ibid.*, n. 2624, t. II, p. 203.

[4] *Ibid.*, p. 204.

[5] *Ibid.,* n. 3262, t. III, p. 17; — vel etiam *Pii IX Acta,* t. VI, p. 69.

[6] Cæterum, hi Protonotarii *participantes* jam tenebantur cit. decreto Alexandri VII, n. 21, juxta Riganti, *De Protonotariis apostolicis,* Romæ, 1751, p. 132; — cf. etiam *Analecta juris pontificii,* ser. III, p. 699; hujus tamen ephemeridis auctor dicit usum, suo tempore, esse contrarium.

has autem regulas perpetuo applicari jussit S. Rit. Congr., v. g., pro *canonicis*, tum in *Spoletana*, 20 sept. 1681, ad 1[1], tum in *Senen.*, 20 julii 1686, ad 1[2] : quæ posterior responsio extenditur ad quemlibet presbyterum *Episcopo inferiorem*. Unde de prohibitione accendendi quatuor cereos omnino constat. — 2. Huic regulæ generali datur duplex exceptio, nempe : *a*. Quando *Episcopus* (vel Cardinalis) celebrat missam privatam, ut constat *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, c. xxix, n. 4, ubi dicitur *in festis solemnibus* (celebrante Episcopo) *decere apponi quatuor cereos*, *in aliis sufficere duos :* quod tamen ita intelligitur, ut etiam in festis minus solemnibus possint quatuor, imo plures, apponi, licet duo sufficiant[3]; — *b*. Quando, etiam simplici presbytero celebrante, agitur de missa *non stricte privata*, ad normam hujus responsionis S. Rit. Congr., in *Molinen.*, 12 sept. 1857, ad 7 et 9 : « Ad 7. Servanda esse quidem decreta quoad missas stricte privatas; sed, quoad missas *parochiales* vel *similes*[4], diebus *solemnioribus*, et quoad *missas quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ*, *occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis*, *tolerari posse duos ministros missæ inservientes...;* » et, ad 9, ubi quærebatur de *quatuor cereis :* « Provisum in 7; » quod indicat etiam tunc tolerari posse quatuor cereos[5]. In eodem sensu respondit in *Northantonien.*, 6 febr. 1858[6]. Notandum tamen missam *parochialem*, pro qua, etsi lecta, permittuntur quatuor cerei, non esse præcise eam quæ a parocho

[1] *Decreta authentica*, n. 1681, t. I, p. 356.

[2] *Ibid.*, n. 1771, t. I, p. 379.

[3] Cf. Catalanum, *Cæremoniale Episcoporum*, in hunc locum; — de Herdt, *Praxis episcopalis*, Lovanii, 1873, t. I, p. 344.

[4] V. g., missas *communitatis*, ut infero ex ipsis *quæsitis*, ad 7 et 9.

[5] *Decreta authentica*, n. 3059, t. II, p. 406.

[6] *Ibid.*, n. 3065, t. II, p. 410.

applicatur *pro populo* (ut resolvit S. Rit. Congr. in *Tiburtina*, 7 sept. 1850)[1], sed eam quæ, sive applicetur *pro populo*, sive non applicetur, celebratur diebus dominicis vel festis *in commodum populi* ad ecclesiam confluentis, ut concluditur ex duabus cit. responsionibus S. Rit. Congr.

B. Numerus cereorum in *missis cantatis et solemnibus.* — In missis *solemnibus* (nempe cum diacono et subdiacono), adhiberi possunt, imo sæpissime debent, sex cerei accensi, ut concluditur ex *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, c. XII, n. 11, 22, 23, 24, et supponunt *Rubricæ missalis*, part. II, tit. IV, n. 4-5. Et idem dicendum de missa *cantata* sine ministris, ut fert unus universalis et respondit S. Rit. Congr., in *Baionen.*, 25 sept. 1875, ad 1[2]. Eadem respondit : « In missis de Requiem cum cantu *saltem quatuor* » requiri cereos, in *Briocen.*, 12 aug. 1854, ad 7[3].

C. Numerus cereorum in *missis pontificalibus.* — Quando Episcopus missam celebrat in *pontificalibus*, tunc, præter sex requisita candelabra cum cereis, ponitur *septimum candelabrum*, pone ipsam crucem et proinde in medio sex dictorum candelabrorum; constat *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, c. XII, n. 12. — Sed ut hoc septimum candelabrum poni possit, tria requiruntur : 1. Ut celebrans sit *Episcopus*, non vero Prælatus inferior, ut constat cit. decreto Alexandri VII, n. 1[4], nec Protonotarius cujuscumque gradus, aut alius Prælatus curiæ Romanæ, ut constat cit. Pii IX const. *Apostolicæ*, an. 1872, n. 15 et 22, nec, a fortiori, canonicus usum habens pontificalium, ut constat cit. decreto Pii VII, an. 1822, n. 4; — 2. Ut

[1] *Decreta authentica*, n. 2984, t. II, p. 366.

[2] *Ibid.*, n. 3377, t. III, p. 63.

[3] *Ibid.*, n. 3029, t. II, p. 386.

[4] Jam ante hoc decretum S. Rit. Congr. in eodem sensu responderat tum in *Firmana*, 28 jan. 1606 (*Decreta authentica*, n. 198, t. I, p. 51), tum in *Neapolitana*, 18 martii 1617 (*Ibid.*, n. 348, t. I, p. 100).

hic episcopus celebrans sit *loci Ordinarius,* non vero Episcopus *extraneus,* nec *Suffraganeus* (Auxiliaris), uti respondit S. Rit. Congr. in *Bracharen.,* 1 sept. 1607[1], nec Episcopus *administrator,* uti respondit eadem Congr., in *Sarsinaten.,* 22 aug. 1722, ad 6[2]; — 3. Ut agatur de *missa solemni,* non vero de vesperis, nec de missa defunctorum, ut respondit eadem S. Congr. in *Placentina,* 19 maii 1607, ad 8[3]. — Horum omnium ratio est quia jus *septimi candelabri* restringendum est ad illas personas, et ad illos casus, de quibus agit *Cæremoniale Episcoporum,* loc. cit.

3° *Qualitas cereorum.* — Debent esse ex *cera* vera et genuina, nempe ex *cera apum*, ut constat ex cit. *rubrica,* quæ computat inter defectus vitandos « si non adsint luminaria *cerea* ». Unde prohibentur candelæ ex *sebo* (suif)[4], etiam ex *sebo defæcato* (*stéarine*), uti respondit S. Rit. Congr. in *Massilien.,* 16 sept. 1843[5], et in *Divionen.,* 7 sept. 1850 : quæ utraque responsio confirmata est in *Policastren.,* 4 sept. 1875[6]; item prohibentur, et propter eamdem rationem, luminaria ex oleo, vel alia materia (*gaz, électricité*). — Et quod dicitur de cereis missæ privatæ, extendendum est ad missas cantatas, solemnes, etc., quia nempe *rubricæ* perpetuo supponunt candelas *cereas;* sic in *Cæremoniali Episcoporum,* lib. I, c. XII, n. 11, pro missa solemni, requiruntur super sex candelabris *cerei* albi (cf. etiam n. 12, 16, etc.). — De quo notanda tria :

a. Quando satisfactum est legibus liturgicis circa qualitatem luminarium, non prohibetur quin, ad majorem eccle-

[1] *Decreta authentica,* n. 236, t. I, p. 63.
[2] *Ibid.,* n. 2274, t. II, p. 38.
[3] *Ibid.,* n. 235, t. I, p. 62.
[4] *Ibid.,* n. 3063, t. II, p. 409, in *Carolinopolitana,* 10 dec. 1857.
[5] *Ibid.,* n. 2865, t. II, p. 316.
[6] *Ibid.,* n. 3376, t. III, p. 63.

siæ illuminationem, alia lumina adhibeantur. In eo sensu respondit S. Rit. Congr., in *decreto* 4 junii 1895; ad hoc enim quæsitum : « Utrum lux electrica adhiberi possit in ecclesiis, » respondit : « Ad cultum, *negative;* ad depellendas autem tenebras ecclesiasque splendidius illuminandas, *affirmative;* cauto tamen ne modus speciem præ se ferat theatralem[1]. » — Ubi advertendum est lumina ex *gaz* vel lampades electricas, quando adhibentur ad depellendas tenebras vel ad ecclesias splendidius illuminandas, non posse poni *super ipsum altare*, ut constat tum ex rubrica *Missalis :* « *Super altare* nihil omnino ponatur, quod ad missæ sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat[2], » tum ex responsione S. Rit. Congr., in *Novarcen.* (Newark), 8 martii 1879, in qua ad hoc quæsitum : « An *super altari*, præter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz*, vel an usus prædictus prohiberi debeat, » respondit : « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam[3]. » Quod applicandum est lampadibus electricis, ex alia responsione S. Rit. Congr., in *Natcheten.*, 16 maii 1902[4], ubi se refert S. Congregatio ad duo prædicta responsa an. 1879 et 1895. Unde hæ lampades possunt quidem vel suspendi e proximis columnis aut lignis, vel poni super gradus altaris (*gradins de l'autel*), non vero super ipsum altare.

b. Requiritur, ut dictum est, *cera apum;* attamen non prohibetur parva mixtio materiæ alienæ; sicut enim vinum dicitur et remanet *vinum*, licet ei misceatur parva quantitas aquæ, sic cera apum remanet et dicitur *cera*, licet ei

[1] *Decreta authentica,* n. 3859, t. III, p. 287.

[2] *Rubricæ generales Missalis,* pars I, n. 20, in fine.

[3] *Acta S. Sedis,* t. XXXIV, p. 760 (hæc responsio, licet non inveniatur in *Decreta authentica,* est omnino genuina, ut constat attestatione Secretarii S. Congr., *ibid.,* p. 760, relata).

[4] *Acta S. Sedis, ibid.*

admisceatur parva quantitas materiæ extraneæ, modo tamen hæc non excedat circiter 25 aut 33 partes e centum partibus.

c. Ut ad luminaria liturgica adhibeatur alia materia ac *cera apum*, requiritur *indultum;* nec desunt, præsertim pro locis missionum, indulta, vi quorum permittitur usus luminis, v. g., ex quadam cera vegetali, vel ex adipe ceti (*baleine*), vel ex sebo defæcato, vel ex carbone fossili[1].

4° *Varia adjuncta cereorum :*

a. *De candelabris*, materia candelabrorum rubrica non præscribitur, nisi pro missa solemni pontificali, pro qua dicitur in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, c. XII, n. 11 : « Adsint candelabra sex argentea, si haberi possint; sin minus, ex aurichalco, aut cupro aurato nobilius fabricata; » unde pro cæteris missis, sufficit quælibet materia decens. — Hæc autem candelabra debent super altare poni, ut fert rubrica (*Rubricæ missalis*, part. I, tit. XX); unde « usus, pro missa privata, duorum candelabrorum *hinc et hinc parieti, altare fere tangenti, infixorum* », minus placuit S. Rit. Congregationi, in *Cameracen.* 16 sept. 1865, ad 1[2]. — Tolerari autem potest hæc candelabra velo tegi, etiam intra missam, exceptis diebus solemnibus, uti respondit eadem S. Congr. in eadem *Cameracen.*, ad 2[3]. — Item toleratur « usus cereorum fictorum ex metallo (*souches*), in quibus machina quadam introducitur cereus »; ita S. Congr. in una *Societatis Jesu,* 11 maii 1878, ad 13[4].

b. *De tertio cereo in missa privata.* — In *Rubricis mis-*

[1] Videas plura hujusmodi indulta in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 838-841, p. 307-308; n. 1968-1972, p. 791-792.

[2] *Decreta authentica,* n. 3137, t. II, p. 448.

[3] Licet aliter responderit, tum in *Molinen.,* 12 sept. 1857, ad 11 (*Decreta authentica,* n. 3059, t. II, p. 404), tum in *Collen.,* 31 aug. 1872 (*Ibid.,* n. 3266, t. III, p. 20).

[4] *Decreta authentica,* n. 3448, t. III, p. 92.

salis, part. I, tit. xx, dicitur : « Ab eadem parte Epistolæ *paretur cereus, ad elevationem sacramenti accendendus.* » Hoc præceptum fere ubique terrarum in desuetudinem abiit, ut jam suo tempore sanctus Alphonsus notabat[1]. Hinc S. Rit. Congr. consuetudinem non accendendi tertium cereum pro consecratione servari posse declaravit, in *Urgellen.*, 30 dec. 1881, ad 11[2]; quod jam æquivalenter declaraverat in cit. *Societatis Jesu*, 11 maii 1878, ad 17[3]. Hæ quidem responsiones ad 11 et ad 17 omissæ sunt in nova editione *Decr. auth.* (n. 3448, 3535); non putaverim tamen inde reprobatam dictam consuetudinem; *omissio* enim alicujus decreti vel responsionis non est eo ipso ejus *revocatio*, ut patet ex decreto *Urbis et Orbis*, 16 febr. 1898, initio novæ editionis relato.

N. B. Pro cæteris sacris utensilibus minoris momenti, v. g., *tabellis*, *missali*, *campanula*, *ampullis*, etc., vide liturgistas[4].

§ 5. De benedictione et execratione paramentorum.

128. — Paramenta quæ benedici debeant. — Vox *Paramenta* hic in sensu latiori sumitur, et complectitur ea omnia de quibus in hoc capite locuti sumus (præter calices et patenas, de quorum *consecratione* egimus in paragrapho 1), nempe *sacra linteamina*, *vestes sacerdotales*, et *ornatum calicis et altaris*. Porro :

1° *De sacris linteaminibus.* — *Corporale* et *palla* certo

[1] Libro VI, n. 394.

[2] Gardellini, *Appendix*, n. 5830.

[3] Gardellini, *Appendix*, n. 5728.

[4] V. g., de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars 1, n. 186 sq., Lovanii, 1863, t. I, p. 226.

benedici debent; constat pro utroque *Rubricis missalis*, part. II, tit. I, n. 1 : « *Corporale*... ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum *palla benedictum;* » et iterum, pro *corporali*, part. III, tit. X, n. 1. — *Purificatorium* autem benedictione non eget, ut constat ipso silentio rubricarum, quæ dum diligentissime et pluries jubent benedici alia linteamina, de purificatorio dicunt tantum illud debere esse *mundum* (part. II, tit. 1, n. 1); unde in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in *Tuden.*, 7 sept. 1816, ad 12[1].

2° *De vestibus sacerdotalibus.* — Sex vestes sacerdotales, quas supra indicavimus, nempe *amictus* et *alba*, *cingulum*, *manipulus*, *stola* et *planeta*, benedici debent; constat pro omnibus claro textu *Rubricarum missalis*, part. II, tit. I, n. 2 : « Accedit (sacerdos) ad paramenta quæ... *debent esse* ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente, *benedicta;* » porro *paramenta*, de quibus hic agit rubrica, sunt *sex vestes sacerdotales*, quas induere debet sacerdos celebraturus, et quas deinde singulatim numerat rubrica. — Et hoc præceptum, pro *vestibus sacerdotalibus*, iteratur part. III, tit. X, n. 1. — Unde benedicendæ sunt hæ vestes, etiam *cingulum*, quidquid olim de eo dixerunt aut adhuc hodie dicunt quidam, sub prætextu quod non sit vestis[2]. — Sed aliæ vestes, v. g., *pluviale* seu *cappa*, *tunica* subdiaconi, *dalmatica* diaconi, itemque *tunicella* et *dalmatica* Episcopi non egent benedictione (licet dubitent aliqui[3]), propter altum hac de re silentium rubricarum tum in *Missali*, tum in *Cæremoniali Episcoporum* (l. II, c. VIII). — Nec dicas in *Pontificali*, part. II, sub titulo *benedictio specialis cujuslibet indumenti* nominari *tunicam*, *dalmaticam*, etc.; nam

1 *Decreta authentica*, n. 2572, t. II, p. 166.
2 De quo cf. Bened. XIV, *Inst.*, XXI, n. 12.
3 V. g., de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars I, n. 168, t. I, p. 203.

ex hoc sequitur tantum eas *posse* benedici, sicut *possunt* benedici crux, imagines, arma, ensis, vexilla, de quibus ponuntur in eodem *Pontificali* benedictiones speciales. — Nec addas tunicam, dalmaticam, etc., debere benedici, quia sunt vestimenta sacra, quæ benedici jubet can. *Vestimenta*, 42, dist. I, De consecr., nam hic canon est prorsus apocryphus, a Pseudo-Isidoro confictus.

3° *De ornatu calicis et altaris.* — *Mappæ altaris* debent benedici; constat claro textu *Rubricarum missalis*, part. I, tit. xx : « Hoc altare operiatur *tribus mappis* seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem *benedictis;* » quod repetitur part. III, tit. x, n. 1. — Quoad autem *velum* calicis et *bursam*, item quoad *antipendium* et *crucem*, non egent benedictione, ob silentium rubricarum hac de re. Et ita omnes.

129. — Minister benedictionis paramentorum.

1° *De Episcopis.* — Episcopus est *minister ordinarius benedictionis paramentorum*, sicut et aliarum benedictionum et consecrationum. — Hic enim actus, nempe benedictio paramentorum, annexus est ordini episcopali, non quidem jure divino, sed jure ecclesiastico : quod constat ex traditione ecclesiastica; sic : 1. Jam, in concilio Pictaviensi, an. 1100, can. 4, legitur : « Ut nullus vestimenta sacerdotalia vel altaris utensilia, *præter Episcopum*, benedicere præsumat[1]; » — 2. Innocentius III, in suo opere *De sacro altaris mysterio*, lib. I, c. IX, postquam notavit *munera presbyteris et Episcopis communia*, sic addit *munera specialia Episcoporum :* « Sed *specialiter ad pontifices spectat* clericos ordinare, pontifices consecrare..., basilicas dedicare, synodos celebrare, chrisma conficere, *vestes et vasa*

[1] Mansi, *Concilia*, t. XX, col. 1123.

consecrare[1]; » — 3. Cit. *rubricæ* dicunt perpetuo : « Paramenta, vestes, mappæ,... *ab Episcopo,* vel ab alio facultatem habente benedicta, » Episcopum tanquam primarium et ordinarium ministrum indicantes. Ita et *Rituale,* tit. VIII, c. XX, ponit *benedictionem sacerdotalium indumentorum* sub rubrica : « Benedictiones *ab episcopis* vel aliis facultatem habentibus faciendæ. » — Unde Episcopus est minister ordinarius benedictionis paramentorum. — De quo notanda duo : 1. Episcopus non potest *licite* (licet valide agat) benedicere paramenta in diœcesi aliena, sine licentia Ordinarii loci, quia, ut patet ex dictis, benedicere paramenta est exercere *pontificalia;* porro, vi concilii Trid. c. *Nulli,* 5, sess. VI, De REF., prohibitum est Episcopo exercere pontificalia in diœcesi aliena sine Ordinarii loci licentia[2]; — 2. Attamen nullam pœnam incurrit, quia pœnæ in hoc capite *Nulli* sancitæ non respiciunt omnia *pontificalia,* sed tantum *sacram ordinationem,* quod ex ipso textu stricte intelligendo patet.

2° *De Abbatibus.* — Abbates benedicti *fruuntur facultate benedicendi paramenta.* — Hæc facultas pertinet ad abbates, non quidem jure proprio et ratione dignitatis, nec etiam proprie ratione *consuetudinis,* quia consuetudo est inefficax ad acquirendum ea quæ sunt *ordinis,* ut clare statuitur tum c. *Quando,* 4, De CONSUETUDINE, tum c. *Aqua,* 9, De CONSECRATIONE ECCLESIÆ, sed ratione privilegiorum particularium quæ ad omnes abbates extensa sunt, vel, ut quidam dicunt, ratione privilegii generalis omnibus concessi[3]. Cæterum certa est illorum hac in re facultas,

[1] Migne, t. CCXVII, col. 779.

[2] Cf. Bened. XIV, *Inst.,* XXI, n. 15.

[3] Cf. Petra, in *Const.* 6 *Urbani IV,* n. 24, Venetiis, 1741, t. III, p. 181; — Tamburini, *De jure abbatum,* disp. XXII, q. I, II, III, Lugduni, 1650, t. I, p. 335.

quam clare recognovit S. Rit. Congr., in *Tirasonen.*, 16 maii 1744, ad 1 [1]. — Verum, juxta *decretum* Alexandri VII *De usu pontificalium*, 27 sept. 1659, n. 18, Abbates non possunt benedicere paramenta nisi « pro servitio dumtaxat *suarum ecclesiarum vel monasteriorum* [2] » ; unde in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in cit. *Tirasonen.*, ad 2.

3° *Prælati regulares*, sive generales, sive provinciales, sive locales, *fruuntur etiam plerumque eadem potestate.* — Plerique enim habent ad hoc privilegium apostolicum, concessum sive directe, sive per communicationem privilegiorum. Sic Leo X, brevi *Religionis suadet*, 3 febr. 1515, concessit Fratrum Minorum Prælatis ut possint « *paramenta* et *ornamenta* ac *alia quæcumque ad divinum cultum* et usum vestrum necessaria, *in quibus chrisma non intervenit, pro vestro usu tantum*, solemni benedictione benedicere [3] ». Unde, ipso facto, vi communicationis, hoc privilegium acquiritur omnibus aliis ordinibus mendicantibus [4]. Alii etiam permulti regulares idem privilegium hoc vel illo modo adepti sunt. Unde quique stare debent suis privilegiis. — Notandum est, juxta responsionem S. Rit. Congr., in cit. *Tirasonen.*, ad 3, hoc privilegium non eis competere, *nisi pro usu suarum ecclesiarum vel monasteriorum*, nisi aliud expresse in ipso privilegio caveatur.

4° *De aliis ad hoc a S. Sede delegatis.* — Aliquando etiam S. Sedes alios simplices presbyteros delegat ad benedicenda paramenta, v. g., in locis missionum. — Notan-

[1] *Decreta authentica*, n. 2377, t. II, p. 86.

[2] *Ibid.*, n. 1131, t. I, p. 234.

[3] *Bullarium Fratrum Minorum*, Romæ, 1750, t. VI, p. 217.

[4] Directe concessum est Trinitariis, a Gregorio XIII, brevi *Exposcit*, 7 oct. 1575 (*Bull. rom.*, t. IV, pars 3, p. 310); — cf. etiam *Compendium privilegiorum S. J.*, v° *Benedicere*, §§ 2-3 (*Institutum S. J.*, Pragæ, 1757, t. I, p. 276).

dum est : 1. Solum privilegium *utendi pontificalibus* non importat *per se* privilegium benedicendi paramenta; alius est enim usus *insignium pontificalium*, aliud exercitium *actuum pontificalium* [1]; — 2. Unde *Protonotarii participantes*, licet habeant usum pontificalium, jus non habent benedicendi paramenta, ut communiter aiunt doctores [2], et ut respondit S. Rit. Congr., in una *Castri Durantis*, 17 julii 1627 [3].

130. — Quæritur 1° *Num Episcopus possit delegare presbyteros ad benedicenda paramenta.*

Resp. : 1° Quidquid dixit Quarti [4], docens Episcopum posse delegare simplicem presbyterum ad benedicenda paramenta, tenendum est Episcopum id efficere non posse; ratio est quia, ut supra demonstratum est, benedictio paramentorum est, pure et simpliciter, *actus ordinis episcopalis;* porro, ut clarissime statuitur c. *Aqua*, 9, De consecratione ecclesiæ : « Non obstante consuetudine provinciæ Bracharensis (quæ dicenda est potius corruptela), quia, licet episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, *quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* » Et nota bene in hoc capite agi, non de actu ordini episcopali reservato *jure divino*, sed de actu huic ordini reservato *jure ecclesiastico*, nempe de reconciliatione ecclesiæ pollutæ (in qua etiam reconciliatione non adhibetur unctio chrismatis). — Unde pluries respondit S. Rit. Congr., Episcopum non

[1] Cf. Petra, *loc. cit.*, n. 13-14.

[2] V. g., Riganti, *De Protonotariis apostolicis*, Romæ, 1751, p. 132, n. 215; p. 140, n. 299; — *Analecta juris pontificii*, ser. III, p. 700.

[3] *Decreta authentica*, n. 439, t. I, p. 114.

[4] *In Rubricas missalis*, pars II, tit. I, sect. IV, dub. 3, Venetiis, 1727, p. 147.

posse presbyteris, etiam Vicario Generali, aut Dignitatibus, delegare potestatem benedicendi paramenta, v. g., in una *Nullius Fulden.*, 22 sept. 1703, ad 2; — in cit. *Tirasonen.*, ad 4 [1].

2° Imo *consuetudo*, vi cujus Episcopus delegaret simplicibus presbyteris facultatem benedicendi paramenta, aut, in genere, exercendi actum ordini episcopali reservatum, reprobanda est, ut constat ex cit. c. *Aqua*, in quo damnatur ut *corruptela* hæc ipsa consuetudo.

3° Idcirco Episcopus non potest hanc potestatem benedicendi paramenta presbyteris delegare, nisi virtute *indulti pontificii*. In Gallia, Episcopi solent hanc potestatem presbyteris delegare; quod procul dubio licitum est; nam, anno 1862, in audientia habita a Pio IX præsentibus archiepiscopo Aquensi et pluribus sacerdotibus, cum D. Craisson, vicarius generalis, libello supplici Summo Pontifici oblato, inter alia petiisset *facultatem benedicendi paramenta*, respondit Pius IX alta voce et coram omnibus : « *J'ai donné à tous les évêques la faculté d'accorder cette permission;* » quod intelligo saltem de episcopis Galliæ, de quibus potissimum agebatur [2].

131. — Quæritur 2° *Num sit valida benedictio paramentorum a presbytero non rite delegato peracta.*

Resp. Tenet card. Petra, in *const. VI Urbani IV*, n. 21 [3], has paramentorum benedictiones a simplici presbytero, etiam sine requisita delegatione peractas, illicitas quidem

[1] *Decreta authentica*, n. 2119, 2377, t. I, p. 470; t. II, p. 86; — cf. etiam Bened. XIV, *Inst.*, XXI, n. 14.

[2] Hoc factum narrat idem D. Craisson, vir apprime doctus, in suo *Manuali totius juris canonici*, Parisiis, 1865, t. I, n. 1171, p. 604, et t. III, n. 4470, p. 372, et postea latius in suo opusculo *De la sépulture ecclésiastique*, n. 351, ed. 2, Valentiæ, 1868, p. 158.

[3] Venetiis, 1741, t. III, p. 181.

esse, sed *validas*, quia nempe, ait, presbyter in sua ordinatione, cum ei manus unguntur, recipit potestatem consecrandi et benedicendi, per hæc verba : « Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem, ut *quæcumque benedixerint, benedicantur, et quæcumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur...* » — Sed valde difficilis est hæc sententia; nam, quum tandem aliquando hoc totum pendeat a voluntate Ecclesiæ, et Ecclesia ordini episcopali *pure et simpliciter reservaverit* prædictam paramentorum benedictionem, ut constat documentis supra (n. **129**) allatis, valde difficile est demonstrare talem benedictionem, a simplici presbytero factam, esse validam; sicut enim ea quæ Christus ordini episcopali reservavit, sunt invalida si fiant a presbyteris, ita et ea quæ Ecclesia ordini episcopali reservavit, censenda sunt invalida si fiant a presbyteris, quia Ecclesia censenda est imitata fuisse institutionem ab ipso Christo peractam, nisi contrarium aperte demonstretur. Allegat quidem card. Petra glossam et Gonzalez; sed nihil inveni in locis cit.; quoad verba supra relata, quæ profert Episcopus in ordinatione presbyteri, intelliguntur de benedictionibus et consecrationibus quas Ecclesia committit simplicibus presbyteris, vel etiam de potestate aliqua initiali episcopales benedictiones peragendi, posita delegatione Romani Pontificis.

132. — Formula in benedictione paramentorum adhibenda. — Quando Episcopus benedicit paramenta, utitur formulis in *Pontificali romano* positis, part. II, sub titulis : *De benedictione sacerdotalium indumentorum in genere, — Benedictio specialis cujuslibet indumenti, — De benedictione* mapparum, corporalium. — Quando vero presbyter, rite deputatus, hæc benedicit, utitur formulis

descriptis sive in *Rituali*, sub iisdem fere rubricis (tit. VIII, c. XX, XXI, XXII), sive in *Missali*, circa finem. — Hoc de se intelligitur, et ita respondit S. Rit. Congr., in *Imolen.*, 2 dec. 1881, ad 1[1].

133. — Execratio paramentorum. — Jus canonicum nullam prævidet causam execrationis paramentorum. Unde de iis dicendum est quod supra de calice (n. **115**) dictum est, nempe nullam esse admittendam execrationis paramentorum causam, præter eam quæ quasi ex naturali jure oritur, nempe *quando paramenta ita amittunt propriam formam, sub qua benedicta sunt, ut non sint amplius apta ad usum suum.* Hinc :

1° Si, in aliquo paramento, pars separetur a toto, ita ut, stante hac separatione, licet per brevissimum tempus, non sit amplius aptum ad usum suum, amittit benedictionem, et hoc, sive separatio fiat per accidens, sive ex industria ad reficiendum paramentum.

2° Si paramenta per partes reficiantur, non amittunt benedictionem, juxta quod dicitur de ecclesiis, licet addatur pars non benedicta, modo sit minor parte extante : quæ pars nova fit benedicta ex conjunctione cum veteribus.

3° Si albæ detrahatur etiam una manica, amittit benedictionem, quia non est amplius apta ad usum; item si cingulum in duas partes scindatur, ita ut neutra sufficiat ad cingendum; item si ex alba fiant amictus, aut ex stola manipuli, etc.[2]. — Si pallæ detrahatur sua charta, non amittit benedictionem, sicut nec calix tornatilis, cujus pes separatur a cuppa.

[1] *Decreta authentica*, n. 3533, t. III, p. 123.
[2] Ita Benedictus XIV, *Inst.*, XXI, n. 12, in fine.

4° Si presbyteri schismatici vel hæretici utantur paramentis, hæc non amittunt benedictionem, ut de se intelligitur, et ut expresse cautum est in c. *A nobis*, 2, De sacramentis non iterandis; item proinde, si paramenta adhibeantur ad usus profanos [1].

§ 6. De taxa sacrorum utensilium.

134. — Prænotanda. — In hoc paragrapho quæritur num administratores ecclesiarum jus habeant percipiendi aliquam taxam pro sacris utensilibus, quæ præbent sacerdotibus in eorum ecclesias confluentibus ad sacra celebranda, nempe pro paramentis et vasis sacris, cera, pane, vino, etc. Distinguendum autem est inter missas beneficio, capellaniæ vel fundationi annexas, et proinde *perpetuas*, et missas *manuales*. Iterum rector aut administrator ecclesiæ potest duplici modo percipere hanc taxam, nempe vel retinendo aliquam partem eleemosynæ missarum seu manualium seu fundatarum, quas ipse sacerdotibus celebrandas committat, vel, si missas non committat celebrandas, exigendo solutionem alicujus taxæ.

135. — Quæsitum prævium : *Num teneatur parochus aut rector ecclesiæ admittere sacerdotes ecclesiæ extraneos ad celebrandum in sua ecclesia?*

Resp. : 1° Agimus de sacerdotibus *ecclesiæ extraneis;* nam si agatur de sacerdotibus vel ecclesiæ adscriptis, vel obligatis, ratione beneficii, capellaniæ, etc., ad celebrandum in tali ecclesia, patet eos debere admitti, sed servatis, ut patet, conventionibus et consuetudinibus; insuper suppo-

[1] Cf. Collet, *Traité des saints mystères*, c. x, n. 7-8, Paris, 1817, t. I, p. 288; — de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars I, n. 169, p. 207.

nimus sacerdotes extraneos, si sint alterius diœcesis, satisfecisse statutis diœcesanis de litteris commendatitiis Episcopi; alioquin nec possent admitti.

2° *Seclusa consuetudine*, non tenetur *ordinarie* parochus aut rector ecclesiæ admittere sacerdotes extraneos ad celebrandum in sua ecclesia, illisque præbere paramenta sacra. — Hæc videtur esse jurisprudentia S. Congregationum Rom. Sic S. Rit. Congr. in *Egitanien.*, 10 junii 1602, ad hoc quæsitum : « 3. An Episcopus possit cogere rectores ecclesiarum parochialium suæ diœcesis, ut vinum, hostias, paramenta et cætera ad celebrandum necessaria subministrent presbyteris, in eorum parochiis commorantibus, et in eorum ecclesiis celebrare volentibus, juxta antiquam consuetudinem, » respondit : « Episcopum *non posse cogere prædictos rectores, sed hortari*, et rectores recte facturos si monitionibus et hortamentis Episcopi pareant [1]. » Quam decisionem innovavit iisdem prorsus terminis, tum quoad capitulum curatum, in *Soanen.*, 31 maii 1698, tum quoad parochum, in *Nebien.*, 31 martii 1703 [2]. — Hanc disciplinam secuta est etiam S. Congr. Ep. et Reg., v. g., in una *Montis Falisci*, 15 maii 1699 [3].

3° Dixi tamen *ordinarie*, quia, ut dicunt doctores [4], si presbyteri raro, ex devotione, vel alia causa, celebrare vellent, rector ecclesiæ teneretur illos admittere et ad hoc cogi posse videtur ab Episcopo; non decet enim postulationem adeo rationabilem et divino cultui faventem repelli. — Insuper, si adsit consuetudo ut admittantur sacerdotes in tali ecclesia celebrare volentes, servari debet; talis enim

[1] *Decreta authentica*, n. 96, t. I, p. 25.

[2] *Ibid.*, n. 1999, 2107, t. I, p. 437, 467.

[3] Apud Giraldi, ad Barbosa, *De officio et potestate parochi*, pars I, c. XI, n. 52-53, Romæ, 1831, p. 106.

[4] V. g., Giraldi, ad Barbosa, *ibid.*, n. 53, p. 106.

consuetudo est rationabilis, imo laudabilis, nec eam rejecit in genere S. Rit. Congr., in cit. *Egitanien.*, sed tantum individuam allegatam consuetudinem insufficientem censuit. Hæc consuetudo existere videtur in Gallia, saltem in multis locis.

136. — Taxa utensilium quoad missas manuales. — Hæc dicenda :

1° *Si rector aut administratores ecclesiæ ipsi sacerdotibus committant missas celebrandas, nihil omnino possunt retinere de stipendiis traditis, si ecclesia sufficientes reditus habeat; si vero ecclesia sit pauper, possunt administratores retinere partem impensis celebrationis correspondentem.* — Constat utrumque ex *responsis* ad decreta an. 1625, nempe responso 7 : « Respondit permittendum non esse, ut ecclesiæ ac loca pia seu illorum administratores, *ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant, ratione expensarum quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiæ et loca pia alios non habent reditus,* quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc, quam portionem retinebunt, *nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessario sunt subeundæ;* et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas[1]. » Unde patet, si ecclesia sit pauper, administratores non posse retinere nisi quod respondet impensis ipsius sacrificii, non vero quidquam posse retinere pro reparanda aut ornanda ecclesia.

2° Si administratores nullas sacerdotibus committant

[1] *Bull. rom.*, t. IX, p. 464, vel ad calcem hujus voluminis, *documentum I.*

missas, sed ipsi sacerdotes suis intentionibus celebrent, tunc, *si sponte permittant sacerdotibus in sua ecclesia sacrum facere, nullam taxam ab eo exigere possunt, licet ecclesia sit pauper; attamen nullo modo tenentur eos admittere, nisi soluta taxa.* — Hæc videtur esse jurisprudentia S. Congr. Conc., ut concludere licet ex pluribus ejus responsionibus, v. g., ex *Derthonen.*, 28 junii, et 6 julii 1726, in qua, quum ageretur de ecclesia paupere [1], declaravit S. Congr. : « Ad 2. Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia, de quibus agitur, illis qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii sive capellaniæ, exceptis illis cum quibus habet conventiones particulares; et, *quoad missas adventitias, teneri ad dictam subministrationem quatenus permittat eos in sua ecclesia celebrare, nec teneri ad has missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes* [2]. » Et hæc est omnino doctrina Benedicti XIV, qui hanc eruit ex hac S. Congr. resolutione et ex alia ab ipso relata [3]. — De quo notanda tria : 1. Si ergo ecclesia sit dives, nullam taxam exigere potest pro missis adventitiis : quod concluditur ex supra relato responso 7. ad decreta an. 1625; si enim in hoc casu administratores nullam prorsus partem retinere possunt de eleemosynis, quas ipsi tradant, eadem fere ratione nihil possunt exigere, si nullas tradant eleemosynas; — 2. Quando magnus adesse soleat numerus celebrantium, solet exigi moderata taxa pro unaquaque missa, licet ecclesia non sit adeo pauper; quia alioquin mox pauper efficeretur; — 3. Quod dictum est de non exigenda taxa pro missis *adventitiis*, exceptionem recipit, juxta quosdam, ubi agatur de

[1] Teste Benedicto XIV, qui tunc erat Secretarius S. Congr. (*Inst.*, LVI, n. 13).

[2] *Thesaurus*, t. III, p. 331, 340.

[3] *Inst.*, LVI, n. 12-13, 24.

sacerdotibus qui *quotidie* in eadem ecclesia missas, licet adventitias, celebrant, ut mox explicabitur.

137. — Taxa sacrorum utensilium quoad missas perpetuas.

1° *De missis beneficio vel capellaniæ annexis;* hæc dicenda :

A. Si quis sacerdos in aliqua ecclesia celebret *ratione beneficii* vel *capellaniæ*, et *ecclesia sit pauper*, jus habent administratores exigendi taxam proportionatam pro sacris utensilibus. Concluditur *a fortiori* ex supra (n. **136**) relato *responso* 7 ad *decreta* an. 1625, et ita fert *jurisprudentia constans S. Congr. Conc.* Sic, in cit. *Derthonen.*, an. 1726, declaravit archipresbyterum non teneri ad subministrandum (gratis) sacra utensilia iis qui celebrant in ipsius ecclesia (quæ pauper erat), ratione beneficii aut capellaniæ [1]. Unde etiam in *Camerinen.*, 17 dec. 1740, 28 jan. et 9 sept. 1741 [2], post inquisitionem præceptam et factam de *statu activo et passivo* sacrarii, S. Congr., ad hoc quæsitum : « An capellani et alii sacerdotes, etiam canonici, celebrantes in ecclesia collegiata S. M., pro adimplendis *oneribus missarum propriis capellaniis vel sibi ipsis alio titulo quam ratione canonicatus incumbentibus*, teneantur contribuere sacristiæ dictæ ecclesiæ pro sacris supellectilibus, » respondit : « *Affirmative.* » Et ita omnes, et ratio est quia nulla ecclesia tenetur se subjicere, sine ulla compensatione, oneri, unde ipsa paulatim in statum deteriorem, imo in ruinam, decideret.

B. Si quis sacerdos in aliqua ecclesia celebret *ratione beneficii vel capellaniæ*, jus habent administratores, *licet*

[1] *Thesaurus*, t. III, p. 331, 340.
[2] *Ibid.*, t. IX, pars 2, p. 83; t. X, p. 14, 143.

ecclesia non sit pauper, exigendi taxam proportionatam pro sacris utensilibus. — De quo :

a. Hic non deest controversia; Benedictus XIV tenet, in hoc casu, nihil administratores exigere posse, ratione sacrorum utensilium, id prohibente supra relato (n. **136**) responso 7 ad decreta an. 1625 [1]; ita etiam de Albertis [2], eadem ratione ductus.

b. Attamen communiter receptum est, etiam in hoc casu, administratores percipere posse taxam sacrorum utensilium. — Nam : 1. Talis est jurisprudentia S. Congr. Conc. Sic, in *Auximana*, 18 nov. 1724, et 23 feb. 1726 [3], respondit : « Rectores beneficiorum, capellanos perpetuos, canonicos, obtinentes ultra canonicatum capellanias perpetuas, et ipsum capitulum pro rata onerum perpetuorum, teneri ad solutionem utensilium sacristiæ, ad rationem unius obuli pro qualibet missa, exceptis tantum a solutione utensilium missis adventitiis, et amplius. » Porro ecclesia, de qua agebatur, non erat pauper; imo in hac ipsa decisione supponitur eam satis fuisse divitem; alioquin missæ adventitiæ exceptæ non fuissent a solutione utensilium. — In eodem sensu, et independenter, aut fere independenter, a paupertate ecclesiarum, S. Congr. resolvit tum in *Romana*, 26 apr. et 10 maii 1727 [4]; — tum in alia *Romana*, 28 jan. et 24 martii 1736 [5]; — tum in tertia *Romana*, 11 apr. 1739, 3 et 24 sept. 1740 [6]; — tum in una *Civitatis Castelli*, 21 julii 1888 [7]; — 2. Hujus autem

[1] Benedictus XIV, *Inst.*, LVI, n. 12-13; *De synodo*, lib. V, c. IX, n. 3; *De sacrificio missæ*, pars II, n. 190.

[2] *De sacris utensilibus*, c. XIII, n. 30.

[3] *Thesaurus*, t. III, p. 97, 279.

[4] *Ibid.*, t. IV, p. 52, 55.

[5] *Ibid.*, t. VII, p. 196, 208.

[6] *Ibid.*, t. IX, pars 1, p. 27; t. IX, pars 2, p. 26, 28.

[7] *Ibid.*, t. CXLVII, p. 487; — cf. etiam S. Congr. Ep. et Reg., 28 martii 1879 (*Acta S. Sedis*, t. XII, p. 294, 297).

jurisprudentiæ ratio est quod irrationabile sit ut aliqua ecclesia, licet non sit pauper, *onus perpetuum sine ulla compensatione subeat;* nec extet ulla lex generalis, quæ ecclesias tali onere gravet; — 3. Nec obstat allegatum a Benedicto XIV responsum 7 ad decreta an. 1625; nam ut ex contextu patet, agitur in hoc responso de missis *manualibus;* nec potest extendi responsum ad missas *perpetuas,* quia, ut notat *folium* causæ cit. *Civitatis Castelli*[1], inter casum unum et alterum « diversitas notabilis est; nam aliud est onus perpetuum suscipere, aliud extraordinarie commodare utensilia »; — 4. Unde peritissimi hanc opinionem tuentur, v. g., Pitonius, Monacelli, Ferraris, etc.[2], unde et opinionem *communem* testantur *folia* cit. causæ *Camerinen.*, et causæ *Civitatis Castelli*[3]. — Taxa autem solvenda determinatur vel usu vel statuto episcopali.

2° *De missis fundationi annexis,* hæc dicenda :

A. In re de qua agimus, nempe de taxa utensilium, prorsus assimilandæ sunt missæ fundatæ (quales supra, in c. v, descripsimus) missis beneficio aut capellaniæ annexis; nam, in utroque casu, ecclesia gravatur onere perpetuo subministrandi sacra utensilia. Unde, quoad taxam utensilium, doctores has omnes missas communi vocabulo missarum *perpetuarum* miscent; imo S. Congr. Conc., in indulto ordinario *reductionis missarum fundatarum* (supra, n. **78**), cavet de parte reservanda ecclesiæ seu fabricæ : « Detractis nimirum, ultra manualem eleemosynam celebranti suppeditandam, necessario detrahendis pro admini-

[1] *Thesaurus*, t. CXLVII, p. 491.

[2] Pitonius, *De controversiis patronorum,* alleg. LIV, n. 46; alleg. C, n. 165 (Venetiis, 1733, t. I, p. 319; t. II, p. 232); — Monacelli, *Formularium,* t. IV, supp. tomi III, n. 181, p. 107; — Ferraris, v° *Utensilia,* n. 1-3.

[3] *Thesaurus,* t. IX, pars 2, p. 81; t. CXLVII, p. 490.

stratione et exactione redituum, sive *pro sacris utensilibus*, sive pro aliis necessariis expensis. »

B. Quoad partem retinendam ab administratoribus, hæc dicenda : 1. Si utraque pars, fabricæ nempe et celebrantis, determinata fuerit in tabulis fundationum, nulla difficultas; — 2. Si non fuerit determinata, dari debet celebranti stipendium, usu vel statuto episcopali taxatum pro missa fundata, et reliqua pars cedit fabricæ; quales enim, saltem ordinarie, apud nos (supra, n. **95**) instituuntur fundationes, habentur ut *pia legata*, *facta ipsis ecclesiis, cum onere numeri determinati missarum;* porro, ubi adsit legatum cum onere missarum, legatarius solvit stipendium solitum pro missis, et retinet quod reliquum est [1]; — 3. In quocumque casu, jus strictum habet fabrica ad taxam utensilium, ut dictum est, et proinde taxa retineri potest, licet inde stipendium celebrantis remaneat solito inferius.

138. — *N. B.* Si agatur de sacerdote celebrante in aliqua ecclesia missas *manuales* quidem, sed *quotidie* aut *fere quotidie*, putat Giraldi ei applicandam esse taxam sacrorum utensilium [2]. Et revera, quod spectat ad onus fabricæ, parum discriminis est inter sacerdotem qui celebrat missas *perpetuas*, et sacerdotem qui *perpetuo* celebrat missas manuales. — Attamen, in casu quo ipsi administratores ecclesiæ sacerdoti committant missas celebrandas, standum est supra relato responso 7 ad decreta an. 1625 (n. **136**), quia hoc responsum non distinguit inter missas manuales *plus minusve frequenter* celebratas.

[1] Cf. S. Congr. Conc., in *Romana, Legati*, 3 aug. 1658; *Acta S. Sedis*, t. IV, p. 41, n. 1.

[2] Giraldi, ad Barbosa, *De officio parochi*, pars I, c. XI, n. 53, Romæ, 1831, p. 107.

CAPUT IX

DE MINISTRO MISSÆ INSERVIENTE

139. — De necessitate ministri.

1° *Non licet sacerdoti celebrare missam sine ministro.* — Constat : 1. c. *Proposuit*, 6, De filiis presbyterorum, in quo Alexander III jubet ut presbytero in aliqua ecclesia instituto adjungatur clericus, hac data ratione : « Non enim *solus presbyter missarum solemnia*, vel alia divina officia *potest sine ministri suffragio celebrare*; » ubi verba *missarum solemnia* complectuntur tam missam privatam quam missam solemnem; non enim idem est missa solemnis ac missarum solemnia; — 2. *Consuetudine universali et constanti Ecclesiæ*, quæ oculis omnium obversatur, et quam testantur omnes doctores hac de re tractantes, v. g., auctores infra allegati; quæ consuetudo nititur, inter alia, ipsa natura rituum et precum in missa adhibitorum; hi enim ritus supponunt alium, præter sacerdotem, urceolos offerentem, missale in loco apto ponentem, etc.; item preces supponunt sacerdotem loquentem, et alium ipsi respondentem, etc. Præfata autem consuetudo tam clara et certa est, ut abunde suppleat, si quid forte desit ex parte juris scripti.

2° Tres excipiuntur casus : 1. Si agatur de viatico ministrando; præceptum enim divinum præcepto mere humano

prævalet; — 2. Si urgeat casus necessitatis, nempe si die dominico vel festivo, ubi adest præceptum audiendi missam, sacerdos non habeat ministrum; tunc enim, ne populus missa careat, potest sacerdos celebrare sine ministro; ita communiter doctores, qui gravius existimant præceptum audiendi missam diebus festivis præcepto non celebrandi sine ministro[1]; imo quidam id extendunt ad casum quo solus sacerdos careret missa die festo[2]; — 3. Si minister discedat, incepta missa, et, aliquantisper expectatus, non redeat; nec requiritur ut jam facta fuerit consecratio, nec offertorium; hoc enim exigit reverentia sanctissimo sacrificio debita[3].

3° Quando sacerdos in casibus prædictis, vel cum indulto apostolico, celebrat sine ministro, sibi ipsi respondet; non tamen, initio missæ, bis recitat *Confiteor,* sed semel tantum, uti respondit S. Rit. Congr., in *Erien.,* 4 sept. 1875, ad 1[4].

140. — De qualitate ministri.

1° Minister debet esse *masculus;* feminæ enim prohibentur ab altaris ministerio, ut constat c. *Inhibendum,* 1, De cohabitatione clericorum : « Prohibendum quoque est, ut nulla femina *ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare sive sedere.* » Unde

[1] Suarez, *In III*am *partem D. Thomæ,* disp. LXXXVII, sect. I, n. 7, ed. Vivès, t. XXI, p. 922; — de Lugo, *De sacramento Eucharistiæ,* disp. XX, n. 103, Venetiis, 1751, t. V, p. 356; — Th. Tamburini, *De sacrificio missæ,* lib. I, § 5, n. 4 (*Opuscula,* Venetiis, 1679, p. 227); — S. Alph., lib. VI, n. 391; — Quarti, *Rubricæ missalis commentariis illustratæ,* pars II, tit. II, dub. 1, Venetiis, 1727, p. 154; — Gavantus-Merati, *Thesaurus sacrorum rituum, Rubricæ missalis,* pars II, tit. II, n. 5, Venetiis, 1823, t. I, p. 184.

[2] Tamburini, *loc. cit.;* — Quarti, *lo. cit.;* — Merati, *loc. cit.;* — nec contrarius est S. Alph., *loc. cit.,* imo nec Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 52, Lovanii, 1762, t. II, p. 79.

[3] Tamburini, *loc. cit.,* in fine; — S. Alph., *loc. cit.*

[4] *Decreta authentica,* n. 3368, t. III, p. 59.

dicitur in *Rubricis missalis*, pars III, *De defectibus*, tit. x, n. 1 : « Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit, ut... si non adsit clericus vel alius deserviens in missa, vel *adsit qui deservire non debet, ut mulier.* » Imo communiter doctores gravius censent celebrare cum femina ministrante, quam sine ministro[1], propter periculum et scandalum. — Attamen id intelligitur de muliere quæ solito modo ministret, v. g., præbendo urceolos, deferendo missale, etc., non vero de muliere quæ tantum respondeat a longe; in casu enim necessitatis, sacerdoti uti licet ministerio mulieris tantum a longe respondentis, uti resolvit S. Rit. Congregatio, tum in *Veronen.*, 27 aug. 1836, ad 8, ubi, ad hoc quæsitum : « Potestne sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quæ ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis, » respondit : « *Affirmative, urgente necessitate*[2]*;* » tum in *Alatrina*, 18 martii 1899, ad 6, ubi, ad hoc quæsitum : « An in conservatoriis puellarum missæ a capellano inservire possit, extra cancellos vel longius ab altari, aliqua ex puellis vel monialibus, quum non facile sit alium inservientem invenire, » respondit : « *Affirmative in casu et ex necessitate*[3]. » — De quo notanda duo : 1. Ut sacerdos possit uti ministerio mulieris respondentis, non requiritur tanta necessitas quæ ipsi permittat celebrare sine ministro, juxta supradicta, sed sufficit ut sacerdos, cum sedulam diligentiam adhibuerit ut ministrum aptum habeat, non inveniat; ita enim in casu *necessitatem* interpretata est consuetudo; unde quum S. Rit. Congregatio, in *Cadurcen.*,

[1] Ita Suarez, Quarti, Tamburini, *loc. cit.;* — Merati, *loc. cit.*, n. 4, p. 183; — S. Alph., *loc. cit.*, n. 392.

[2] *Decreta authentica*, n. 2745, t. II, p. 265.

[3] *Ibid.*, n. 4015, t. III, p. 358.

4 aug. 1893, ad hoc quæsitum : « An urgens dici potest necessitas in casu quo sacerdos sacrosanctum missæ sacrificium celebrare non potest, quod minime necessarium est neque ad sacramentum pro infirmo conficiendum, nec ad præceptum implendum, » respondisset : « *Negative*[1], » postea, novis propositis motivis, sententiam mutavit, scriptaque epistola ad episcopum Cadurcensem, respondit, die 12 jan. 1894 : « Præfati diei (4 aug. 1893) rescriptum non esse executioni mandandum[2]; » — 2. Quando sacerdos uti cogitur ministerio mulieris respondentis, curat ut sibi ante missam præparentur ea omnia quæ ad sanctum sacrificium necessaria sunt, v. g., urceoli, ita ut mulieri non sit accedendum ad altare.

2° Minister debet esse *ministerio suo idoneus*, id est, quæ sibi in missa agenda sunt edoctus, et ad respondendum aptus; quod per se patet, et de hoc curare debent rectores ecclesiarum, ad quas confluunt sacerdotes missam celebraturi. — Notant tamen doctores ipsum sacerdotem de suo ministro minus idoneo non debere esse sollicitum; facile enim reparare potest defectus ab ipso commissos, vel supplere quæ minus recte respondet[3].

141. — De numero ministrorum.

1° *Numerus ministrorum in missis lectis.*

A. *Regula generalis est unum tantum ministrum adhiberi posse in missis lectis.* — Constat *jurisprudentia constanti* S. Rit. Congregationis, quæ perpetuo prohibuit ne plures adhiberentur ministri, reservata Episcopis et Cardinalibus pluralitate ministrorum. Sic S. Rit. Congregatio aut potius Alexander VII, decreto 27 sept. 1659, n. 21,

[1] *Acta S. Sedis*, t. XXVI, p. 572.
[2] *Acta S. Sedis*, *ibid.*
[3] Cf. S. Alph., n. 391, et alios auctores supra allegatos.

stricte jussit ut *Prælati Episcopo inferiores*, usum pontificalium habentes, *in missis privatis*, « a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde..., *unico sint contenti ministro*[1]; » idem jussit S. Rit. Congregatio pro *canonicis* usum pontificalium habentibus, decreto 27 aug. 1822, n. 24[2], quod confirmavit Pius VII const. *Decet Romanos*, 4 non. julias an. 1823[3]; idem jussit Pius IX, pro *Protonotariis ad instar*, const. *Apostolicæ*, 4 kal. sept. 1872, n. 18[4]; imo, *ib.*, n. 22, hoc extendit ad *cæteros Romanæ curiæ Prælatos*, quæ locutio complectitur Protonotarios *honorarios*, imo et Protonotarios ipsos *participantes*[5].

B. Huic regulæ generali datur duplex exceptio : 1. Quando Episcopus (vel Cardinalis) celebrat missam privatam, ut constat *Cæremoniali Episcoporum*, l. I, c. XXIX, ubi supponuntur duo vel tres capellani, cottis induti, Episcopo ministrantes, præter unum familiarem qui ministret aquam post offertorium et communionem; — 2. Quando, etiam simplici presbytero celebrante, agitur de missa *non stricte privata*, ad normam hujus responsionis S. Rit. Congr., in *Molinen.*, 12 sept. 1857, ad 7 : « Ad 7. Servanda esse quidem decreta quoad missas stricte privatas; sed, quoad missas *parochiales*, vel *similes*[6], diebus *solemnioribus*, et quoad *missas quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos ministros missæ inser-*

[1] *Decreta authentica*, n. 1131, t. I, p. 234. — Jam, ante decretum an. 1659, S. Rit. Congr. declaraverat *Protonotarios* non posse uti quatuor candelis et *duobus ministris cum cotta*; in una *Castri Durantis*, 7 aug. 1627 (*Decreta authentica*, n. 441, t. I, p. 114).

[2] *Ibid.*, n. 2624, t. II, p. 203.

[3] *Ibid.*, p. 204.

[4] *Ibid.*, n. 3262, t. III, p. 17, vel etiam Pii IX *Acta*, t. VI, p. 69.

[5] Cæterum hi Protonotarii *participantes* jam tenebantur cit. decreto Alexandri VII, ad 21.

[6] V. g., missas *communitatis*, ut infero ex ipsis quæsitis ad 7 et 9.

vientes[1]. Notandum tamen missam *parochialem*, pro qua, etsi lecta, permittuntur duo ministri, non esse præcise eam quæ a parocho applicatur *pro populo*, sed eam quæ, sive applicetur *pro populo*, sive non applicetur, celebratur diebus dominicis vel festis *in commodum populi* ad ecclesiam confluentis (cf. supra, n. **127**, 2°).

2° *Numerus ministrorum in missis solemnibus.* — In missa *solemni*, id est, cantata cum diacono et subdiacono, ministrant, præter hos ministros sacros, cæremoniarius, thuriferarius, duo acolythi, et ceroferarii; adsunt etiam cantores; patet ex ipsis rubricis missæ solemnis (*Rubricæ missalis*, part. II, tit. II, n. 5; tit. IV, n. 4, etc.), et universali consuetudine. — Quoad *presbyterum assistentem* (nempe ultra diaconum et subdiaconum), hunc adhibendi jus habent tum Episcopi, ut constat *Cæremoniali Episcoporum*, l. I, c. VII, n. 1, tum Prælati Episcopo inferiores, si usum pontificalium habeant, ut constat cit. decreto Alexandri VII, 29 sept. 1659, n. 7. Hunc autem presbyterum assistentem adhibendi facultatem non habent, *jure communi*, alii sacerdotes, ut fert constans jurisprudentia S. Rit. Congr., v. g., in *Pistorien.*, 15 martii 1721[2]; in una *Montis Pessulani*, 11 julii 1857, ad 1[3]; in *Jacen.*, 28 julii 1876, ad 2[4]; in alia *Jacen.*, 30 jan. 1878, ad 2[5]; et hoc, licet sint canonici, ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ, in *Oriolen.*, 7 aug. 1628[6]; in *Baren.*, 3 aug. 1839, ad 1[7]; in *Lucana*, 7 dec. 1844, ad 2[8]; in *Drepanitana*, 27 febr. 1847[9];

[1] *Decreta authentica*, n. 3059, t. II, p. 406.
[2] *Ibid.*, n. 2271, t. II, p. 37.
[3] *Ibid.*, n. 3057, t. II, p. 403.
[4] *Ibid.*, n. 3408, t. III, p. 75.
[5] *Ibid.*, n. 3442, t. III, p. 90.
[6] *Ibid.*, n. 475, t. I, p. 120.
[7] *Ibid.*, n. 2794, t. II, p. 287.
[8] *Ibid.*, n. 2867, t. II, p. 317.
[9] *Ibid.*, n. 2933, t. II, p. 344.

licet sint Dignitates, aut prima Dignitas, in *Matheranen.*, 28 junii 1642[1]; in *Senen.*, 20 julii 1686[2]; in *Dianen.*, 19 sept. 1883, ad 1[3]; imo, licet celebrent in diebus solemnioribus, loco Episcopi impediti, ut in cit. *Montis Pessulani,* ad 2; in cit. *Dianen.*, ad 2. Quorum omnium ratio est, quia, licet usus adhibendi presbyterum assistentem in missis solemnibus non videatur directe *contra* rubricas missalis, quæ de hoc silent, attamen est certo *præter* has rubricas; porro S. Pius V, in bulla *Quo primum,* pridie idus julii an. 1570, omnino prohibuit, ne sacerdotes « in missæ celebratione *alias cæremonias,* vel preces *quam quæ hoc missali continentur, addere* vel recitare *præsumant*[4] ». Attamen S. Congregatio tolerat aut admittit consuetudinem in duplici casu : 1. Quoad canonicos aut Dignitates, in *Cæsenaten.,* 29 martii 1659, ad 3[5]; in *Senen.,* 30 jun. 1883, ad 1 (ubi requirit immemorabilem consuetudinem)[6]; 2. In prima missa novi sacerdotis, in *Vicentina,* 1 dec. 1882, ad 2[7]; in *Viglevanen.,* 11 jun. 1880, ad 7[8]. — Non vero tolerat consuetudinem, imo eam declarat « tanquam abusum » eliminandum, quoad simplices sacerdotes, ut in cit. *Pistorien.*, et in cit. *Jacen.*, 28 julii 1876.

3° *Numerus ministrorum in missis cantatis* (sine diacono et subdiacono). — In his missis ministrant aut saltem ministrare possunt cæremoniarius, thuriferarius (si incensatio fieri debeat), duo acolythi, ceroferarii et cantores[9]; insu-

[1] *Decreta authentica,* n. 805, t. I, p. 169.
[2] *Ibid.,* n. 1771, t. I, p. 379.
[3] *Ibid.,* n. 3588, t. III, p. 151.
[4] Vide hanc bullam initio *Missalis Romani.*
[5] *Decreta authentica,* n. 1111, t. I, p. 228.
[6] *Ibid.,* n. 3580, t. III, p. 147.
[7] *Ibid.,* n. 3564, t. III, p. 134.
[8] *Ibid.,* n. 3515, t. III, p. 116.
[9] De hac missa, cf. de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis,* n. 300-301, Lovanii, 1863, t. I, p. 360.

per, si haberi possit, clericus in ordine *lectoris* constitutus, qui cantet epistolam loco subdiaconi, juxta *Rubricas generales missæ*, part. II, tit. VI, n. 8 : « Si quandoque celebrans cantat missam sine diacono et subdiacono, epistolam cantet in loco consueto aliquis *lector* superpelliceo indutus. » Imo etiam adhiberi potest minister qui plura officia subdiaconi et diaconi impleat, juxta responsum S. Rit. Congregationis in *Baionen.*, 25 sept. 1875, ad 1, ubi ad hoc quæsitum : « An celebrans missam cum cantu sine ministris adhibere possit... ministrum qui folia vertat, et calicem discooperiat, ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, necnon ipsum tergat post communionem, suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in missa sine cantu, omnia supraenunciata a semetipso peragendo et non ope ministri, » respondit : « *Affirmative* ad primam partem; *negative*, ad secundam[1]. » Ut autem minister hæc *omnia* peragere possit, debet esse in sacris constitutus, ut satis per se patet, et constat responso S. Rit. Cong., in *Plocen.*, 6 dec. 1901, in qua, ad hoc quæsitum : « Utrum iste minister (de quo in *Baionen.*) debeat esse in sacris constitutus, » respondit : « Affirmative, *si debeat etiam calicem abstergere*[2]. »

Quoad missas *pontificales*, cf. *Cæremoniale Episcoporum*, l. II, c. VIII sq.

142. — De officio ministri.

1° *De officio ministri in missa privata.* — Officium ministri in missa privata est respondendi, transferendi missale de loco ad locum, præbendi vinum et aquam ad offertorium et ad oblationes, agitandi campanulam. Constat

[1] *Decreta authentica*, n. 3377, t. III, p. 63.
[2] *Canoniste*, t. XXV, an. 1902, p. 246-247.

Rubricis missæ, part. II, tit. III sq. — Non vero potest aperire missale ad designandam missam, nec quærere varias partes missæ, v. g., *Communionem*, pro commoditate sacerdotis, nec, licet sit in sacris constitutus, præparare calicem aut ipsum, post ablutiones, extergere. Ratio est quia juxta *rubricas*, hæc omnia debet facere ipse sacerdos celebrans (vide *rubricas* in locis relativis). Unde in hoc sensu respondit S. Rit. Congregatio in *Tuden.*, 7 sept. 1816, ad 5 et 6[1]; in una *Societatis Jesu*, 11 maii 1878, ad 14[2].

2° *De officio ministrorum in missis cantatis* (sine diacono et subdiacono), vel *in missis solemnibus*, aut *pontificalibus*. — De his officiis adeundi sunt, præter *Rubricas missalis* et *Cæremoniale Episcoporum*, auctores liturgistæ, ad quos hæc tractatio pertinet.

[1] *Decreta authentica*, n. 2572, t. II, p. 166.
[2] *Ibid.*, n. 3448, t. III, p. 92.

TITULUS II

APPENDIX DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

Pauca hic attingam, quia pleraque, quæ spectant ad hunc titulum, tractantur a sacræ theologiæ vel liturgiæ doctoribus, in suis prælectionibus.

CAPUT I

DE CUSTODIA SACRÆ EUCHARISTIÆ

§ 1. Notitiæ historicæ [1].

143. — Eucharistia antiquitus asservata in domibus privatis.

1° Prioribus Ecclesiæ sæculis, nonnumquam *in domibus aut aliis locis privatis* asservabatur sanctissima Eucharistia. — Constat testimoniis quæ sequuntur : 1. Tertullianus, *Ad uxorem*, lib. II, c. v, loquens de muliere, viro ethnico nuptura, ait : « Non sciet maritus, *quid secreto ante omnem cibum gustes?* Et si sciverit *panem, non illum credit esse qui dicitur* [2] ? » quibus verbis manifeste agit de Eucharistia ; — 2. S. Cyprianus, in libro *De lapsis*, n. 26, loquens de muliere quæ in persecutione thus diis sacrificaverat, ait : « Cum quædam arcam suam, in qua *Domini Sanctum fuit*, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente, deterrita est, ne auderet attingere [3] ; » — 3. S. Basilius, epist. XCIII, *Ad Cæsariam patriciam*, ait, loquens de sacra communione : « Alexandriæ autem et in Ægypto, *unusquisque*

[1] Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. v, art. 1, 2, 3, Bassani, 1788, t. I, p. 249 sq. ; — Bingham, *Origines eccl.*, lib. XV, c. IV, § 13, Halæ, 1728, t. VI, p. 414 sq. ; — Bona, *Rerum liturgicarum*, lib. II, c. XVII, § 4, Augustæ Taurinorum, 1749, t. III, p. 373.

[2] Migne, *P. L.*, t. I, col. 1296.

[3] *Ibid.*, t. IV, col. 486.

etiam de plebe ut plurimum habet domi communionem, et quando vult, per se ipse fit illius particeps; » et, paulo infra, loquitur de fideli qui a sacerdote plures particulas recipit, utique domi servandas ad futuras communiones : « Itaque idem valet, sive quis partem unam a sacerdote accipiat, sive *multas simul*[1]; » — 4. Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione VIII, *In laudem Gorgoniæ sororis suæ*, n. 18, narrat eam domi solitam esse recondere sacram Eucharistiam in quadam ara ad hoc apta[2]; — 5. Sanctus Ambrosius narrat fratrem suum Satyrum, nondum baptizatum, ex Africa redeuntem, imminente naufragio, sacram Eucharistiam petiisse a christianis qui erant in navi : « Ab his *divinum illud fidelium sacramentum* poposcit[3]; » — 6. Unde S. Hieronymus eos vituperat, qui quum non sint satis parati ad sacram communionem, eam domi, non in ecclesiis, accipiunt : « Quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet[4]. »

2° Hæc consuetudo vigebat potissimum apud *monachos* qui, cum in solitudine degerent, secum habebant Eucharistiam, ut sacra communione possent refici. — Constat his testimoniis : 1. S. Basilius, immediate ante verba mox relata, hæc habet : « *Omnes in solitudinibus monachi*, ubi non est sacerdos, *communionem domi servantes*, suis ipsorum manibus sumunt; » — 2. Item monachi Nitrienses, in Ægypto, solebant in cellulis asservare sacram Eucharistiam; quum enim quasdam eorum cellulas incendi jussisset Theophilus, episcopus Alexandrinus, inventa est in cellulis combusta Eucharistia, teste Palladio : « Eorum cellulas sarmentis incendit, combustis una libris omnibus veteris ac novi Testamenti, aliisque optimis codicibus, et puero uno, et *sacra Eucharistia*[5]; » — 3. Hic usus vigebat

[1] Migne, *P. G.*, t. XXXII, col. 486.

[2] *Ibid.*, t. XXXV, col. 810.

[3] *De excessu fratris sui Satyri*, lib. I, n. 43; Migne, *P. L.*, t. XVI, col. 1304).

[4] *Epist.*, XLVIII, *Ad Pammachium*, n. 15; Migne, *P. L.*, t. XXII, col. 506.

[5] Palladius, *De vita B. Joannis Chrysostomi*, c. VII (Ante *Opera* S. Joannis Chrysostomi, apud Migne, *P. G.*, t. XLVII, col. 24).

adhuc sæculo x, ut patet ex *Vita* Lucæ junioris, in qua legimus episcopum Corinthiorum docentem, juxta consuetudines tunc vigentes, quomodo debeant monachi in cellis sacram Eucharistiam asservare, eamque, etiam deficiente sacerdote, sumere[1].

3° In Hispania, anathema latum est contra eos qui *acceptam a sacerdote sacram Eucharistiam in ecclesia non sumpserint.* Ita conc. Cæsaraugustanum, an. 381, c. III; — conc. Toletanum I, an. 398, c. XIV[2]. Verum hæc erat cautela contra Priscillianistas qui, ne agnoscerentur ut hæretici, catholicorum ecclesias frequentabant, sed sacram Eucharistiam, quam accipiebant, nec ibi, nec alibi consumebant[3]. Unde ex hoc non sequitur non viguisse in Hispania consuetudinem illam, de qua dictum est, conservandi et sumendi sacram Eucharistiam in domibus privatis. — Hic autem usus servandi Eucharistiam in domibus privatis a longo tempore ubique in desuetudinem lapsus est, imo vetitus.

144. — Eucharistia antiquitus asservata in ecclesiis.

1° Prioribus Ecclesiæ sæculis *etiam in ecclesiis* servabatur sacra Eucharistia. — Constat testimoniis quæ sequuntur: 1. Dionysius, episcopus Alexandrinus, in epistola ad Fabianum, episcopum Romanum, narrat quomodo, sene quodam, nomine Serapione, in mortis articulo constituto, puer cucurrerit, quum jam nox erat, ad presbyterum; qui quum ægrotaret, « exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret; » quod et factum est[4]; quod demonstrat in ecclesiis, aut saltem in domo presbyteri, conservatam fuisse sacram Eucharistiam propter infirmos; imo, ut ibidem narratur, idem Dionysius jusserat ut moribundis petentibus numquam sacra Eucharistia denegaretur; quod item supponit usum eam asservandi sive in ecclesiis, sive penes ipsum presbyterum; —

[1] *Excerpta vitæ Lucæ Junioris,* apud Combefis, *Auctarium Bibliothecæ Patrum,* Parisiis, 1648, t. II, p. 986.

[2] Bruns, *Conc.,* t. II, p. 13; t. I, p. 205.

[3] Cf. Martène, *loc. cit.,* art. 1, n. 5, p. 250.

[4] Eusebius, *H. E.,* lib. VI, c. XLIV; Migne, *P. G.,* t. XX, col. 630.

2. Narrat Optatus episcopus Donatistas invasisse ecclesias catholicorum, *ibique repertam sacram Eucharistiam* dedisse canibus; qui tamen non tetigerunt sacramentum, sed dominos suos, acti rabie, laniaverunt[1]; — 3. S. Cyrillus Alexandrinus, in epistola ad Calosyrium, hæc habet : « Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem (τὴν μυστικὴν εὐλογίαν, nempe sacram Eucharistiam) nihil ad sanctificationem juvare dicant, *si quid ex ea fiat reliqui in alium diem*. Insaniunt vero qui hæc asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur[2]; » quod manifeste demonstrat Eucharistiam solitam fuisse asservari in ecclesiis post sanctum sacrificium; — 4. Imo etiam pretiosissimus Domini Sanguis in ecclesiis aliquando asservabatur, ut constat ex epistola sancti Chrysostomi, qui narrat in tumultu Constantinopoli suborto, milites invasisse ecclesiam, omniaque turbasse : « Quin et *sanctissimus Christi Sanguis*, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est[3]. » — Unde patet, quam recte conc. Tridentinum (c. *Consuetudo*, 6, sess. XIII, *De Eucharistia*) dixerit : « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam *sæculum etiam Nicæni concilii* agnoverit[4]. »

2° In ecclesiis ritus orientalis asservabatur sacra Eucharistia ad publicum usum, nempe *ad missam Præsanctificatorum* celebrandam : de qua sufficiant quæ supra dicta sunt in tit. *De missæ sacrificio*, n. **18**[5]. Verum, præcipuus finis asservationis sanctissimæ Eucharistiæ in Ecclesia sive orientali sive occidentali, erat *necessitas subveniendi infirmis sacro viatico reficiendis;* quoad sanos, recipiebant sacram communionem infra ipsum ritum sacrificii. Imo plures dicunt, juxta veterem usum, sacram Eucharistiam

[1] *De schismate Donatistarum*, lib. II, n. 19; Migne, *P. L.*, t. XI, col. 972.

[2] Hæc epistola loco procemii est ante Cyrilli librum *Adversus Anthropomorphitas;* Migne, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1075.

[3] Epistola ad *Innocentium, Romanum episcopum;* Migne, *P. G.*, t. LI, col. 533).

[4] Hanc consuetudinem omnino supponit canon 13 Conc. Nicæni, quo jubetur moribundum numquam privari sacro viatico; Bruns, *Concilia*, t. I, p. 18.

[5] Cf. etiam Bingham, *loc. cit.*, § 12, p. 411.

non fuisse servatam nisi propter *infirmos* (excepto prædicto usu missæ Præsanctificatorum) ita ut numquam *sanis* daretur in ecclesiis communio extra sacrificium. Ita Morinus, Bona, Mabillon, Bingham, quibus contradicit Catalanus [1]. *Rituale romanum* hodiernum, quale edidit Benedictus XIV, et quale legebat Catalanus, innuit sacram Eucharistiam servari etiam propter *sanos* : « Curare porro debet Parochus, ut perpetuo aliquot particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum et *aliorum fidelium communioni* satis esse possit, conserventur in pyxide, etc. » Attamen, certum est *præcipuum* (si non exclusivum) finem hujus asservationis fuisse usum infirmorum.

145. — Modus asservandi sacram Eucharistiam in ecclesiis.

1° Servari solebat sacra Eucharistia modo in *Sacrario*, modo in aliquo *altari*, sive principali, sive alias speciali, ecclesiæ. In basilica Sanctæ Crucis, Romæ, servabatur pone majus altare, ad summum basilicæ parietem, in vasculo ornato, absque altari supposito [2] ; quod adhuc hodie servatur.

2° Quoad vasa, in quibus continebatur, erant vel *turriculæ*, vel *columbæ* ; turriculæ *deponi* solebant super altare, columbæ *suspendi* [3].

[1] Morinus, *De Pœnitentia*, lib. VIII, c. XIV, n. 2, Antuerpiæ, 1682, p. 553 ; — Bona, *Rerum liturg.*, lib. II, c. XVII, § 6, cit., ed. t. III, p. 378 ; — Mabillon, *De liturgia gallicana*, lib. I, c. IX, n. 26, Parisiis, 1729, p. 96 ; — Bingham, *loc. cit.*, § 14, p. 418 ; — Catalanus, *Rituale romanum*, tit. IV, c. I, § 5, n. 8, Romæ, 1757, p. 249.

[2] Hæc evolvit Mabillon, *In ordinem romanum commentarius*, n. 20 (*Musæum italicum*, Luteciæ Paris., 1689, t. II, p. CXXXIX). Quem exscribit Martène, *loc. cit.*, art. 3, p. 251, n. 6-8.

[3] Cf. Mabillon, *loc. cit.* ; — Martène, *loc. cit.* Vide formulam pro benedictione *turris* eucharisticæ, in *Sacramentario gallicano*, prope finem, apud Mabillon, *Musæum italicum*, t. I, p. 389.

§ 2. De ecclesiis in quibus servari possit sacra Eucharistia.

146. — Ecclesiæ parochiales. — *In ecclesiis parochialibus potest et debet asservari sacra Eucharistia.* — Constat : 1° *Usu universali,* orto ex rerum natura et decretis particularibus; cum enim infirmi debeant omnino refici sacro viatico, antequam moriantur, et hoc, juxta communem opinionem, jure divino, necesse est ut sacra Eucharistia semper sit pro illis parata, saltem in illis ecclesiis, quarum rectores gerunt curam animarum, nempe in ecclesiis parochialibus; hinc decretum istud, inter Capitularia Caroli Magni (lib. I, c. CLV) : « Ut presbyter *semper Eucharistiam habeat paratam,* ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur[1]. » Quod capitulum transivit, de verbo ad verbum, inter *Capitula* Walterii, episcopi Aurelianensis (circa 867), c. VII[2]; deinde in collectionem Reginonis (qui eam concinnavit circa an. 910), *De eccl. disciplinis,* lib. I, c. LXIX[3]; in *Decreta* Burchardi, lib. V, c. X[4]; apud Ivonem Carnotensem (def. a. 1117), *Decreti* pars II, c. XX, et *Panorm.,* lib. I, c. CXLVII[5]; demum in *Decretum* Gratiani, can. *Presbyter,* 93, dist. II, De CONSECRATIONE (in quo Gratiani canone omissa sunt hæc verba : « Aut parvulus infirmus fuerit. ») Unde, propter auctoritatem collectionis Gratiani, prædicta consuetudo asservandi sacram Eucharistiam in eccle-

[1] *Capitularia regum franc.,* ed. Baluze, t. I, col. 731.
[2] Migne, *P. L.,* t. CXIX, col. 734.
[3] *Ibid.,* t. CXXXII, col. 205.
[4] *Ibid.,* t. CXL, col. 754.
[5] *Ibid.,* t. CLXI, col. 165, 1079.

siis parochialibus ubique vim habuit : quam supponunt c. *Officium*, 3, De officio archipresbyteri ; — c. *Sane*, 10, De celebratione missarum ; — c. *Statuimus*, 1, De custodia Eucharistiæ ; hæc duo posteriora capita potius statuunt *modum* quo servari debeat sacra Eucharistia.

2° Item constat assertio *Rituali romano*, quod primo dictam consuetudinem in jus scriptum generale transtulit, tit. IV, c. I, n. 5 : « *Curare* porro *debet* (parochus) *ut perpetuo aliquot particulæ consecratæ* eo numero qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, *conserventur* in pyxide. » In hoc textu patet agi de ecclesiis parochialibus, quum præceptum intimetur *parocho*.

3° Gravissima porro est ista obligatio servandi Eucharistiam in ecclesiis parochialibus, ob viaticum *jure divino* ministrandum ; unde si, de facto, non possit in ipsamet ecclesia vel ejus sacrario, propter hanc vel aliam causam, asservari, v. g., quia ecclesia reparatur, quia communis est catholicis et hæreticis, etc., tunc standum est huic *Instructioni*, quam S. Congr. de Propaganda Fide, die 3 aug. 1803, direxit ad Helvetios : « Ad impediendam quamcumque irreverentiam erga res sacras, S. Congregatio non censuit expedire ut a catholicis asserventur in sacrario, quod sit ipsis commune cum protestantibus, oleum sanctum, sanctum chrisma et sanctissima Eucharistia ; jubet autem ea conservari in loco omnino separato ab acatholicis ; quod si non sit alius locus aptus, conserventur potius, quam decentissime potest, in domo parochi vel alterius sacerdotis catholici[1]. » Quam iterum Instructionem mitti jussit ad vicarium apostolicum Jaffnæ, 23 aug. 1852[2].

[1] Vide textum italicum originarium *Instructionis* in *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, n. 751, p. 289.

[2] *Ibid.*

147. — Ecclesiæ cathedrales et collegiatæ.

1° *In ecclesia cathedrali, licet non parochiali, asservari potest sacra Eucharistia.* — Ratio est quia ecclesia cathedralis est quasi parochia totius diœcesis. Unde *Cæremoniale Episcoporum* (lib. I, c. XII, n. 8) omnino supponit sanctissimum Sacramentum asservari in ecclesia cathedrali. Et ita universalis consuetudo et omnes doctores.

2° *De ecclesia collegiata.* — 1. Si sit simul parochialis, potest et *debet* asservari in ea sacra Eucharistia, ut constat ex dictis, et uti respondit S. Rit. Congr., in una *Tuscanellæ*, 19 aug. 1619, ad 4[1]; — 2. Si non sit parochialis, plures dicunt non posse, jure communi, asservari in ea sacram Eucharistiam; ita card. Petra, Schmalzgrueber, Pignatelli, Lucidi, etc.[2]; qui nituntur tum aliqua decisione S. Congr. Conc., 7 sept. 1652, tum hac ratione, quia nempe sacra Eucharistia reservatur præcipue propter infirmos : qui finis locum non habet in casu. — Hoc tamen mihi non plene compertum est; quum enim prohibitio asservandi sacram Eucharistiam in ecclesiis non parochialibus orta fuerit potissimum, ut infra dicetur, ex *consuetudine*, non constat hanc consuetudinem extensam fuisse etiam ad ecclesias *collegiatas*, quæ in multis assimilantur ecclesiis cathedralibus et regularibus et quæ dignitate præcellunt parochialibus; unde plures dicunt *vi consuetudinis* asservari sacram Eucharistiam in collegiatis[3]; cui assertioni favet etiam S. Rit. Congr., in una *Bavariæ*, 23 martii 1593[4], ubi in eodem gradu, quoad rem præsen-

[1] *Decreta authentica*, n. 375, t. I, p. 105.

[2] Petra, *In const. I Urbani IV*, n. 24, t. III, p. 166; — Schmalzg., in tit. *De custodia Euch.*, n. 21; — Pignatelli, *Consultationes can.*, cons. 342, Coloniæ Allobrogum, 1718, t. I, p. 341; — Lucidi, *De visitatione S. Liminum*, c. I, n. 94, Romæ, 1878, t. I, p. 88.

[3] V. g., Gatticus, *De oratoriis domesticis*, c. XVIII, n. 9, Romæ, 1770, p. 188.

[4] *Decreta authentica*, n. 31, t. I, p. 12.

tem, ponit ecclesias cathedrales, *collegiatas*, parochiales et conventuales. Cæterum, ut diximus ex *Rituali romano*, non tantum propter infirmos, sed etiam propter sanos, asservatur sacra Eucharistia[1].

148. — Ecclesiæ regulares.

1° *In ecclesiis Regularium asservari potest sacra Eucharistia.* — Cum enim hæ ecclesiæ, sive virorum, sive monialium, sint, propter exemptionem, *quasi parochiales* pro tota familia conventuum, semper viguit consuetudo asservandi in illis sacram Eucharistiam : in quo conveniunt omnes. — In eodem sensu expresse respondit S. Rit. Congr., quoad monasteria *monialium*, in *Marianen.*, 16 apr. 1644[2].

2° Hoc jure asservandi sanctissimum sacramentum non fruuntur Regulares : 1. Pro oratoriis *privatis*, nisi forsan, propter graves causas, sacra Eucharistia transferenda sit ab ecclesia publica monasterii ad aliquod oratorium privatum[3]; — 2. Pro eorum *granciis*, sive domibus ruralibus; ita communiter doctores, præsertim post responsionem S. Congr. Conc., in *Ulyssiponen.*, 3 sept. 1707[4].

149. — Aliæ, præter supradictas, ecclesiæ et oratoria. — Agitur de ecclesiis quæ non sunt parochiales, cathedrales, collegiatæ, regulares, v. g., de ecclesiis aut oratoriis *communitatum votorum simplicium* (virorum aut mulierum), *seminariorum, hospitalium, confraternitatum, collegiorum*, etc., etc.

A. *Regula generalis.* — Regula generalis est ut *non*

[1] Ita etiam, præter cit. Gatticum, de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars VI, n. 178, t. III, p. 216.

[2] *Decreta authentica*, n. 860, t. I, p. 185.

[3] Cf. Gatticum, *loc. cit.*, n. 9-11.

[4] Quam refert Petra, *loc. cit.*, n. 23; — cf. etiam Schmalzg., *loc. cit.*

liceat in eis asservare sanctissimum Sacramentum. — Ad quod clare exponendum, hæc dicenda :

1° Nullus textus est in Corpore Juris aut in constitutionibus Romanorum pontificum, qui hanc regulam statuat. Nam textus qui afferuntur ab auctoribus aut nihil probant aut ad rem non sunt; can. *Tribus,* 23, dist. II, De consecratione, est apocryphus, confictus a Pseudo-Isidoro; can. *Presbyter,* 93, *ibid.,* cujus originem supra texuimus, demonstrat tantum *in parochiis debere asservari sacram Eucharistiam propter infirmos,* sed tacet de aliis ecclesiis; c. *Officium,* 3, De officio archipresbyteri, non agit nisi de parochia civitatis episcopalis; duo autem alia capita, nempe c. *Sane,* 10, De celebratione missarum, et c. *Statuimus,* 1, De custodia Eucharistiæ, non agunt, ut jam dictum est, nisi de *modo,* quo custodiri debeat sacra Eucharistia ad vitandam omnem irreverentiam aut violentiam. — Imo (præter mox referendum *decretum* S. Rit. Congr., 10 dec. 1703, quod respicit *ecclesias confraternitatum*) non est ullum *decretum generale* sacrarum Rom. Congregationum, quod hac de re statuat.

2° Attamen dubitari nequit de veritate regulæ supra propositæ. — Nam : 1. Passim invaluit *consuetudo* in hoc sensu, quod nempe in solis ecclesiis parochialibus (et eis assimilatis) asservaretur sacra Eucharistia : cujus consuetudinis ratio est quod præcipuus finis hujus asservationis est subsidium infirmorum sacro viatico reficiendorum; porro cura infirmorum solis ecclesiis parochialibus annexa est; — 2. Hanc consuetudinem multum fovit et promovit *constans jurisprudentia Congregationum Romanarum;* sic : *a.* Sacra Congr. Concilii, in *Salernitana,* 19 aug. 1702 [1],

[1] Apud Petra, *loc. cit.,* n. 21-22.

respondit sanctissimum Sacramentum non posse (sine licentia S. Congregationis) asservari in ecclesia alicujus *conservatorii* (nempe monasterii mulierum votorum simplicium); idem respondit in *Neapolitana*, 2 julii 1707, et 28 julii 1708[1]; — *b.* S. Rituum Congregatio respondit sacram Eucharistiam asservari non posse in *oratorio publico* (in una *Nuceriæ Paganorum*, 12 sept. 1626[2]); nec in *conservatorio* mulierum (in *Marianen.*, 16 apr. 1644[3]), nec in *oratoriis confraternitatum* (in *Calaritana*, 14 jun. 1646[4]); — *c.* S. Congr. Ep. et Reg. idem respondit pro *conservatoriis* mulierum, in Congregatione particulari habita in causa *Augustana*, mense julii 1748, pro *Instituto Virginum anglicanarum*, ad 8[5]; cujus decreta Benedictus XIV adoptavit et confirmavit in bulla *Quamvis justo*, pridie Kal. maii 1749, § 24[6], quam edidit in causa ejusdem *Instituti;* idem etiam declaravit præfata Congregatio in suis *Animadversionibus*, tum in constitutiones cujusdam instituti presbyterorum (simul et laicorum) votorum simplicium, 17 junii 1865, ad 25; tum in constitutiones sororum a Misericordia votorum simplicium, 17 maii 1865, ad 17[7]; — 3. Hinc secuta est *doctrina* canonica, nempe doctrina virorum rerum canonicarum et liturgicarum peritorum, qui communiter tenent et demonstrant regulam propositam; unde merito dicere potuit Benedictus XIV, in

[1] Apud Petra, *ibid.;* utraque responsio, in *Salernitana* et in *Neapolitana*, refertur in extenso apud *Analecta juris pontificii*, ser. IX, p. 252-255. — Cf. etiam ejusdem Congr. responsum in *Fulden.*, 17 feb. 1883; *Acta S. Sedis*, t. XV, p. 528, vel *Canoniste*, t. VI, an. 1883, p. 393.

[2] *Decreta authentica*, n. 420, t. I, p. 112.

[3] *Ibid.*, n. 860, t. I, p. 185.

[4] *Ibid.*, n. 895, t. I, p. 193.

[5] Bizzarri, *Collectanea*, Romæ, 1885, p. 369-370.

[6] *Bull. Bened.*, t. III, n. VII.

[7] Has *Animadversiones* legere est apud *Analecta juris pontificii*, ser. IX, p. 884, 891.

cit. bulla *Quamvis justo*, § 24 : « *Canonica doctrina*, juxta quam sacrosancta Eucharistia *in ecclesiis, quæ parochiales non sunt, retineri non potest* absque præsidio indulti apostolici, vel immemorabilis consuetudinis, quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit. »

3° Si agatur in specie de *ecclesiis* aut *oratoriis confraternitatum*, res est *scripti* et *definiti juris*, ex S. Rit. Congregationis decreto *Urbis et Orbis*, 10 dec. 1703 [1], confirmati in forma speciali a Clemente XI, 12 jan. 1704, et vim legis habente; in hoc enim decreto, ad 26, huic quæsito : « An in dictis *ecclesiis confraternitatum*, neque parochialibus, neque regularibus, retineri possit SS. Eucharistiæ sacramentum, sine speciali indulto Sedis apostolicæ, » respondit : « *Negative;* » in fine tamen decreti firmas vult esse consuetudines *immemorabiles vel saltem centenarias*.

B. *Exceptiones*. — 1° Consuetudo *immemorabilis*, aut *saltem centenaria*, titulus est legitimus asservandi sanctissimum Sacramentum in ecclesia etiam non parochiali aut collegiata aut regulari. — Clare patet pro *ecclesiis confraternitatum*, ex statim citato decreto S. Rit. Congr., an. 1703; et idem dicendum pro aliis; cuilibet enim legi, nisi specialis fiat exceptio (quæ hic facta non est) derogatur per consuetudinem immemorabilem. Ita omnes, Petra, Benedictus XIV, Cavalieri, Giraldi, Schmalzgrueber, etc., etc. [2]. In quo sensu expresse et diserte respondit S. Congr. Conc., 27 apr. 1709 [3].

[1] *Decreta authentica*, n. 2123, t. I, p. 471.

[2] Petra, *loc. cit.*, n. 32; — Benedictus XIV, in cit. bulla *Quamvis justo;* — Cavalieri, *Commentaria in decreta S. Rit. Congr.*, Augustæ Vindelicorum, 1764, t. IV, c. VI, ad decretum VIII, n. 1, p. 91; — Giraldi, *Expositio juris pont.*, pars I, sect. DCXX, p. 447; — Schmalzg., in tit. *De custodia Euch.*, n. 23.

[3] Quod decretum interpretatur Cavalieri, *loc. cit.;* hoc etiam refert Giraldi, *loc. cit.*

2° Ratione hujusmodi consuetudinis, asservatur apud nos sanctissimum Sacramentum in ecclesiis aut oratoriis principalibus hospitalium, seminariorum, communitatum votorum simplicium, etc. Cujus quidem consuetudinis ratio est, quod sæpissime apud nos hujusmodi instituta exempta sunt a jurisdictione parochi, saltem pro administratione sacramentorum; porro hæ communitates habere possunt et habent suos infirmos, pro quibus proinde reservanda est sacra Eucharistia.

3° Communiter requiritur consuetudo *immemorabilis;* quæri potest num sufficiat consuetudo *ordinaria*. Certo non sufficit pro *ecclesiis confraternitatum*, ut constat cit. Decreto S. Rituum Congr., an. 1703; pro aliis ecclesiis, notandum est decretum S. Congr. Ep. et Reg., 13 oct. 1620 [1], in quo dicitur : « Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscumque ecclesiæ in qua custodiri debet, potest [2], aut *solet*. » Revera legi *etiam scriptæ* derogatur per consuetudinem ordinariam; a fortiori, quando agitur de lege tantum consuetudinaria; hanc tamen assertionem peritiorum judicio submitto. — Aliquando consuetudo non omnia requisita habet ut sit legitima, et tunc rejicitur a S. Congregationibus. Sic S. Congr. Negotiis eccl. extraordinariis præposita, ad hoc quæsitum : « Utrum legitima haberi possit consuetudo in pluribus Americæ latinæ diœcesibus vigens asservandi, absque speciali privilegio seu indulto apostolico, sanctissimum Sacramentum in ecclesiis quæ non sunt parochiales aut quasi parochiales... Et quid de asservatione sanctissimi Sacramenti in ecclesiis et oratoriis virorum vel sororum vota simplicia tantum emittentium, in quibus hucusque sanctissimum Sacramentum asservatum fuit

[1] Quod vide apud Cavalieri et Giraldi, *loc. cit.*

[2] Nempe, vi *indulti.*

absque speciali indulto S. Sedis, generatim concesso omnibus ecclesiis seu oratoriis ejusdem Instituti vel singulis piis domibus? » respondit, 5 nov. 1901 : « Negative in omnibus, et recurrendum ad S. Sedem in singulis casibus; salvis peculiaribus indultis apostolicis Ordinario vel aliter concessis [1]. »

150. — Quæritur : *Num possit Episcopus facultatem concedere asservandi sanctissimum Sacramentum in ecclesia non parochiali?*

Resp. : 1° Nequit *jure proprio* hanc facultatem concedere; ut enim diximus, lex communis est ut in ecclesiis non parochialibus nequeat asservari sanctissimum Sacramentum, et quamvis hæc lex sit tantum *consuetudinaria*, est tamen *generalis;* porro, jure proprio, in lege Ecclesiæ generali dispensare nequit Episcopus. In quo sensu respondit S. Rit. Congr., in *Nivernen.*, 8 martii 1879, ad 3 [2].

2° Attamen, *in casu particulari* et *ad breve tempus*, permittere potest Episcopus ut, in aliqua ecclesia non parochiali, asservetur sanctissimum Sacramentum. — Quod deduco ex resolutione S. Congr. Conc., in *Cassanen.*, 15 julii et 12 aug. 1747, ad 4 [3], in qua huic quæsito : « *An* in eadem confratrum ecclesia, *de sola licentia Episcopi*, et per tempora ab ipso præfinita, liceat publicæ venerationi exponere SS. Sacramentum, *illudque tamdiu in tabernaculo retinere*, in casu, » respondit : « *Affirmative*, et Episcopus prudenter concordat. » — Ratio est doctrina communiter recepta, quæ tenet Episcopum posse dispensare in lege communi, in his quæ sunt minoris momenti, et

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxxiv, p. 399; — *Canoniste*, t. xxv, an. 1902, p. 182.
[2] *Decreta authentica*, n. 3484, t. iii, p. 104.
[3] *Thesaurus S. C. C.*, t. xvi, p. 54-55, 57, 58. — Hoc decretum refert etiam Lucidi, *De visitatione*, c. i, n. 98, Romæ, 1878, t. i, p. 89.

frequenter occurrunt. Idem tenet, in casu nostro, doctissimus Cavalieri[1].

3° *Vi consuetudinis,* potest Episcopus acquirere potestatem concedendi præfatam facultatem; vi enim consuetudinis, potest acquirere potestatem dispensandi in lege generali Ecclesiæ, ut ab omnibus admittitur; quum autem hic consuetudini misceatur *præscriptio,* et quidem *contra jura Rom. Pontificis* seu Ecclesiæ romanæ, requiritur præscriptio seu consuetudo *centenaria.* Apud nos, saltem in multis partibus, episcopi hac potestate fruuntur.

§ 3. De modo asservandi sacram Eucharistiam.

151. — Altare in quo asservari debeat sacra Eucharistia.

1° In ecclesiis *cathedralibus, curandum est ut sacra Eucharistia custodiatur, non in majori altari,* sed *in alio.* — Constat ipso textu *Cæremonialis Episcoporum* (lib. I, c. XII, n. 8) : « *Valde opportunum* est ut illud (sanctissimum Sacramentum) non collocetur in majori vel in alio altari, in quo Episcopus vel alius solemniter est missam seu vesperas celebraturus, sed in alio sacello... ponatur. Quod si in altari majori... collocatum reperiatur, *ab eo altari in aliud omnino transferendum est,* ne propterea ritus et ordo cæremoniarum, qui in hujusmodi missis et officiis servandus est, turbetur. » Unde ad vitandas hujusmodi translationes, et irreverentias cum eis forte connexas, *valde opportunum est* (licet non rigorose præceptum), ut sanctissimum Sacramentum, non in majori, sed in alio altari reponatur. Unde etiam in casibus particularibus

[1] *Commentaria in decreta S. Rit. Congr.,* t. IV, c. VI, Augustæ Vindelic., 1764, ad decretum IV, p. 91.

Sacræ romanæ Congregationes non semel præceperunt, ut in alio altari reponeretur; sic S. Congr. Ep. et Reg., 10 feb. 1579 et 29 nov. 1594[1]; et S. Rit. Congr., in *Sebénicen.*, 6 feb. 1875, ad 1[2].

2° In aliis ecclesiis, nempe *collegiatis*, *parochialibus*, *regularibus*, etc., reponendum est sanctissimum Sacramentum « in *altari majori*, *vel in alio*, *quod venerationi et cultui tanti sacramenti commodius ac decentius videatur* »; ita *Rituale rom.*, tit. IV, c. I, n. 6. — Unde non requiritur necessario ut reponatur in altari majori; in quo etiam sensu respondit S. Rit. Congr., in *Gandaven.*, 18 maii 1878, ad 1[3]. Unde etiam, licet soleat asservari in altari majori, potest in aliud transferri, occasione alicujus solemnitatis, vel mensis maii aut junii, etc.; in quo sensu respondit S. Rit. Congr., in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 6[4].

3° In monasteriis *monialium*, sanctissimum Sacramentum asservari debet, non in choro, aut intra septa, sed in publica ecclesia. — Constat ipso conc. Trid., c. *Attendant*, 10, sess. XXV, De regularibus : « Quod vero sanctissimum Christi corpus *intra chorum, vel septa monasterii, et non in publica ecclesia conservetur, prohibet* sancta synodus, non obstante quocumque indulto aut privilegio. »

4° Non potest sacra Eucharistia asservari *continuo in duobus simul altaribus ejusdem ecclesiæ*. — Constat c. *Sane*, 10, De celebratione missarum : « Districte præcipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia *in loco singulari*, mundo et signato... devote ac fideliter conservetur. » Quæ verba, *in loco singulari*, Sacræ romanæ

[1] Apud Petra, *loc. cit.*, n. 16, vel Cavalieri, *loc. cit.*, ad decretum XII, p. 92.

[2] *Decreta authentica*, n. 3335, t. III, p. 47.

[3] *Ibid.*, n. 3449, t. III, p. 93.

[4] *Ibid.*, n. 3576, t. III, p. 145.

Congregationes pluries de *unico loco* interpretatæ sunt; sic S. Congr. Ep. et Reg., in cit. supra (n. **149**, in fine) decisione, 13 oct. 1620; — ita etiam S. Rit. Congr., tum in una *Augustæ Prætoriæ*, 21 julii 1696, ad 3[1]; tum in una *S. Jacobi de Chile*, 14 martii 1861, ad 13[2]; tum in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 6, in qua respondit sanctissimum Sacramentum posse, occasione alicujus solemnitatis, aut mensis maii, etc., transferri ab altari solito in aliud, « dummodo tamen sanctissima Eucharistia *in duobus altaribus continuo non asservetur*[3]. » — Ubi notandum istud *continuo*, non enim prohibetur quin Sanctissimum sit aliquando in duobus altaribus, modo non sit *continuo* in his altaribus.

5° In aliquibus locis, ad præcavenda sacrilega furta aut impiam direptionem sacrarum hostiarum, sacra Eucharistia noctu asservatur, non in suo altari, sed in sacrario, in solidissima et optime clausa capsa (*coffre-fort*). Hoc non modo non prohibetur, sed etiam valde conforme est c. *Statuimus*, 1, De custodia Eucharistiæ : « Statuimus ut in cunctis ecclesiis chrisma et Eucharistia *sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda.* » Ergo, præcipientibus Ordinariis, hoc jus *extraordinarium* servandum est.

152. — Tabernaculum in quo deponi debeat sanctissimum Sacramentum.

1° *Necessitas tabernaculi.* — Extra casum juris extraordinarii, de quo statim dictum est, requiritur, ad asservandum sanctissimum Sacramentum, *tabernaculum*, super

[1] *Decreta authentica*, n. 1946, t. I, p. 423.
[2] *Ibid.*, n. 3104, t. II, p. 130.
[3] *Ibid.*, n. 3576, t. III, p. 143.

altare positum, in quo reponatur sacra pyxis. — Constat *Rituali romano,* sic præcipiente (tit. IV, c. I, n. 5-6) : « Particulæ consecratæ... conserventur in pyxide... bene clausa, albo velo cooperta, et, quantum res feret, ornato *in tabernaculo clave obserato.* Hoc autem tabernaculum, conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in altari, etc. » Hæc autem verba, *quantum res feret,* cadunt in adjectivum *ornato*, non in vocabulum *tabernaculo.* — Materia ex qua confici debeat tabernaculum, nec *Rituali* nec alia lege determinatur.

2° *Conopeum tabernaculi.* — Requiritur ut tabernaculum *conopeo,* id est, velo ad instar quasi tentorii, *operiatur.* — Constat ex statim relatis *Ritualis* verbis, et in hoc sensu semper respondet S. Rit. Congr. (v. g., in *Briocen.,* 21 julii 1855, ad 10[1]; — in una *S. Jacobi de Chile,* 28 apr. 1866[2]; — in *Auxitana,* 7 aug. 1880)[3], nisi sit physica aut moralis impossibilitas habendi aut retinendi illud ornamentum (ut in una *Vicariatus apostolici utriusque Guineæ,* 27 julii 1878)[4]. — Notant de Herdt et Lehmkuhl alicubi contrariam vigere consuetudinem[5]. — Nec *materia*, nec *color* conopei determinatur, unde libertas hac in re relinquitur, licet melius sit ut conopeum sit coloris officio convenientis (S. Rit. Congr., in cit. *Briocen.,* ad 10).

3° *Clavis tabernaculi.* — Requiritur ut tabernaculum sit *clave obseratum,* ut constat tum c. *Statuimus,* 1, De custodia Eucharistiæ (supra, n. **151** citato), tum ex mox relatis *Ritualis* verbis. — Hæc clavis (aut claves) custo-

[1] *Decreta authentica*, n. 3035, t. II, p. 390.
[2] *Ibid.*, n. 3150, t. II, p. 451.
[3] *Ibid.*, n. 3520, t. III, p. 117.
[4] *Ibid.*, n. 3456, t. III, p. 95.
[5] De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis,* pars VI, n. 179, t. III, p. 218; — Lehmkuhl, *Theologia,* Friburgi Brisg., 1893, t. II, n. 132, p. 95, n. 7.

diri debet a *sacerdote*, ut implicite præcipitur c. *Sane*, 10, De celebratione missarum : « Districte præcipiendo mandamus, quatenus *a sacerdotibus* Eucharistia, in loco singulari, mundo et signato semper honorifice collocata, *devote ac fideliter conservetur.* » Hic autem sacerdos est rector ecclesiæ, qui potest custodire clavem vel penes se, vel in sacrario (sub alia clavi); quod si sit absens, custodiam committere potest vel alii sacerdoti vel ædituo. — Hinc, apud moniales, clavis custodiri debet, non a monialibus intra septa monasterii, sed a capellano, ut respondit S. Rit. Congr., in una *Societatis Jesu*, 11 maii 1878, ad 6[1].

4° *Ornatus tabernaculi.* — Tabernaculum debet esse *ornatum, quantum res feret,* ut audivimus ex *Rituali.* Porro : 1. In parte *interiori,* solet esse vestitum velo albo serico, vel etiam, juxta facultates ecclesiarum, auro vel argento contexto; attamen hoc velum non est necessarium, quum nullibi præcipiatur (ita etiam S. Rit. Congr., in cit. *S. Jacobi de Chile*, 28 apr. 1866[2], et in *Urgellen.*, 7 aug. 1871, ad 7)[3]; debet autem tabernaculum esse *ab omni alia re vacuum*, ut præscribunt relata verba *Ritualis romani*, ita ut præter sanctissimum Sacramentum et vasa sacra *nondum purificata,* nihil aliud sit in eo; — 2. In parte *exteriori,* nihil præcipitur, nisi conopeum; possunt tamen poni a lateribus tabernaculi, hinc et inde, reliquiæ, imagines, flores, etc.; de quo notandum est imagines sanctorum aut reliquias, etiam sanctæ crucis, nullo modo posse poni super ipsum tabernaculum, tanquam super

[1] *Decreta authentica,* n. 3448, t. III, p. 92; — cf. etiam hac de re plures decisiones S. Congr. Conc. et Congr. Ep. et Reg. allegatas apud Lucidi, *De visitatione,* etc., c. I, n. 100, ed. 1878, p. 90; — vel Petra, *loc. cit.,* n. 41 sq.

[2] *Ibid.,* n. 3150, t. II, p. 451.

[3] *Ibid.,* n. 3254, t. III, p. 12.

aliquam basim, ut expresse prohibuit, tanquam abusum, S. Rit. Congr., tum in *decreto generali*, 31 martii 1821, ad 6[1]; tum in *Tridentina*, 12 martii 1836, ad 1[2].

153. — Pyxis sacram Eucharistiam continens.

1° *Necessitas pyxidis.* — Sanctissimum Sacramentum *custodiri debet in pyxide* seu *ciborio.* — Constat cit. loco *Ritualis :* « Particulæ consecratæ... *conserventur in pyxide* ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta... » Unde (sine indulto apostolico, cujus dantur quædam exempla) non sufficit illud custodire in simplici *Corporali* involutum, ne ad hunc quidem finem, ut amoveantur fures, ut respondit S. Rit. Congr., in *Altonen.*, 17 feb. 1881[3].

2° *Materia pyxidis.* — Hæc materia non determinatur, nisi quod debeat esse *solida* et *decens;* attamen, ut per se patet, maxime convenit ut sit aurea vel argentea, vel saltem habens cuppam intus inauratam. Vitrum non est licitum, quia non est materia sat solida, et in hoc sensu respondit S. Rit. Congr., in *Mindonien.*, 30 jan. 1880[4].

3° *Benedictio pyxidis.* — Licet *Rituale* nihil dicat de benedictione pyxidis, et proinde adsit controversia de necessitate istius benedictionis[5], attamen probabilior est opinio tenens *illam debere benedici.* — Ratio est quia *Rubricæ* missalis (part. II, *Ritus celebrandi,* tit. II, n. 3) dicunt : « Si (sacerdos) est consecraturus plures hostias..., locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel *vase mundo benedicto...;* » hæc autem

[1] *Decreta authentica,* n. 2613, t. II, p. 194.
[2] *Ibid.*, n. 2740, t. II, p. 262.
[3] *Ibid.*, n. 3527, t. III, p. 121.
[4] *Ibid.*, n. 3511, t. III, p. 114.
[5] Cf. S. Alph., lib. VI, n. 385; — Suarez, *In part. III D. Thomæ,* disp. LXXXI, sect. VII, n. 5; — Benedictus XIV, *Inst.,* XXI, n. 12.

verba : *vas mundum benedictum*, includunt ipsam pyxidem, in qua sacerdotes solent consecrare hostias; si hæc non esset benedicta, sequeretur sacerdotem in ea non posse consecrare hostias, obstante rubrica Missalis. — Formula autem benedictionis ea est quæ vel in *Pontificali*, vel in *Rituali*, vel in fine *Missalis* inscribitur *benedictio tabernaculi*[1] *seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda*[2], et annumeratur inter *benedictiones ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendas;* unde de ea idem dicendum est, *quoad ministrum*, quod de benedictione paramentorum, ita ut si episcopus potestate polleat delegandi presbyteros ad benedicenda paramenta, possit etiam eos delegare ad benedicendam pyxidem, ut respondit S. Rit. Congr., in *Imolen.*, 2 dec. 1881, ad 2[3].

4° *Alia adjuncta.* — 1. Pyxis debet esse *suo operculo bene clausa*, ut ait *Rituale, loc. cit.*, unde non sufficit eam cooperire palla aut alio modo; — 2. Præter operculum, debet etiam esse, ut ait ibidem *Rituale*, *albo velo cooperta*, quod debet esse *sericum*, uti notatur in *Rituali*, paulo infra, nempe c. IV, n. 9 (ubi de communione infirmorum); — 3. Tandem, juxta communem consuetudinem, quæ, ut ait Quarti[4], vim legis habet, reponitur in tabernaculo *super corporale*.

154. — Sacræ particulæ. — De his *Rituale* ait (tit. IV, c. I, n. 7) : « Sanctissimæ Eucharistiæ particulas *frequenter renovabit;* hostiæ vero seu particulæ consecrandæ sint *recentes*. » Unde :

1° Hostiæ *frequenter renovandæ sunt*. — Finis hujus *fre-*

1 Sic vocabatur etiam pyxis.
2 In *Rituali*, tit. VIII, c. XXIII.
3 *Decreta authentica*, n. 3533, t. III, p. 123.
4 Quarti, *In rubricas Missalis*, pars II, tit. II, dub. V, p. 157.

quentis renovationis hostiarum, est ne sacræ species periculo corruptionis, cum dedecore tanti sacramenti, obnoxiæ sint. Hæc autem frequentia determinatur *Cæremonia Elipiscoporum* (lib. I, c. VI, n. 2) pro ecclesiis *cathedralibus* et *collegiatis:* « Illaque (sacra Eucharistia) saltem *semel in hebdomada* mutetur et renovetur; » in quo sensu respondit S. Rit. Congr., in *Sanctorien.*, 12 sept. 1884, ad 2[1]. — Pro aliis ecclesiis, vix dari potest regula generalis; periculum enim corruptionis plurimum pendet a variis adjunctis locorum et temporum anni; in locis humidis, calidis, periculum corruptionis citius adest; in locis siccis et aeris temperati, serius adest; unde hac in re multum defertur legitimis locorum consuetudinibus et standum est diœcesanis statutis. In nostris regionibus, nisi speciale periculum oriatur ex ipso tabernaculo, forsan noviter constructo, humido, sat frequens habetur renovatio, si fiat bis in mense; et, fere ubique, omnino prohibetur, ne ultra mensem differatur[2]. — Pro Ecclesia orientali, constitutionibus apostolicis aut conciliis determinata est prædicta frequentia. Sic : 1. Innocentius IV, bulla *Sub catholicæ*, 2 nonas maii 1254, § 6, permisit græcis catholicis insulæ Cypri hostias consecratas « per quindecim dies, et non longiori temporis spatio conservare[3] »; 2. Clemens VIII, brevi *San-*

[1] *Decreta authentica*, n. 3621, t. III, p. 166.

[2] Cf. etiam de Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, pars II, n. 280, t. I, p. 339; — Lehmkuhl, *Theologia*, Friburgi Brisg., 1893, t. II, n. 132, p. 96, not. 6. — Ut notum est, S. Romanæ Congregationes promovere student majorem renovationis frequentiam. — In *Statutis synodalibus* Parisiensibus, an. 1902, legitur, art. 296: « D'après les décrets de la Sacrée Congrégation des Rites, les saintes espèces doivent être renouvelées tous les huit jours. Dans aucun cas, on ne différera ce renouvellement au delà de quinze jours. » (*Statuts synodaux du diocèse de Paris*, Paris, 1902, p. 194.)

[3] *Bull. rom.*, t. III, pars I, p. 340; ibi etiam proscripsit abusum conservandi per annum integrum, favore infirmorum, hostias feria V in Cœna Domini consecratas; qui abusus, semper renascens, prohibitus fuit etiam a Clemente VIII et Benedicto XIV, locis statim citandis.

ctissimus, 30 aug. 1595, § 2 [1], pro Græco-Italis, præscripsit renovationem *singulis octo, vel saltem quindecim, diebus;* — 3. Idem iterum sanxit, eisdem adhibitis terminis, Benedictus XIV, pro eisdem Italo-Græcis, bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 6, n. 20 [2]; — 4. Idem præscriptum est pro Ruthenis [3], Maronitis [4], in variis eorum conciliis aut decretis Sedis apostolicæ; — 5. In synodo Syrorum unitorum, an. 1888, c. 5, art. 4, § 7, hæc præscripta sunt : « Conservanda autem est Eucharistia in dictis locis sub specie panis sanguine obsignati. Oportet ut hostia quæ conservatur, quotidie mutetur, ne species panis exsiccentur, difficilisque evadat esus Corporis sacrosancti, utque cum debita reverentia sumatur. Saltem non licet hanc mutationem differre plus quam tres dies [5]. » Ut patet, rationes speciales majorem frequentiam exigunt; — 6. Item, et propter easdem rationes, concilium an. 1835, pro Græco-Melchitis, præscribit, can. 8, n. 6, renovationem hostiarum *saltem tertio quoque die* [6].

2° Hostiæ consecrandæ sint *recentes*, seu *noviter confectæ*. — Ratio per se patet; si enim hostiæ, die qua consecrantur, sint jam veteres, periculum corruptionis citius imminebit, nec poterunt conservari tempore supra determinato. — Quænam autem hostiæ dici possint *recentes*, jure communi non determinatum est; unde, hac etiam in re, multum defertur legitimis consuetudinibus locorum standumque est statutis diœcesanis. S. Rit. Congr., in *Gan-*

[1] *Bull. rom.*, t. v, pars II, p. 72.
[2] *Bull. Bened.*, t. I, n. LVII.
[3] Concilio an. 1720, tit. III, § 3, *Collectio Lacensis*, t. II, col. 31.
[4] Concilio Montis Libani, an. 1736, pars II, c. XII, n. 24, *ibid.*, col. 209; — Decreta S. Congr. de Prop. Fide, 3 martii 1729, *ibid.*, col. 441.
[5] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, Romæ, 1897, p. 98.
[6] *Collectio Lac., ibid.*, col. 584.

daven., 16 dec. 1826, ad 1 [1], supprimi jussit consuetudinem consecrandi hostias a tribus mensibus, tempore hiemali, a sex mensibus, tempore æstivo, jam confectas. S. Carolus Borromæus jussit, in concilio provinciali Mediolanensi IV, pars II, *Quæ ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pertinent* [2], non consecrari hostias nisi *intra tres hebdomadas* confectas.

155. — Lampas ardens coram Sanctissimo. — De hac *Rituale rom.* (*loc. cit.*, n. 6), ait : « Lampades coram eo plures, vel *saltem una*, *diu noctuque perpetuo colluceat.* »

1° *Necessitas lampadis ardentis.* — Requiritur *saltem una lampas* coram sanctissimo Sacramento, ut constat cit. textu; sufficit autem una, ut ex eodem textu patet; licet enim *Cæremoniale Episcoporum*, lib. I, c. XII, n. 17, præscribat plures lucernas coram Sanctissimo, attamen hoc non respicit nisi ecclesias cathedrales, et festa solemniora, celebrante Episcopo; cæterum hic textus non urgere videtur. — Debet autem lampas lucere *perpetuo*, *diu noctuque*, ut patet cit. textu; quidam auctores, apud sanctum Alphonsum (lib. VI, n. 248) relati, tenent materiam gravis esse peccati, si lampas deficiat vel *uno integro die* (horis nempe 24), vel *aliquot integris noctibus :* de quo tacet S. Alph. — Potest autem esse lampas ex vitro *aliquo colore* (v. g., rubro) *tincto*, uti respondit S. Rit. Congr., in *Cuneen.*, 2 junii 1883, ad 5 [3].

2° *Locus ubi poni debeat lampas.* — Debet poni *coram Sanctissimo*, ut patet cit. textu, et proinde *intra* capellam seu altare Sanctissimi, et *ante* ipsum; sufficit ut *a latere*

[1] *Decreta authentica*, n. 2650, t. II, p. 218.
[2] *Acta Eccl. Mediol.*, Lugduni, 1683, t. I, p. 110.
[3] *Decreta authentica*, n. 3576, t. III, p. 143.

altaris ponatur; non vero debet esse *procul* ab altari, ita ut vix ad illud referri videatur (ita S. Congr. Rit., in una *Ordinis Capuccinorum*, 22 aug. 1699 [1]). — Parvi refert quo modo suspendatur vel ponatur (S. Rit. Congr., in cit. *Cuneen.*, ad 4).

3° *Materia qua lampas ali debeat.* — Juxta antiquissimam Ecclesiæ disciplinam, quam mutuata est ab antiquo Testamento [2], lampas ali debet oleo *ex olivis :* quod cæteroquin non caret mysticis significationibus; unde, *vi consuetudinis antiquæ*, datur obligatio nutriendi lampadem oleo olivarum. — Attamen, his ultimis temporibus, in favorem ecclesiarum pauperum, S. Rit. Congr. concessit Ordinariis potestatem hac in re dispensandi, his verbis : « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum ut lampades nutriantur ex *aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus.* » Ita in decreto 9 julii 1864, a Pio IX confirmato 14 julii ejusdem anni [3]. Ex ultimis verbis decreti, patet non excludi *petroleum,* ideoque posse permitti, si urgeat ecclesiæ paupertas.

[1] *Decreta authentica*, n. 2033, t. I, p. 445.
[2] Exod., XXVII, 20-21.
[3] *Decreta authentica*, n. 3121, t. II, p. 441.

CAPUT II

DE ÆTATE QUA PUERI ADMITTI POSSINT AUT DEBEANT AD COMMUNIONEM

§ 1. Notitiæ historicæ [1].

156. — Communio parvulorum sæculis III **et** IV. — Intelligimus in hoc paragrapho *parvulos qui nondum rationis usum adepti sunt.* Porro :

1° S. Cyprianus, in libro *De lapsis*, n. 25 [2], inducit parvulam, quæ, cum cæteris adstantibus, infra mysterii divini solemnia, *in loco et ordine suo*, recipit Eucharistiam sub specie vini ; verum, quum paulo ante, nutrice duce, panem dæmonibus immolatum manducasset, sacrum Domini Sanguinem retinere non potuit : « Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit, etc... » Unde mos erat ut parvuli de mensa Domini participarent. — Unde, paulo ante (*ib.*, n. 9 [3]), sanctus Cyprianus parvulos qui, a parentibus coacti, dæmonibus immolassent, inducit, in die judicii dicentes : « Nos nihil mali fecimus ; nec, *derelicto cibo et poculo Domini*, ad

[1] De notionibus historicis cf. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, c. I, art. 15, n. 11 sq. ; c. IV, art. 10, n. 14, 16, etc., Bassani, 1788, t. I, p. 55 sq. ; p. 158-159 ; — Bona, *Rerum liturg.*, lib. II, c. XIX, § 1-2, Augustæ Taurinorum, 1753, t. III, p. 412 sq. ; — Bingham, *Origines eccl.*, lib. XV, c. IV, § 7, t. VI, p. 391.

[2] Migne, *P. L.*, t. IV, col. 484-485.

[3] *Ibid.*, col. 473.

profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia... » Quæ verba Cypriani sanctus Augustinus, testis proinde ejusdem usus, refert in epistola *Ad Bonifacium,* n. 3 [1].

2° In *Constitutionibus apostolicis,* lib. VIII, c. XIII, describitur ordo quo quisque sacra mysteria percipere debet; post clericos, virgines et viduas, notantur *parvuli*, τὰ παιδία, et deinde omnis populus ordine; unde, *ib.,* c. XII, jubentur matres adducere secum *parvulos*, τὰ παιδία [2].

157. — Communio parvulorum sæculis V et VI.

1° Visus est sanctus Augustinus docere *etiam parvulos, ut vitam æternam habere possint, sacram Eucharistiam manducare debere.* Cum enim Pelagiani, distinguentes inter *regnum cælorum* et *vitam æternam,* concederent parvulos non baptizatos non posse adipisci regnum cælorum, propter verba Domini nimis clara : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* [3], contendebant tamen parvulos non baptizatos posse adipisci *vitam æternam.* Ut hos hic etiam repelleret Augustinus, eis opposuit verba Domini : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [4]. Unde parvuli non baptizati, et proinde non pasti carne Domini (quam soli baptizati manducare possunt), nec *vitam æternam* habere possunt. — Verum hic non stetit Augustinus; ne sibi opponerent Pelagiani verba prædicta *Nisi manducaveritis,* nullo modo pertinere ad parvulos, contendit S. Doctor etiam ad parvulos hæc verba pertinere, et proinde « si non *manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam* [5] ». Quænam fuerit hac in re vera mens

[1] Epistola XCVIII; Migne, *P. L.,* t. XXXIII, col. 361.

[2] Migne, *P. G.,* t. I, col. 1109, 1092.

[3] Joan., III, 3, 5.

[4] Joan., VI, 54.

[5] Ita præcipue in opere *De peccatorum meritis et remissione,* lib. I, c. XX, n. 26-27; c. XXIV, n. 34; Migne, *P. L.,* t. XLIV, col. 124, 129; — cf. etiam Augustini epistolam CLXXXVI, *Ad Paulinum,* n. 28-29; Migne, *P. L.,* t. XXXIII, col. 826.

Augustini, disputant S. Doctores[1]. Attamen saltem *visus est* docere necessitatem communionis etiam pro parvulis : quod maxime fovit usum communionis parvulorum.

2° Item indirecte promoverunt usum communionis parvulorum Innocentius I et Gelasius I. — Prior enim, in epistola *Ad concilium Milevitanum*, n. 5[2], alter in epistola *Ad Episcopos per Picenum constitutos*, n. 5-6[3], demonstrant contra Pelagianos parvulos non baptizatos non modo regnum cælorum, sed *nec vitam æternam adipisci posse*, adductis verbis Domini : *Nisi manducaveritis*, etc.[4]. Nullo quidem modo docent necessariam esse pro parvulis sacram communionem ad adipiscendam vitam æternam[5]; sed tamen quum, loquentes de parvulis, referrent

[1] Maldonatus non timet asserere S. Augustinum docuisse *necessitatem communionis etiam pro parvulis*, licet hic sit error a conc. Trid. damnatus, c. *Denique*, IV, et can. 4, sess. XXI, *De communione* (Maldonatus, *In quatuor Evangelia, in Joan. VI*, n. 111, Lutetiæ Parisiorum, 1668, col. 1486). — Alii Doctores communiter hunc errorem a tanto doctore abjudicant, sed de modo mentem ejus exponendi inter se dissentiunt; juxta plures, S. Augustinus, applicando hæc verba Domini, *Nisi manducaveritis*, ad parvulos, non ea intellexit nisi de *participatione corporis Domini, qua participatione fruuntur vi ipsius baptismi;* sic Augustinus se ipsum exposuisse videtur *De peccatorum meritis et remissione*, lib. III, c. IV, n. 8, *loc. cit.*, col. 190; cf. etiam *Contra duas epist. Pelag.*, lib. I, c. XXII, n. 40, col. 570; ita etiam illum exponit S. Fulgentius, epist. XII, *Ad Ferrandum*, n. 26; Migne, *P. L.*, t. LXV, col. 392. Fatendum tamen est, si Augustinus ita intellexerit verba Domini de manducatione spirituali, hæc verba omnem vim demonstrativam amisisse contra Pelagianos. — Unde alii doctores dicunt simpliciter Augustinum usum fuisse contra Pelagianos argumento *a fortiori*, hoc modo : Si ii qui non manducant realiter corpus Domini, vitam æternam non sunt habituri, a fortiori qui non baptizantur, quum baptismus omnino requiratur ut quis admittatur ad Eucharistiam. — Cf. card. Moris, *Vindiciæ augustinianæ*, c. IV, § 4 (apud Migne, *Supplementum ad opera S. Augustini*, t. XLVII, col. 701-706); — Hurter, *Theol. dogm.*, Œniponte, t. III, n. 477, 1883, p. 325.

[2] Epistola XXX, Migne, *P. L.*, t. XX, col. 592.

[3] Epistola VI, Thiel, *Epistolæ Rom. Pontificum*, p. 329-331.

[4] Innocentius videtur primus adhibuisse hoc argumentum contra Pelagianos; ejus enim auctoritatem allegat Augustinus in epistola CLXXXVI, *Ad Paulinum*, n. 28-29; Migne, *P. L.*, t. XXXIII, col. 826.

[5] Errat Maldonatus (*loc. cit.*) asserens Innocentium, sicut et Augustinum, hanc necessitatem docuisse; errat pariter Döllinger, hunc errorem

prædicta verba Christi : *Nisi manducaveritis*, etc., indirecte foverunt usum communionis parvulorum.

3° Revera documenta horum temporum demonstrant in usu fuisse communionem parvulorum. Sic : 1. Gennadius tradit, *De ecclesiasticis dogmatibus*, c. LII, parvulos, statim post baptismum, sacram Eucharistiam recipere solitos esse : « Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi ; et sic manus impositione et chrismate communiti, eucharistiæ mysteriis admittantur [1] ; » — 2. Pseudo-Dionysius (sæculo V vel VI) idem prorsus tradit, in libro *De eccl. hierarchia*, c. VII, § 11 : « Quod autem infantes quoque, qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis, *sanctissimorumque divinæ communionis mysteriorum participes fiant*, videtur, ut inquis, hominibus profanis non immerito risu dignum... [2] ; » — 3. Concilium Matisconense II (an. 585), c. VI, jubet ut reliquiæ hostiarum consecratarum, quarta vel sexta feria, dentur parvulis jejunis [3] ; — 4. Evagrius, qui scribebat circa annum 590, tradit veterem fuisse consuetudinem in Ecclesia Constantinopolitana, ut reliquiæ panis eucharistici darentur pueris impuberibus [4].

158. — Communio parvulorum sæculis posterioribus.

1° Sæculis VII et sq., *communis erat usus, ut post baptismum infantes sacra communione reficerentur*. Sic : 1. *Ordo romanus I*, qui refert liturgiam romanam tempore sancti Gregorii Magni [5], exponens ritus baptismi in sabbato sancto, dicit : « Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, *antequam*

impingens Innocentio et Gelasio (*Le Pape et le Concile*, par Janus, p. 62-63).

[1] Migne, *P. L.*, t. LVIII, col. 993.

[2] Migne, *P. G.*, t. III, col. 566.

[3] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 251.

[4] Evagrius, *H. E.*, lib. IV, c. XXXVI ; Migne, *P. G.*, t. LXXXVI, pars II, col. 2770.

[5] Juxta Mabillon qui illum edidit in *Musæo italico*, Lutetiæ Parisiorum, 1689, t. II, p. 1-2.

communicent sacramenta corporis Christi[1]*;* » — 2. In *Sacramentario Gregoriano,* qui refert disciplinam liturgicam romanam sæculi VIII, legimus, in *officio Sabbati sancti :* « Qui etiam (parvuli jam baptizati) non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit[2]; » — 3. Idem refert de communione parvulorum post baptismum vetustissimus aliquis *Liber pontificalis* Remensis, scriptus Hincmari tempore, cujus verba exscribit Baluze[3]; — 4. Idem testatur Jesse, episcopus Ambianensis (def. an. 836), in *Epistola de baptismo,* § *De confirmatione corporis et sanguinis Christi*, ubi, expositis baptismi ritibus, addit : « Novissime autem *corpore et sanguine Christi* confirmatur infans...[4]; » — 5. Eumdem omnino ritum refert vetus *Liber pontificalis* Senonensis, scriptus sæculo X, cujus verba, *loc. cit.,* refert iterum Baluze; — 6. Item Radulphus Ardens (def. an. 1101) dicit, in *Homilia* LI, in die Paschæ, § *Quarto monet*[5] *:* « *Itaque epulemur...* Unde statutum est, ut, *pueris mox baptizatis, saltem in specie vini tradatur* (Eucharistia), ne sine necessario discedant sacramento. »

2° Iisdem sæculis, *parvulis in periculo mortis constitutis conferebatur S. Eucharistia per modum viatici,* sicut adultis. — Quod satis demonstrat caput *Ut Presbyter*, quod supra (n. **146**) deprehendimus in omnibus hujus ævi collectionibus, quodque sic jacet : « Ut presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut *parvulus infirmus fuerit,* statim eum communicet, ne sine communione moriatur. »

3° In genere, conc. Toletanum XI (an. 675), can. 11, supponit omnino sacram Eucharistiam solere recipi *tempore infantiæ*, quum statuat infantes nullo modo puniri debere, si rejiciant sacras species[6]. — Item, de sacra communione parvulorum

[1] *Ordo romanus I,* n. 46 (*ibid.,* p. 28).

[2] Divi Gregorii *Liber sacramentorum,* ed. Menardi, Parisiis, 1642, p. 73.

[3] In *notis* ad Reginonem *De eccl. disciplinis,* lib. I, c. LXIX; Migne, *P. G.,* t. CXXXII, col. 421.

[4] Migne, *P. L.,* t. CV, col. 791.

[5] *Ibid.,* t. CLV, col. 1850.

[6] Bruns, *Concilia,* t. I, p. 314.

docte disserit Lanfrancus, Cantuariensis archiepiscopus (def. an. 1089), cujus verba ostendunt hujus communionis usum, sive in baptismo, sive in morte parvulorum, fuisse adhuc suo tempore communem [1].

159. — Imminutio et cessatio hujus usus.

1° In Ecclesia occidentali, cum fere ubique, sæculo XII, cessasset sabbato sancto administratio solemnis baptismi, in qua solebat dari parvulis baptizatis sacra Eucharistia, usus communionis parvulorum imminui etiam et desinere cœpit eodem sæculo. Gratianus, in *Decretum* suum referens cit. caput *Ut presbyter,* omisit verba, « aut parvulus infirmus fuerit [2]. » Odo de Soliaco, qui fuit episcopus Parisiensis ab anno 1197, prohibuit ne communio daretur parvulis : « Item districte præcipitur presbyteris ne hostias, licet non sacratas, dent pueris ullo modo [3]. » Conc. Lateranense IV (an. 1215) jubet ut omnis utriusque sexus fidelis *postquam ad annos discretionis pervenerit,* ... suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum (c. *Omnis,* 12, De pœnitentiis et remissionibus). D. Thomas, loquens de parvulis, dicit simpliciter : « Talibus non sunt sacra mysteria danda ; quamvis quidam Græci contrarium faciant... [4]. » Conc. Trid., can. 4, sess. XXI, *De communione parvulorum,* statuit : « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit. » Cf. etiam, in ead. sess., c. *Denique,* 4, *De communione parvulorum.*

2° In Ecclesia orientali, quod jam insinuavit D. Thomas, usus communionis parvulorum diutius permansit. Imo, sæculo XVIII, idem usus in plerisque ecclesiis orientalibus vigebat, licet alicubi

[1] Lanfrancus, *epistola* XXXIII, *Ad Domnaldum episcopum,* Migne, *P. L.,* t. CL, col. 532.

[2] Videas can. *Ut presbyter,* 93, dist. II, De Cons.

[3] *Præcepta communia synodalia,* n. 39 ; Migne, *P. L.,* t. CCXII, col. 66.

[4] Pars III, q. LXXX, art. 9, ad 3. — Idem dicit *In Sent.,* lib. IV, dist. IX, art. 5, ad 4, ubi addit Græcos, contrarium facientes, *irrationabiliter* agere, « quia ad Eucharistiæ sumptionem exigitur actualis devotio, quam tales pueri habere non possunt. » Venetiis, 1749, t. XII, p. 217.

prohiberi inciperet. Sic : 1. Tempore Benedicti XIII, quum a S. Congr. de Prop. Fide, ex parte Melchitarum, quæreretur : « An pariter expediat sacramentalem Eucharistiæ communionem infantibus præbere statim post baptismum, » respondit, 5 aprilis 1729 : « Parvulos nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem ; sed ubi viget antiqua consuetudo, non est damnanda [1] ; » — 2. In concilio Maronitarum Montis Libani, an. 1736, p. II, c. XII, n. 13, sic legimus : « Communicare pueros et infantes, quod *plerique Orientales usque in præsentem diem faciunt*, antiquum valde est... [2] ; » — 3. Benedictus XIV, in bulla *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 2, n. 7 [3], prohibet quidem ne Græco-Itali administrent sacram communionem infantibus, sed recognoscit id fieri solere apud Orientales ; — 4. S. Cong. Inquisitionis, 14 junii 1741, jussit ut servaretur apud Coptos usus dandi communionem infantibus baptizatis, cum debitis tamen cautelis [4].

§ 2. De jure communi circa ætatem ad primam communionem.

160. — De pueris usum rationis nondum adeptis. — *Hodie prohibetur, ne communio detur, quocumque modo, pueris nondum usum rationis adeptis.* — Constat : 1° *Consuetudine universali*, per totam Ecclesiam occidentalem vigente ; hæc consuetudo retroascendit ad sæculum duodecimum, ut patet relatis textibus divi Thomæ, qui testatur suo tempore non dari communionem parvulis, et dicit usum contrarium quorumdam Græcorum esse irrationabilem. Hæc autem consuetudo paulatim diffusa est, hancque multum foverunt, tum decreta particularia quibus prohibebatur

[1] *Conciliorum collectio Lacensis*, t. II, col. 442.
[2] *Ibid.*, col. 200.
[3] *Bull. Bened.*, t. I, n. LVII.
[4] *Collectanea* S. Congr. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 713, p. 280.

communio parvulorum (v. g., relatum decretum Odonis Parisiensis), tum alia consuetudo paulatim et ipsa serpens, qua supprimebatur communio sub specie vini[1] (quæ sola possibilis erat multis parvulis), tum definitio conc. Trid., docentis : « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit » (can. 4, sess. XXI, *De communione parvulorum;* cf. c. *Denique*, 4, *ib.*); ad hanc consuetudinem referunt prohibitionem, de qua agimus, Suarez, de Lugo[2], etc.; — 2° *Rituali romano,* quod tit. IV, c. I, n. 11, hæc habet : « Iis etiam, qui, propter ætatis imbecillitatem, nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet. » Hæc verba continent primam legem generalem scriptam, de re præsenti. — Dixi autem : Prohibetur ne communio parvulis detur *quocumque modo,* ideoque nec sanis, nec infirmis, nec sub specie panis, nec sub specie vini; verba enim *Ritualis* sunt generalia.

161. — De pueris usum rationis adeptis. — Hæc dicenda :

1° *Pueri, qui ad annos discretionis pervenerunt, tenentur ad sacram communionem recipiendam.* — Constat omnino : 1. *Celebri canone 21 conc. Later. IV* (an. 1215), qui sic habet[3] : « Omnis utriusque sexus fidelis, *postquam*

[1] Hæc consuetudo, usum calicis prohibens, erat jam sat multarum ecclesiarum tempore D. Thomæ, pars III, q. LXXX, art. 12, in § *Sed contra,* et in corp. art.; tempore autem conc. Constantiensis, erat universalis, aut fere; unde, in sess. XIII, prohibuit omnino usum calicis (Mansi, *Concilia,* t. XXVII, col. 726-728); qua in parte decreta concilii confirmata sunt a Martino V.

[2] Suarez, *In part. III D. Thomæ,* disp. LXII, sect. IV, n. 4; — de Lugo, *De Eucharistia,* disp. XIII, n. 32.

[3] Insertus est in *Corpore juris,* c. *Omnis utriusque sexus,* 12, De pœnit. et remiss.

ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, *suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum; nisi forte, de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum;* — 2. *Concilio Tridentino*, quod, alludens ad hunc canonem Lateranensem, sic definivit (can. 9, sess. XIII, *De Eucharistia*) : « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, *cum ad annos discretionis pervenerint*, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, *juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ*, anathema sit. » — Notandum tamen concilium Lateranense legem suam aliquo moderamine temperasse : « Nisi forte, de proprii sacerdotis consilio,... ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; » quod temperamentum non revocavit conc. Trid., quum hoc econtra se referat ad præceptum Lateranense : « *juxta præceptum* sanctæ matris Ecclesiæ. »

2° Lex sacræ communionis est simul *divina* et *ecclesiastica;* lex enim divina sacræ communionis continetur his verbis Domini (Joan., VI, 54) : « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* » Sed difficile est, imo impossibile, dicere quoties et quando in vita *jure divino* sacra communio requiratur. Dicunt *sat communiter* doctores jus illud divinum sacræ communionis obligare : 1. *in articulo mortis*[1]; 2. *aliquoties in vita*, v. g., *tertio vel quarto quoque anno*,

[1] Quidam tamen dicunt non dari obligationem *juris divini* in articulo mortis, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ; ita S. Bonaventura, Sylvester, Armilla, quos refert Suarez (*loc. cit.*, disp. LXIX, sect. III, n. 2). Suarez ipse non tenet obligationem juris divini, nisi ut *probabilem*. Vasquez eam habet ut *probabiliorem* (*In part. III D. Thomæ*, disp. CCXIV, c. II).

ut ait Suarez [1]. Nemo unquam dixit pueros *jure divino* teneri ad sacram communionem, *statim ac ad annos discretionis* pervenerint; unde hæc obligatio non est nisi vi legis Ecclesiæ, quæ illam ut supra statuit et temperavit.

162. — Quæritur 1° *Quænam sit illa ætas discretionis, qua adepta puer tenetur communicare?*

1° Duæ sunt hac de re opiniones. Alii nempe dicunt *ætatem discretionis* nihil aliud esse ac *ætatem rationis*, et proinde pueros, simul ac adipiscuntur usum rationis, suntque peccati mortalis capaces, teneri ad utrumque sacramentum recipiendum, nempe *pœnitentiæ* (de quo conveniunt omnes), et *eucharistiæ;* concilium enim non distinguit inter unum et alterum, et jubet fideles utrumque recipere, *postquam ad annos discretionis pervenerint* (salvo moderamine ad tempus, de quo supra dictum est). Ita multi quos allegat Benedictus XIV [2]. — Alii, pro determinanda *ætate discretionis,* distinguunt inter sacramentum *pœnitentiæ,* et sacramentum *eucharistiæ;* pro sacramento pœnitentiæ, sufficit ætas *rationis;* tunc enim unusquisque discernere potest inter bonum et malum, est doli capax, et potest, cum gratia Dei, concipere verum actum pœnitentiæ; pro sacramento autem eucharistiæ, non sufficit ætas *rationis*, sed requiritur major mentis evolutio, præcipue propter tria : 1. Quia verba legis sunt accommodate intelligenda juxta genus materiæ; porro magnum discrimen est inter unum sacramentum et alterum; eucharistia enim est multo difficilior intellectu, et ideo major exspectanda est maturitas, ut possit puer discernere inter cibum illum cælestem et communem cibum; — 2. Quia pœnitentia magis necessaria

[1] *Loc. cit.,* n. 6; cf. de Lugo, *loc. cit.,* disp. XVI, n. 28.
[2] *De synodo,* lib. VII, c. XII, n. 2.

est, et ideo potius anticipanda quam differenda; eucharistia autem dignior, in qua non tantum attendi debet ad utilitatem suscipientis, sed etiam ad reverentiam suscepti; — 3. Quia in ipso textu, uti vidimus, hoc discrimen insinuatur; confessio enim absolute præcipitur, communio autem non sic, sed relative et cum ordine ad prudens judicium confessarii. — Ita Suarez, de Lugo, S. Alphonsus, Vasquez, quos communius cæteri sequuntur[1]. — Unde Suarez concludit puerum « per aliquod tempus, *vel etiam per aliquot annos*, posse ad confitendum, priusquam ad communicandum, obligari ». — Hæc porro posterior opinio multo probabilior est, et in usum tuto deduci potest.

2° Illa autem ætas *discretionis sufficientis pro S. Eucharistia percipienda* non potest præcise definiri *per annorum numerum :* quod experientia constat, et ab omnibus fere admittitur, ut notat Suarez[2], qui sic pergit : « Ad summum dici potest, hunc terminum contineri posse a decimo usque ad decimum quartum ætatis annum, quia moraliter loquendo neque ante decimum incipit, neque ultra decimum quartum differtur hæc obligatio, sicut nec rationis usus. In hac vero ætatis latitudine solet esse magna varietas[3]... » S. Thomas ait : « Pueris, jam incipientibus habere discretionem, etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem vel undecim annorum aut circa hoc, *potest* dari (sacra communio), si in eis signa discretionis appareant et devotionis[4]. » Quando *debeat* dari, non dicit S. Doctor.

3° In articulo mortis, *citius dari potest et debet* sacra communio pueris, ut per se patet; tunc enim non requi-

[1] Suarez, *loc. cit.*, disp. LXX, sect. 1, n. 3; — de Lugo, disp. XIII, n. 39; — S. Alph., lib. VI, n. 301; — Vasquez, *loc. cit.*, disp. CCXIV, c. IV, n. 40.

[2] *Loc. cit.*, n. 4.

[3] Ita etiam S. Alph., *loc. cit.*

[4] *Sent.*, lib. IV, dist. IX, q. 1, art. 5, ad 4, Venetiis, 1749, t. XII, p. 217.

runtur tam perfectæ dispositiones. Sed tunc etiam adest gravis controversia : 1. Alii dicunt puerum teneri præcepto, *si habeat usum rationis*, ita ut, si sit capax peccati, confessionis, et extremæ unctionis, debeat etiam recipere sacram communionem. Ita Suarez, de Lugo, S. Alphonsus[1]; quorum ratio est « quia, ait Suarez, talis homo est capax fidei, et sufficientis reverentiæ sacramenti, et est in eo periculo in quo non exspectat commodius tempus ad recipiendum sacramentum cum meliori dispositione »; — 2. Alii dicunt tunc non teneri, sed tantum postquam poterit sufficienter discernere inter cælestem Eucharistiæ cibum et cibum communem. Ita Vasquez[2]. Ratio est quia ut puer sit capax illius præcepti, requiritur omnino ut possit intelligere hæc verba : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., et proinde ut *sciat discernere carnem Christi ;* unde non sufficit ut sit capax doli et confessionis. Hæc opinio Vasquezii probabilior videtur[3]. Omnes autem doctores saltem *consulunt* dare communionem pueris, qui rationis usum habent. — In *dubio de capacitate pueri*, juxta ipsum de Lugo, nulla datur obligatio dandi communionem puero, quia tunc præceptum dubium est, sed utique *potest* dari[4].

163. — Quæritur 2° *Quisnam sit judex de ætate discretionis pueri ad primam communionem admittendi?*

Resp. : Ipsum jus commune, nempe in cit. c. *Omnis utriusque sexus*, determinat quis sit iste judex, nempe *proprius sacerdos :* « Nisi forte, *de proprii sacerdotis consilio*,... ad tempus duxerit abstinendum... » Per hunc

[1] Suarez, *loc. cit.*, disp. LXX, sect. I, n. 5; — de Lugo, *loc. cit.*, disp. XIII, n. 34 sq.

[2] *In part. III D. Thomæ*, disp. CCXIV, c. IV, n. 41 sq.

[3] Cf. etiam Bened. XIV, *De synodo*, lib. VII, c. XII, n. 3.

[4] *Loc. cit.*, disp. XIII, n. 40 sq.

autem *proprium sacerdotem* intelligitur in hoc capite ille qui possit absolvere a peccatis, et proinde, non tantum Episcopus et parochus, sed etiam confessarius, quia titulus *proprii sacerdotis*, relative ad c. *Omnis utriusque*, decursu temporum, attributus est etiam *confessario*. Unde et confessarius juridice competens est, jure communi, ad admittendum puerum ad primam communionem: imo est apprime aptus ad hoc munus exercendum, quia melius novit, tum *discretionem* pueri, tum *dispositiones morales* animæ ejus. Unde ait *Catechismus conc. Trid.*, part. II, c. VI, n. 68 : « Qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sint, *nemo melius constituere poterit* quam pater et *sacerdos cui illi confitentur peccata; ad illos enim pertinet explorare* et a pueris percontari, an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant[1]. » Quæ est cæteroquin doctrina communis[2]. — Attamen, in multis regionibus, munus admittendi pueros ad primam communionem, vi consuetudinis, exclusive reservatum est parochis : quæ consuetudo, utpote maxime laudabilis, retinenda est, ut notant communiter doctores[3].

§ 3. De jure particulari Galliæ circa ætatem ad primam communionem.

164. — Jus particulare Galliæ quoad ætatem ad primam communionem.

1° *Notio istius juris.* — In Gallia, pueri, in unaquaque parochia, sacram communionem prima vice recipiunt, non

[1] *Catechismus*, etc., ed. Gagey, Dijon, 1865, t. I, p. 431.

[2] Cf. etiam Suarez, *loc. cit.*, disp. LXX, sect. I, n. 4.

[3] Cf. de Angelis, in tit. *De parochiis*, n. 5 (*Prælectiones*, etc., Romæ, 1879, t. II, pars II, p. 45); — Berardi, *De parocho*, n. 758, Faventiæ, 1890, p. 245.

singuli et privatim, sed simul et cum maxima qua fieri potest solemnitate. Nemo autem nescit quantos fructus et pro pueris, et pro parentibus, et pro tota parochia, secum afferat ista consuetudo; unde et in alias quoque regiones diffusa est. — Sed, eo ipso, enata est necessitas determinandi, modo generali, pro omnibus pueris singularum parochiarum, imo et totius diœcesis, ætatem præcisam, infra quam nullus admitti possit ad primam communionem : quod et fecere episcopi in sua quisque diœcesi, imo et aliquando concilia provincialia. — Insuper, in Gallia, parocho reservatur, excluso confessario, jus admittendi pueros ad primam communionem.

2° *Legitimitas.* — Dubitari nequit de legitimitate illius determinationis, auctoritate episcopali factæ, circa ætatem ad primam communionem requisitam, modo duæ conditiones serventur. — Nam, procul dubio, Episcopus est etiam, imo primo loco *proprius* ille *sacerdos*, de quo agit in cit. cap. concilium Lateranense : « ... Nisi forte, *de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum;* » ergo Episcopi est, præ omnibus, judicare de ætate qua pueri solent, in sua diœcesi, discretione sufficienti pollere ad percipiendum cum fructu augustissimum sacramentum; insuper habere potest *rationabiles causas* aliquatenus differendi primam communionem, v. g., ut hoc sacramentum omnibus simul pueris unius parochiæ administretur unica et solemni festivitate, unde, ut dictum est, maximi fructus proveniunt; — ut pueri qui tenentur, ante primam communionem, catechismis interesse, plenius et firmius edoceantur sacram doctrinam, eo magis, quod, peracta semel prima communione, catechismos deserere solent. Ergo jus habet Episcopus determinandi ætatem infra quam nullus admittatur ad primam communionem.

— Cæterum, quo melius singulorum utilitati provideatur, poterit aliam minorem ætatem determinare pro pueris degentibus in parvis seminariis, in collegiis ecclesiasticis aut christianis, etc., ubi citius pueri discretionem sufficientem acquirunt, nec imminet periculum deserendi catechismum post primam communionem. — Dixi : *modo duæ conditiones serventur,* de quibus statim.

3° *Servandæ conditiones :* 1. Prior conditio est ut, in hac determinanda ætate, *non nimium differatur prima communio.* — Ratio est quia tandem aliquando, quando pueri pervenerunt ad illam ætatem discretionis, de qua supra dictum est, jus, si non divinum, saltem ecclesiasticum generale (contra quod nihil potest Episcopus) jubet eos sacram communionem recipere; lex quidem, ut dixi, aliquo moderamine temperata est : « *Nisi forte, de proprii sacerdotis consilio,* etc., » sed hoc temperamento moderate uti debet episcopus, ut patet ex gravitate præcepti, et ex ipso tenore capitis : « Nisi *forte,* etc. » — Unde, quum concilium Rothomagense, an. 1850, absolute et generaliter præcepisset : « Nemo ad sacramentum eucharistiæ prima vice suscipiendum admittatur quin *duodecimum saltem annum certo attigerit,* » S. Congr. Conc., in revisione hujus concilii, jussit deleri præfata verba, eisque substitui quæ nunc leguntur, nempe : « Nemo... admittatur, qui nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habeat, judicio præsertim parochi, ac sacerdotis cui peccata puer confitetur[1]. » — 2. Altera conditio est, ut *non prohibeatur parochus dare primam communionem* (*sed privatim*) *puero, etiam infra legalem ætatem constituto, qui certo et clare polleat discretione sufficienti.* Ratio est

[1] Conc. Rothomagense, part. II, decr. XV, *De Eucharistia,* n. 2, p. 35. — Factum autem hujus mutationis a Congr. Conc. imperatæ narratur in *folio* causæ *Anneciensis,* 21 julii 1888 (*Thesaurus,* t. CXLVII, p. 478).

illa quæ supra dicta est, nempe gravitas præcepti, si non divini, saltem ecclesiastici generalis. Quum autem ille puer attigerit legalem ætatem, admittetur ad communionem *solemnem* cum cæteris. — Hæc autem conditio illustratur et confirmatur causa *Anneciensi*, 21 julii 1888; quum enim episcopus Anneciensis, die 27 dec. 1884, hoc decretum tulisset : « Nullus puer masculus aut femina admittatur ad primam communionem nisi : 1. *Duodecimum ætatis annum expleverit;* 2. fideliter interfuerit catechismi lectionibus per duos ultimos annos[1]; » quidam parochus ab hoc decreto appellavit ad S. Congregationem Conc.; unde discussum est hoc dubium : « An decreta[2] episcopi Anneciensis sint confirmanda, vel infirmanda, in casu; » respondit autem S. Congr., 21 julii 1888 : « Attentis locorum ac temporis circumstantiis, *affirmative ad primam partem, juxta modum*[3]. » — *Modus* privatim communicatus est episcopo Anneciensi, qui sic eum describit in *Epistola* ad clerum, die 29 aug. 1888[4] : « Modus est, *ne episcopus parochos prohibeat ab admittendis ad primam communionem iis pueris de quibus certo constat eos ad discretionis ætatem juxta conciliorum Lateranensis IV et Tridentini decreta pervenisse.* Sanctissimus vero, in audientia diei 23 julii, jussit declarari verba *ad primam communionem* esse intelligenda ad exclusionem primæ communionis in forma solemni. » — Unde parochus retinet jus admittendi ad primam communionem pueros certo discretione sufficienti pollentes, sed sine solemnitate, et

[1] *Thesaurus, loc. cit.*, p. 474.

[2] Erat nempe aliud decretum, quo cavebat Episcopus ut numquam prima communio puerorum perageretur ante diem vigesimum mensis maii (*Thesaurus, loc. cit.*).

[3] *Thesaurus, loc. cit.*, p. 487.

[4] Tenorem *epistolæ* habes apud *Nouvelle revue théologique*, t. XXI, an. 1889, p. 29; — cf. etiam *Canoniste contemporain*, t. XII, an. 1889, p. 154.

dilata solemni communione ad ætatem ab Episcopo præscriptam. — Cæterum hoc jure suo parcius utetur parochus, ne detrimentum inferat laudabili et saluberrimæ consuetudini primæ communionis solemnis; hæc est certo *causa rationabilis*, propter quam, ad mentem conc. Later., potest aliquantisper differre primam alicujus pueri communionem.

CAPUT III

DE TEMPORE DISTRIBUENDI SACRAM COMMUNIONEM

§ 1. De diebus quibus distribui possit sacra communio.

165. — Regula generalis. — *Omnibus diebus, uno alterove excepto (de quibus infra), distribui potest sacra communio.* — Patet *constanti et universali* consuetudine, cujus ratio est quia, juxta ritum Ecclesiæ occidentalis, missa quotidie celebrari potest; porro communio est pars aut quasi supplementum missæ.

166. — De feria VI in Parasceve. — *Feria VI in Parasceve, non licet dare sacram communionem nisi infirmis.* — Nam :

1° *Ita jubet, nunc saltem, Ecclesiæ consuetudo.* — Per plura quidem sæcula, nempe sæculis VI, VII et forsan VIII, fideles feria VI in *Parasceve*, sicut aliis diebus, sacram communionem recipiebant (de hostiis ab hesterna die reservatis), etiam Romæ, ut constat : 1. Ex *Ordine romano I* (edito a Mabillon[1]), qui refert disciplinam romanam tempore circiter S. Gregorii Magni, et ubi, inter ritus hac die

[1] *Musæum italicum*, t. II (item apud Migne, *P. L.*, t. LXXVIII).

fieri solitos, post *Pater noster* et *Libera nos,* dicitur, n. 35 : « Cum dixerint *Amen,* sumit (Pontifex) de sancta, et ponit in calicem nihil dicens; et *communicant omnes cum silentio*[1]; » — 2. Ex *Sacramentario* sic dicto *Gelasiano*[2], qui refert disciplinam romanam circa annos circiter 650-700, ubi, inter ritus hujus diei, dicitur : « His omnibus expletis, adorant omnes sanctam crucem, et *communicant*[3]. » Unde, his sæculis, communio sacra fiebat hac die sicut aliis diebus, etiam Romæ[4]. — Verum postea desiit ritus communionis fidelium, ita ut, jam tempore Amalarii (def. an. 837), Romæ, hac die, solus Pontifex communicaret, teste ipso Amalario, qui dicit se hac de re consuluisse archidiaconum romanum, qui respondit : « In ea statione, ubi Apostolicus salutat crucem, *nemo ibi communicat*[5]; » alibi tamen perseverabat communionis ritus, ut concluditur ex Amalario dicente[6] : « In Parasceve non conficitur corpus Domini; necesse est, ut hi, *quibus est voluntas communicandi,* habeant sacrificium ex priori die; » qui ritus Amalario videtur minus rectus[7]. De cessatione ritus communionis hac die in Ecclesia romana testatur etiam Pseudo-Alcuinus (sæculo x, forsan xi)[8]. Quæ Romana consuetudo

[1] *Musæum italicum,* p. 23; item in *Appendice,* n. 8, p. 35; cf. *ibid.,* p. lxxii.

[2] Ed. apud Muratori, *Liturgia romana vetus,* Venetiis, 1748 (item apud Migne, *P. L.,* t. lxxiv).

[3] Muratori, t. i, p. 562.

[4] Quid factum fuerit sæculis *anterioribus* incertum est; desunt enim monumenta; in *S. Silviæ Aquitanæ peregrinatio ad loca sancta,* Romæ, 1888, p. 62-66, ubi narrantur ritus feriæ VI *in Parasceve,* in ecclesia Hierosolymitana, nihil habetur de sacra communione. Cf. Cabrol, *Les Églises de Jérusalem... au IVe siècle,* Paris, 1895, p. 108.

[5] Amalarius, *De eccl. officiis,* lib. I, c. xv; Migne, *P. L.,* t. cv, col. 1032.

[6] *Ibid.,* c. xii, col. 1018.

[7] *Ibid.,* c. xv, col. 1032.

[8] *De divinis officiis,* c. xvi; Migne, *P. L.,* t. ci, col. 1206, ubi auctor fere exscripsit relata verba Amalarii.

paulatim ubique recepta est, præsertim post editum *Missale romanum*, an. 1570, et decretum S. Congr. Conc., an. 1679, de quibus statim.

2° *Ita suadet rubrica Missalis romani*, in feria V *in Cœna Domini :* « Hodie sacerdos consecrat duas hostias...; alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur sacramentum ; *reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis ;* » si pro *infirmis*, ergo non pro *sanis*. — Attamen, ut per se patet, non est prohibitio directa, nec clara, sacræ communionis pro sanis, in die Parasceves ; ii qui in scripta redegerunt *Missale romanum*, loquebantur in hypothesi et ad mentem romanæ consuetudinis, sed non curabant, et forte ne cogitabant quidem, de imponenda obligatione abstinendi a sacra communione. Unde, etiam post editum *Missale*, plurimi doctores [1] docere non cessarunt nullam esse prohibitionem communicandi in die Parasceves : quod Suarez tenet esse probabilius [2].

3° *Ita jubet S. Congr. Conc., in decreto, vim legis habente, an.* 1679. — Quum enim audivisset Innocentius XI, in quibusdam diœcesibus, inter alia, « vigere usum quotidianæ communionis, *etiam in feria VI Parascevæ*, » rem S. Congregationi Concilii examinandam commisit, quæ, die 12 febr. 1679, celebre edidit decretum *De quotidiana communione*, quod Innocentius approbavit, publicarique jussit [3]. Porro in hoc decreto legimus : « Curent etiam (Episcopi), ut, circa communionem in feria sexta Parascevæ, *Missalis rubricæ et Ecclesiæ Romanæ usus serventur*. » Unde a tempore hujus decreti cessavit controver-

[1] Quorum videas nomina apud Pignatelli, *Consult. can.*, Coloniæ Allobrogum, consult. XC, n. 1, t. IX, 1717, p. 250.

[2] Suarez, *loc. cit.*, disp. LXXX, sect. II, n. 7.

[3] Quod legas in extenso apud Giraldi, *Expositio*, etc., part. II, sect. LXIV, t. III, p. 890-891, vel apud Petra, *In const. XX Eugenii IV*, t. IV, p. 302.

sia, et doctores communissime docent hac die prohiberi sacram communionem, licet in hanc diem incidat Annuntiatio B. Mariæ Virginis: sic Petra, Benedictus XIV, S. Alphonsus, Cavalieri[1], etc., etc.

Dixi : *Nisi infirmis*, ut per se patet, et constat ex relata rubrica *Missalis*.

167. — De sabbato sancto. — *Nulla est prohibitio recipiendi sacram communionem sabbato sancto.* — Quidam auctores dicunt prohibitam esse sacram communionem sabbato sancto, sicut in die Parasceves: ita Gavantus, Benedictus XIV, et hodie Gasparri[2], etc. Sed nullum decretum prohibitivum assignari potest :

1° In missa sabbati sancti quæ olim celebrabatur nocte inter sabbatum et diem Resurrectionis et paulatim anticipata est in diem sabbati , olim fideles passim communicabant, ut constat : 1. Ex *Ordine romano I*, de quo supra, ubi dicitur, n. 16 : « Illud autem de parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, *antequam communicent sacramenta corporis Christi*, et, omnibus diebus septimanæ Paschæ, ad missas procedant, et parentes eorum offerant pro ipsis, et *communicent omnes*[3] : » — 2. Ex *Sacramentario* sic dicto *Gelasiano*, in quo exponitur ritus missæ in sabbato sancto dicendæ: porro hujus missæ orationes supponunt omnino et *hostias a renatis oblatas fuisse*, ut dicitur in *Secreta*,

[1] Petra, *In const. XX Eugenii IV*, n. 11, t. IV, p. 303; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 166, Lovanii, 1762, t. II, p. 249; — S. Alph., lib. VI, n. 252; — Cavalieri, *Commentaria in decreta S. Congr. Rit.*, c. IV, decr. III, n. 1-3, Augustæ Vindel., 1764, t. IV, p. 51.

[2] Gavantus, *Rubricæ Missalis*, part. IV, tit. X, n. 38, Venetiis, 1823, t. II, p. 175; — Benedictus XIV, *loc. cit.*; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 1090, t. II, p. 334.

[3] Mabillon, *Musæum italicum*, t. II, p. 28.

et *fideles communicasse:* sic enim fert oratio *Post Commun.:* « Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, *divino munere satiati, et sacris mysteriis innovemur,* et moribus[1]. »

2° Nulla mentio aut umbra prohibitionis deprehenditur aut in relato decreto an. 1679, quod non agit nisi de feria sexta in Parasceve, aut in *Missali romano:* e contra, in hoc *Missali*. Secreta supponit fieri a populo *oblationes hostiarum*, utique ad consecrationem et communionem offerentium: et oratio in fine missæ supponit alios, præter sacerdotem, *sacramentis paschalibus satiatos esse.*

3° Favet nostræ propositioni decisio S. Congr. Rit., in *Tifernaten.*, 22 martii 1806: huic enim quæsito: « An liceat *in sabbato sancto inter missarum solemnia sacram Eucharistiam distribuere*, et num per eamdem sumptionem sacræ communionis præceptum paschale adimpleatur, » respondit: « *Affirmative in utroque*[2]. » Scio quidem in loco, pro quo quærebatur, extitisse consuetudinem immemorabilem dandi communionem sabbato sancto, ut patet ex *facti* expositione: sed, ut patet ex verbis relatis, quæsitum et responsum abstrahunt ab hac consuetudine. — Scio etiam, in *Mutinen.*, 23 sept. 1837, S. Rit. Congr., ad idem quæsitum respondisse: « *Negative nisi adsit consuetudo*[3]; » sed, in novissima editione *Decr. auth.*, omissum fuit illud responsum[4].

4° Nec dicatur, cum Benedicto XIV, *loc. cit.*, *communem esse consuetudinem* in contrarium: nam: 1. In pluribus locis, dari solet sacra communio fidelibus in missa sabbati sancti, ut quotannis ego fieri video hic in civitate Pari-

[1] Muratori, *loc. cit.*, t. I, col. 571, 573.
[2] *Decreta authentica*, n. 2561, t. II, p. 161.
[3] Gardellini, n. 4815, ad 2.
[4] Licet relata fuit causa *Mutinen.*, cum aliis responsis, n. 2769, t. II, p. 275.

siensi ; — 2. Quando agitur de actibus mere *facultativis*, id est qui ad libitum poni vel omitti possunt (ut est communio in sabbato sancto), omissio actuum, etiam per longum tempus protracta, non inducit consuetudinem, nisi omittantur *cum intentione inducendæ obligationis*, quæ difficile demonstratur, et nunquam præsumitur[1]. Unde licet in multis locis adsit consuetudo non recipiendi communionem sabbato sancto, jus non habemus eam interpretandi, etiam pro his locis, a fortiori pro aliis, in sensu consuetudinis obligatoriæ.

Ita multi auctores (præter eos qui dicunt licitam esse communionem in feria VI in Parasceve, de quibus supra), v. g., Merati, Cavalieri, Clericati, S. Alphonsus, etc., etc.[2].

§ 2. De hora distribuendi sacram communionem.

168. — Communio in missa.

1° Tempus *normale*, et sacræ antiquitati maxime consonum, distribuendi sacram communionem, est tempus *ipsius missæ;* olim enim, ut supra dictum est (n. **144**), vix extra missam sacra communio *sanis* distribuebatur. Unde *Rituale romanum*, tit. IV, c. II, n. 10, hæc habet : « Communio autem populi *intra missam*, *statim post communionem sacerdotis celebrantis*, fieri debet, *nisi quandoque ex rationabili causa post missam sit facienda.* » Rationabilis causa est, v. g., si magnus sit communicantium concursus ; item, si quis communionem petat post missam, rationabilis causa præsumitur. Hodie etiam dari potest com-

[1] Cf. canonistas, in tit. *De consuetudine;* v. g., Reiffenstuel, in hunc tit., n. 129-130.

[2] Merati, in Gavantum, *loc. cit.*, n. 57, p. 178 sq.; — Cavalieri, *loc. cit.*, n. 4 sq., p. 51; — Clericati, *De Euch. sacramento*, dec. XV, Venetiis, 1720, p. 88-92; — S. Alph., lib. VI, n. 252.

munio *immediate ante missam*, ex rationabili causa eodem modo intellecta, ut fert usus. In his adjunctis, sacerdos sacram communionem distribuit cum iisdem paramentis quibus missam celebrat.

2° Idem omnino fieri potest in missis *de Requiem*. — Fuerunt quidem, ante annum 1868, hac de re magnæ controversiæ [1]; sed hodie standum est *decreto generali* S. Rit. Congr., 27 junii 1868 (in quo exponitur brevis historia controversiæ) : « Affirmative, seu posse *in missis defunctorum*, cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari, *etiam ex particulis præconsecratis*, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem *immediate post missam defunctorum;* data autem rationabili causa, *immediate quoque ante eamdem missam;* in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem [2]. »

3° Prohibetur distributio sacræ communionis in missa in nocte Nativitatis Domini, ut infra dicitur.

169. — Communio extra missam.

1° Juxta Mabillon [3], usus distribuendi sacram communionem extra missam profectus est ex Oriente; vigebat in ecclesia Hierosolymitana, sæculo XI, ut concludi posse videtur his verbis cardinalis Humberti (def. an. 1064), *Adversus Græcorum calumnias*, n. 33 : « Ad hæc, si quid ex sancta et venerabili Eucharistia in Jerosolymitanis ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, et *sequenti die communicant ex eo populum, quia quotidie communicant ibi*, eo quod conve-

[1] Cf. Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. 163-165, Lovanii, 1762, t. II, p. 244; — de Herdt, *S. lit. praxis*, t. I, n. 274, p. 331; — S. Alph., lib. VI, n. 249.

[2] *Decreta authentica*, n. 3177, t. II, p. 463.

[3] *De liturgia gallicana*, lib. I, c. IX, n. 26, Parisiis, 1729, p. 96.

niunt illuc ex diversis provinciis christiani[1]... » Quonam autem tempore hic usus incœperit, incertum est; scimus tamen, ex dictis supra (n. **144**), jam sæculo IV sacram Eucharistiam asservatam fuisse in ecclesiis.

2° Omnino licitum est sacram Eucharistiam distribuere *extra missam*, ut patet *Rituali romano*, quod tit. IV, c. II, præscribit regulas hoc in casu servandas.

3° Attamen illicitum est eam *noctu* distribuere. — Constat ex *universali et antiqua Ecclesiæ consuetudine*, quæ ex eo orta est, quod per plura sæcula sacra communio non solebat distribui nisi *intra missas;* porro missæ non nisi *die* solebant celebrari. Unde, ut infra dicetur, etiam ad infirmos sacram Eucharistiam nocte deferre illicitum est, sine necessitate.

4° Imo prohibitio applicata est ad missam solemnem quæ cantatur in media nocte Nativitatis Domini, et ad missas privatas quæ ex indulto hac nocte celebrantur, ita ut fideles hac nocte non possint communicare, sed exspectare debeant auroram. — Quæ est omnino jurisprudentia S. Rituum Congregationis, ut constat ex ejus decretis in *Pisauren.*, 20 apr. 1641[2]; — in una *Trium Missarum*, 7 dec. 1641[3]; — in *Senen.*, 23 martii 1686[4]; — in *Taurinen.*, 3 dec. 1701[5]. — Quæ prohibitio ligat non tantum laicos, sed etiam quoscumque *regulares* et *moniales*, nisi, ut patet, habeant indultum speciale, uti declaratum est in præfata *Senen.* — Unde consentientes videris hac in re unanimiter doctores, Giraldi, Clericati, Benedictus XIV, S. Alph., de Herdt, etc., etc.[6]. — In pluribus diœcesibus,

[1] Migne, *P. L.*, t. CXLIII, col. 952.
[2] *Decreta authentica*, n. 752, t. I, p. 162.
[3] *Ibid.*, n. 781, t. I, p. 165.
[4] *Ibid.*, n. 1761, t. I, p. 377.
[5] *Ibid.*, n. 2086, t. I, p. 461.
[6] Giraldi, *Expositio*, etc., part. I, sect. DCV, p. 432; — Clericati, *loc.*

v. g., in diœcesi Parisiensi, habetur indultum, vi cujus possint fideles sacram communionem recipere in nocte Nativitatis Domini.

5° Exceptis horis nocturnis, dari potest sacra communio quacumque hora, etiam pomeridiana; nulla enim exstat in contrarium prohibitio; ad summum quidam doctores requirunt *aliquam specialem causam*, ut communio detur *sub vesperis*. Ita S. Alphonsus, cum pluribus quos allegat, quem sequuntur communiter recentiores[1]. — Nec obstat decisio S. Rit. Congr., in *Tuden.*, 7 sept. 1816, ad 23, ubi, in diebus magni concursus, restringitur tempus distribuendæ communionis, « in casu de quo agitur, a tempore ad tempus quo in illa ecclesia missæ celebrantur vel ad formam rubricæ, vel *ad formam indulti eidem ecclesiæ concessi*[2]. » Quum enim, pro diebus magni concursus, sæpe detur indultum celebrandi missas post mediam noctem (quod tempus non est juridice aptum ad distributionem sacræ communionis), recte fuit restrictum tempus communionis ad tempus concessum pro celebratione missarum. — Cæterum, ob requisitum jejunium, non est timendum ne invalescat usus distribuendi sacram communionem horis pomeridianis.

170. — Communio infirmorum. — De hac *Rituale romanum*, t. IV, c. IV, n. 10, hæc habet : « Noctu autem hoc sacramentum deferri non debet, *nisi necessitas urgeat.* » Ergo quacumque hora deferri potest sacra communio ad infirmos, etiam nocturna in casu necessitatis.

cit., dec. XIII, p. 75 sq.; — Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, part. II, n. CLXVI, p. 247; — S. Alph., lib. VI, n. 252; — de Herdt, *loc. cit.*, t. III, n. 6, p. 10.

[1] S. Alph., lib. VI, n. 252; — d'Annibale, *Summula*, ed. 3, t. III, n. 407, not. 6, p. 323; — Lehmkuhl, ed. 1893, t. II, n. 141, p. 102; — Gasparri, *De Eucharistia*, n. 1091.

[2] *Decreta authentica*, n. 2572, t. II, p. 166.

CAPUT IV

DE JEJUNIO EUCHARISTICO

§ 1. Notitiæ historicæ [1].

171. — Antiquitas jejunii eucharistici.

1° *In Ecclesia occidentali.* — 1. Primum testimonium, quod occurrat de usu jejunii eucharistici, est apud Tertullianum, *Ad uxorem*, lib. II, c. v, ubi, agens de convivio Dominico, seu cœna eucharistica, et alloquens uxorem viri infidelis, ait : « Nonne sciet maritus *quid secreto ante omnem cibum gustes?* Et si sciverit *panem, non illum credit esse qui dicitur* [2] *?* » — 2. Hic usus lege firmatus est in concilio Hipponensi, an. 393, can. 28 [3]; qui canon in extenso relatus est in conc. Carthaginensi III, an. 397, can. 29, his verbis : « Ut sacramenta altaris non nisi a *jejunis* hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum sive Episcoporum seu clericorum sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur [4]. » Hic canon insertus est, an. 419, in *Codice canonum Ecclesiæ Africanæ*, can. 41 [5].

[1] Cf. Bona, *Rerum liturgicarum*, lib. I, c. xxi, § 1 sq., Augustæ Taurinorum, 1749, t. II, p. 108 sq.; — Bingham, *Origines eccl.*, lib. XV, c. vii, § 8; Halæ, 1728, t. vi, p. 509 sq.

[2] Migne, *P. L.*, t. i, col. 1296.

[3] Bruns, *Concilia*, t. i, p. 138.

[4] *Ibid.*, p. 127.

[5] *Ibid.*, p. 167.

2° *In Ecclesia orientali.* — In hac ecclesia, sæculo IV, jam vigebat, et tanquam legis vim habens, usus jejunii eucharistici, sive pro celebrante, sive pro communicante, ut constat his testimoniis : 1. S. Basilius, homilia I, *De jejunio*, n. 6, hæc ait : « Neque enim fieri potest, ut *absque jejunio audeat* (sacerdos) *ad sacrum ministerium accedere*, non tantum *in mystico horum temporum* vero cultu, verum etiam in eo qui juxta legem (mosaicam) in figuris peragebatur [1] ; » — 2. S. Gregorius Nazianzenus, oratio XL, *In sanctum baptisma*, n. 30, ait : « Ille (Christus) paschatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit, et a cœna, et unico ante passionem die ; nos, in templis, et *ante cœnam*, et post resurrectionem [2] ; » — 3. S. Joannes Chrysostomus, homilia XXVII, *In I Cor.*, n. 5, ait : « Tu vero, *antequam percipias* quidem (sacramentum), *jejunas, ut quomodocumque dignus videaris* [3], » et in epistola CXXV, *Ad Cyriacum :* « Aiunt (detractores) *me post epulas quibusdam communionem impertiisse ; hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine scribatur ; quoniam ecce, si quidquam ejusmodi perpetravi, Christus a regno suo me abjiciat* [4]. »

3° Unde certum est, propter Tertulliani testimonium, saltem in quibusdam partibus Ecclesiæ latinæ, sæculo II exeunte, viguisse usum jejunii eucharistici, qui deinde in alias Ecclesiæ partes diffusus est. Quonam autem tempore inceperit, prorsus incertum est. Christus instituit sacra mysteria, distribuitque suis discipulis *post cœnam ;* Matth., XXVI, 26 ; Marc., XIV, 22 ; Luc., XXII, 14-20. Verba Pauli, I Cor., XI, 20-22, ostendunt Corinthios, antequam sacra mysteria perciperent, solitos esse *suam cœnam*, exemplo Christi, *præsumere*, nec hunc usum, sed tantum abusum, damnat apostolus. Quidam quidem, v. g., Bona, ejusque annotator Robertus Sala, Suarez, etc., tenent usum hunc ab apostolis institutum fuisse [5] ; verum hæc opinio nullo

[1] Migne, *P. G.*, t. XXXI, col. 171.
[2] *Ibid.*, t. XXXVI, col. 402.
[3] *Ibid.*, t. LXI, col. 231.
[4] *Ibid.*, t. LI-LII, col. 683.
[5] Bona, *loc. cit.*, § 3, p. 112 ; — R. Sala, in hunc locum, not. 1, p. 113 ;

solido fundamento nititur[1], licet quidam auctores, v. g., S. Isidorus Hispalensis[2], dicant se referre ad apostolicas traditiones.

172. — Diffusio usus jejunii eucharistici.

1° *In Ecclesia occidentali :*

A. *Textus sancti Augustini.* — Quæsierat ab ipso Januarius : « Quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis quadragesimæ fieri debeat? An offerendum sit mane, et rursus post cœnam, propter illud quod dictum est : Similiter postquam cœnatum est? An jejunandum, et post cœnam tantummodo offerendum? An etiam jejunandum, et *post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum?* » — Inter alia autem respondit ei Augustinus : « Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est *universæ Ecclesiæ quod a jejunis semper accipitur?* Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi ; nam ideo *per universum orbem mos iste servatur.* Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere... Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri ut qui etiam jejunaverit, post refectionem quæ hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum nisi quia plures et

— Suarez, *In partem III D. Thomæ, De Eucharistia,* disp. LXVIII, sect. III, n. 3, edit. Vivès, t. XXI, p. 511.

[1] Ita etiam D. Chardon, *Histoire des sacrements,* l. I, sect. III, c. VII, apud Migne, *Theologiæ cursus compl.,* t. XX, col. 290.

[2] *De ecclesiasticis officiis,* lib. I, c. XVIII, n. 3; Migne, *P. L.,* t. LXXXIII, col. 755.

prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt; ad vesperam vero propter jejunantes[1]. » Unde, juxta Augustinum, mos eucharistici jejunii *per universum orbem jam, ipsius tempore, servabatur;* quod intelligendum est saltem de Ecclesia occidentali, ut statim aliis documentis constabit. Excipiebatur tamen, tempore Augustini, feria V in cœna Domini, in qua, pluribus in locis, missa post cœnam celebrabatur; de quo infra.

B. *In Hispania.* — Præfatum morem ubique in Hispania vigere sæculo VI et VII demonstrant concilia hujus ætatis : 1. Concilium Bracarense II, an. 572, can. 10, sic statuit : « Si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit reprehensus, ut *nec jejunus, sed quocumque jam cibo præsumpto,* oblationem consecraverit in altari, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur Episcopo[2]; » — 2. Conc. Toletanum VII, an. 646, can. 2, sic statuit : « Ne tamen, quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, *nullus post cibi potusve quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat;* si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit[3]; » — 3. Unde Isidorus Hispalensis, loco supra relato, ait fere exscribens Augustinum : « ... Primum discipuli corpus et sanguinem Domini non acceperunt jejuni. *Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur.* Sic enim placuit Spiritui Sancto per apostolos, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi, et ideo *per universum orbem mos iste servatur*[4]. »

C. *In Gallia.* — Eadem disciplina vigebat in Gallia : 1. Synodus Antissiodorensis, an. 578(?), can. 19, decernit : « Non licet presbytero aut diacono aut subdiacono, *post acceptum cibum vel*

[1] *Epist.,* LIV, *Ad Januarium,* n. 7-9; Migne, *P. L.,* t. XXXIII, col. 203-204.
[2] Bruns, *Concilia,* t. II, p. 42.
[3] *Ibid.,* t. I, p. 262.
[4] *De eccl. officiis,* lib. I, c. XVIII, n. 3; Migne, *P. L.,* t. LXXXIII, col. 755.

poculum, missas tractare aut in ecclesia, dum missæ dicuntur, stare [1]; » — 2. Conc. Matisconense II, an. 585, can. 6, ait : « Decernimus, ut nullus presbyter *confertus cibo aut crapulatus vino* sacrificia contrectare aut missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat; injustum est enim ut spirituali alimento corporale præsumatur; sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris [2]; » et recitat supra relatum canonem 29, conc. Carthaginensis III; — 3. Gregorius Turonensis, *De gloria martyrum*, c. LXXXVII, miraculum narrat, quasi in divinam approbationem hujusce consuetudinis jejunii eucharistici : « ... Nec dubitat miser, vino madefactus, appetere quod jejunus quisque non sine metu potest terrente conscientia explicare... [3]. »

D. *Romæ.* — In Urbe eadem consuetudo vigebat, et quidem adeo stricte, ut quando Rom. Pontifex una die duas missas celebraturus erat, illi præceptum erat, ne post priorem missam os ablueret : quod testatur *Sacramentarium Gregorianum*, a Menardo editum, sub rubrica : *Vigilia SS. Petri et Pauli :* « Quando Apostolicus duas missas celebrat una die, *inter eas non lavat os*, nisi post officium; sed absque intervallo, finita priore, incipitur altera [4]. » — In suis *responsis* ad Bulgaros, c. LXV, Nicolaus I stricte intimat legem jejunii, his verbis : « Tunc recte non licet cuilibet communionem Christi percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut, mysticam mensam parvipendens, prius cibi laici sumptu jejunium solvisse videatur, Christique venerandum corpus ac pretiosum sanguinem a cæteris non discernens alimentis, non præposuisse omni humanæ refectioni, sed postposuisse noscatur [5]. »

2° *In Ecclesia orientali.* — Jam audivimus testes pro sæculo IV; magis autem ac magis diffusus est in hac Ecclesia

[1] Bruns, *Concilia*, t. II, p. 239.

[2] *Ibid.*, p. 251.

[3] Migne, *P. L.*, t. LXXI, col. 782.

[4] *Ibid.*, t. LXXVIII, col. 123; cf. col. 395.

[5] Migne, *P. L.*, t. CXIX, col. 1004. — Unde Stephanus II, epist. IV, *Ad Pippinum regem*, excessus deflet Longobardorum qui sacram Eucharistiam « cibo carnium copioso saturati comedebant ». Migne, *P. L.*, t. LXXXIX, col. 1000.

usus jejunii eucharistici, ut constat documentis quæ sequuntur :

A. Palladius episcopus (def. circ. an. 431), in *Historia Lausiaca*, c. IX, referens vitam moresque abbatis cujusdam, Or nomine, ejusque monachorum, in monte Nitriæ, testatur eos non nisi jejunos Eucharistiam solitos esse percipere, hæcque addit : « Viris enim magnis (τοῖς μεγάλοις) mos est, nihil carnis admittere, priusquam spiritale alimentum animæ tradiderint : hæc autem est Christi communio [1]. » — Item, paulo infra, c. LII, referens vitam abbatis Apollo, in Thebaide, testatur ejus monachos non nisi jejunos communicare solitos esse : « Qui cum ipso erant fratres, alimentum non prius accipiebant, quam Eucharistiæ Christi communicassent : hoc autem faciebant hora nona diei [2]. » Quod tanto magis memorandum erat, quod in his regionibus nondum erat hoc tempore plene recepta jejunii eucharistici consuetudo, ut statim discimus ex Socrate.

B. Socrates, *H. E.*, lib. V, c. XXII, testatur simul usum præfatum ubique vigentem, et contrariam alicubi consuetudinem : « Ægyptii qui Alexandrinis vicini sunt, et ii qui Thebaidem incolunt, sabbato quidem collectas (σύναξεις, conventus nempe liturgicos) celebrant ; non tamen *sicut mos est Christianorum* sacra mysteria percipiunt ; postquam enim epulati sunt, et omni ciborum genere saturati, sub vesperam oblatione facta communicant [3]. »

C. Sic dictum *Testamentum Domini Nostri Jesu Christi* sæpius et fortiter inculcat legem jejunii eucharistici. Lib. II, c. XX, agens de solemnitate Paschæ, ait : « Jubeat Episcopus proclamari, *ne quis quidpiam gustet, donec sacrificium expletum fuerit*, et universum Ecclesiæ corpus novam escam suscipiat... Si quis, antequam communionem eucharisticam suscipiat, aliquid manducaverit, fit reus, et nequaquam ipsi imputabitur (in meri-

[1] Migne, *P. G.*, t. XXXIV, col. 1029.

[2] *Ibid.*, col. 1149.

[3] *Ibid.*, t. LXVII, col. 635. — Hæc consuetudo Thebæorum lucem et explicationem recipit ex hoc, quod ad horas sabbati serotinas anticipabant missam quæ mane die dominico post vigiliam celebrari debuisset; unde præfata consuetudo non respicit nisi hanc missam sabbati.

tum) jejunium quod jejunavit[1]; » et paulo infra, c. xxv, agens in genere de communione : « Sit semper fidelis sollicitus, *ut antequam cibum sumat, fiat particeps Eucharistiæ*, ut evadat nesciens lædi[2]. »

D. Concilium Trullanum, an. 692, can. 29, usum jejunii eucharistici lege firmavit, pro omnibus missis, ne excepta quidem missa feriæ V in Cœna Domini : « Carthaginensis synodi canon dicit, ut sancta altaris non nisi a jejunis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur... Quum nihil erga nos inducat, ut accuratam observationem relinquamus, statuimus, apostolicas ac paternas traditiones sequentes, non oportere in quadragesima, postrema hebdomade, feria quinta, jejunium solvere, et totam quadragesimam injuria afficere[3]. »

E. Unde apud omnes Orientales viguit disciplina jejunii eucharistici : 1. Quoad *Græcos*, adhæserunt firmiter cit. canoni Trullano; cf. in hunc canonem commentaria Balsamonis, Zonaræ et Aristeni[4]; — 2. Quoad *Syros*, eorum collectiones canonum pluries inculcant legem jejunii; sic *Nomocanon ecclesiæ Antiochenæ Syrorum* (quem scripsit Gregorius Barhebræus), c. iv, sect. ii, hæc habet : « Nemini licet cibum aliquem aut potum quemcumque capere ante sacramentorum sumptionem, nisi urgente morbi necessitate aut in mortis periculo. Et si quis ex errore potum simplicem in aliquo majori festo, ac petierit communione donari, sacerdotis jussu communicet, accepto prius canone (pœnitentiæ)[5]; » ita etiam pluries Joannes Telensis episcopus (503-519), *Resolutiones canonicæ*; cf. Resolutiones 9, 18, 21[6]; quam disciplinam accurate servabant omnes Syri, sive Nestoriani, sive Jacobitæ, sive Maronitæ[7]; — 3. Apud *Coptos*, eadem disciplina

[1] Ed. Rahmani, Moguntiæ, 1899, p. 141.

[2] *Ibid.*, p. 147.

[3] Bruns, *Concilia*, t. i, p. 46.

[4] Migne, *P. G.*, t. cxxxvii, col. 605-610.

[5] Apud Mai, *Scriptorum veterum nova collectio*, t. x, part. II, p. 21.

[6] Apud Lamy, *Dissertatio de Syrorum fide et disciplina*, Lovani, 1859, p. 71, 75-76, 79; cf. etiam ejusdem Annot. 7, *ibid.*, p. 182-184.

[7] Cf. Lamy, *ibid.*, p. 182-184; — Denzinger, *Ritus orientalium*, Wirce-

vigebat ; in eorum collectione *Canonum apostolorum,* sic legitur canon 13 : « Omnis fidelis operam dabit ut sacramentis communicet *antequam aliquid gustaverit* [1] ; » — 4. Item apud *Æthiopes* seu Abyssinos, qui cæteroquin subditi erant Patriarchæ Alexandrino Coptorum, ex qua ecclesia suos hauserunt ritus [2] ; — 5. Idem dicendum est pro *Armenis ;* eorum collectiones canonum non semel eamdem referunt disciplinam ; sic inter *Canones Nersetis catholici*, can. 22, legitur : « ... Sin autem aliquis manducaverit, ad sacram mensam nec audeat accedere ; et presbyteri et laici talem hominem curent ad mensam minime admittere [3] ; » item, inter *Canones Isaaci archiepiscopi,* can. 29 : « Ante missam non audeant in domibus suis cibum vel potum sumere, etc. [4]. » Cf. etiam concilium *Armenum,* an. 527, can. 24 [5]. — Imo, apud Orientales, a lege jejunii ne infans quidem eximebatur baptizandus ; cum enim apud Orientales (sicuti tunc etiam in Ecclesia latina, supra, n. **158**) baptismus ministrari non posset sine sacra communione, infans arcebatur a lacte matris sugendo donec sacra Eucharistia refectus fuisset [6].

173. — Jejunium eucharisticum pro omnibus missis ubique receptum.

1° *De missa feriæ V in Cœna Domini.* — Ut supra dictum est, concilium Carthaginense III a lege jejunii excipit istam missam ; quod non reprobat S. Augustinus ; imo hunc usum recipit concilium Matisconense II ; in citato enim capite, post relata verba, ait : « Jam enim de tali causa et in conciliis Africanis definitum est ; quam definitionem nostro quoque dignum duximus sociare decreto... : Ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus

burgi, 1863, t. I, p. 66-68 ; — Assemani, *Bibliotheca orientalis,* t. II, p. 184, et alibi passim.

[1] Renaudot, *Liturg. orient. collectio,* Parisiis, 1716, t. I, p. 287.

[2] Cf. Denzinger, *loc. cit.,* p. 66.

[3] Mai, *loc. cit.,* t. X, part. II, p. 275.

[4] *Ibid.,* p. 280.

[5] Hefele, *Histoire des conciles,* § 240, versio gallica Delarc, t. III, p. 324.

[6] Cf. Denzinger, *loc. cit.,* p. 23-24.

celebrentur, *excepto uno die anniversario quo cœna Domini celebratur.* » — Verum paulatim hæc exceptio in desuetudinem abiit; hanc sustulit concilium Bracarense I, an. 563, can. 16 : « Si quis quinta feria paschali, quæ vocatur *Cœna Domini*, hora legitima post nonam jejunus in ecclesia missas non tenet, sed, secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei ab hora tertia per missas defunctorum soluto jejunio colit, anathema sit [1]. » Hanc pariter exceptionem sustulit concilium Trullanum, ut dictum est. — Sæculo IX, plene desiisse videtur hæc exceptio. Walafridus Strabo (806-849) testatur legem jejunii suo tempore vigere etiam pro missa feriæ V in Cœna Domini [2]. Amalarius (def. an. 837) tanquam rem miram narrat aliquem religiosum non nisi post cœnam hac die communicasse, ad accuratius imitandum Christi Domini exemplum : « Vidi quemdam religiosum ea die primo aliquid sumere de cibo, et postea lavare pedes peregrinorum, et sic transire ad mensam (sacram), Domini nostri exemplo [3]. » S. Paschasius Radbertus (def. circa an. 860) testatur, sine ulla exceptione servari jejunium : « Cæterum *universaliter* in ecclesia *omnes* cum summa religione *jejuni* communicare consueverunt [4]; » et recitat locum supra (n. **172,** 1°) relatum Isidori Hispalensis : « Sic enim placuit Spiritui Sancto, » etc.

2° *De missis pro defunctis.* — Tempore concilii Carthaginensis III, an. 397, consuetudo invaluerat ut, si quis fidelis tempore pomeridiano moreretur, in ejus exsequiis (quæ, juxta hujus temporis usum, statim aut fere statim peragebantur), missa *etiam a sacerdote non jejuno* celebraretur, ut scilicet ejus anima quam citissime expiaretur. Hunc abusum prohibuit præfatum concilium, can. 29 (supra, n. **171,** 1°), jubens ut potius exsequiæ celebrarentur *solis orationibus;* quam prohibitionem innovavit concilium Bracarense II, an. 572, can. 10 [5]. Quum autem hic abusus in quibusdam partibus Galliæ, v. g., in diœcesi Rhemensi,

[1] Bruns, t. II, p. 32.
[2] *De rebus ecclesiasticis,* c. XIX; Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 939.
[3] *De ecclesiasticis officiis,* lib. I, c. XII; Migne, t. CV, col. 1019.
[4] *De corpore et sanguine Domini,* c. XX; Migne, t. CXX, col. 1330.
[5] Bruns, *Concilia,* t. II, p. 42.

perduraret, jussit Hincmarus, ut presbyter parochialis usque ad horas pomeridianas jejunus remaneret, ad succurrendum necessitatibus defunctorum ; *Capitulare,* an. 852, c. IX [1] ; quod capitulum insertum est decreto Gratiani, can. *Presbyter,* 2, dist. XCI. Imo præfatus abusus vigebat, licet omnino moderate, apud Cistercienses ; si quis enim frater post meridiem moreretur, missa pro eo celebrari solebat, etiam per sacerdotem qui, in sua matutina missa, *ablutiones sumpsisset;* qui abusus non nisi sæculo XIII sublatus est [2]. Sicque ubique cessavit abusus.

3° Unde missæ omnes subjectæ sunt, sine ulla exceptione, legi jejunii. Et sic ecclesiasticam disciplinam hac in re exponunt aut supponunt doctores, v. g., Petrus Lombardus, *Sent.,* lib. IV, dist. VIII, n. 3 [3], ubi recitat supra (n. **172**) relata verba S. Augustini ; S. Thomas, part. III, q. LXXX, art. 8, etc. — Innocentius III, c. *Ex parte,* 5, De celebratione missarum, prohibet ne sacerdos, bis celebraturus, in priori missa sumat ablutiones. — Quæ omnia confirmat concilium Constantiense, sess. XIII (15 junii 1415), decreto *Cum in nonnullis :* « ... Declarat, decernit et diffinit, quod, licet Christus post cœnam instituerit et suis discipulis administraverit... hoc venerabile sacramentum, tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum *non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso vel admisso* [4]. » Quod decretum specialiter et expresse et toto ejus tenore relato confirmavit Martinus V, const. *In eminentis,* 8 kal. martii 1418 [5]. — His autem ultimis verbis, *nisi in casu infirmitatis,* etc., concilium declarat quosdam esse casus exceptos, de quibus statim.

4° Duo casus uti excepti a lege jejunii passim habiti sunt :

[1] Migne, *P. L.,* t. CXXV, col. 775.

[2] Quæ narrat Robertus Sala, Cisterciensis, *Annotationes* ad Bona, *loc. cit.,* § 2, not. 3, p. 111.

[3] Migne, *P. L.,* t. CXCII, col. 857.

[4] Mansi, t. XXVII, col. 727.

[5] *Ibid.,* col. 1215.

1. Casus infirmi *sacro viatico reficiendi;* huic licebat *etiam non jejuno* Eucharistiam recipere : quam consuetudinem jam tempore Ivonis Carnotensis vigentem concludimus ex ejus epistola ad episcopum Meldensem : « Quæsitum est utrum deliquerint presbyteri qui cuidam ægroto, *ex consuetudine post prandium vomenti, viaticum dare non fuerunt ausi...*[1]; » quos laudat Ivo, quia viaticum non ministraverunt huic ægroto, *ob periculum vomitus;* quod aperte supponit, extra hoc periculum, licitam fuisse viatici ministrationem, etiam post prandium ; — 2. Necessitas *perficiendi sacrificium;* si quis enim sacerdos post consecrationem moriatur, vel aliter impediatur ne pergat, alii sacerdoti, etiam non jejuno, licitum est hoc sacrificium perficere : quod jam decrevit concilium Toletanum VII, an. 646, can. 2[2] (= can. *Nihil*, 16, C. VII, q. 1); unde etiam concilium Toletanum XI, an. 675, can. 14, statuit, ut, quoad ejus fieri posset, sacerdoti celebranti semper præsto esset alius sacerdos, sacrificium, si opus fuisset, perfecturus[3].

§ 2. De jure vigente quoad jejunium eucharisticum.

174. — Lex jejunii eucharistici servandi. — *Nec sacerdoti licet celebrare, nec fideli sacram Eucharistiam recipere, nisi jejuno.* — Constat propositio : 1. *Traditione constanti et universali Ecclesiæ*, quæ, ut supra expositum est, ad antiquissima tempora retroascendit, et in utraque Ecclesia, occidentali et orientali, servata est et servatur; — 2. C. *Ex parte*, 5, De celebratione missarum (supra, n. **173**, 3°, relato), quod legem jejunii supponit, et inde prohibet ne sacerdos bis celebraturus, in priori missa sumat

[1] Ivonis *Epist.*, CCLI, *Ad Manassen, Meldensem episcopum;* Migne, *P. L.*, t. CLXII, col. 257.

[2] Bruns, *Concilia*, t. I, p. 262.

[3] *Ibid.*, p. 315-316.

ablutiones; — 3. Concilio Constantiensi, c. *Cum in nonnullis*, sess. XIII (*ibid.* relato); quum hoc caput expresse confirmatum fuerit a Martino V, ut dictum est, vim habet juris communis; imo est potissimus hac in re textus juris; — 4. *Rubricis generalibus Missalis*, part. III (*De defectibus*), tit. IX, n. 1 : « Si quis non est jejunus post mediam noctem,... non potest communicare nec celebrare; » quo nil potest esse clarius.

175. — Motiva hujus legis. — Sunt præcipue quæ sequuntur : 1. Ut vitentur et omnino præcaveantur vitia et abusus quæ vehementer carpebat sanctus Paulus in Corinthiis, I Cor., XI, 20-22; quæ forsan prima occasio fuit hujus consuetudinis paulatim instituendæ; — 2. Ut majori cum religione hoc sacramentum colatur; notum est enim jejunium fovere piam animi recollectionem, religionem, castas cogitationes; inde omnino convenit fideles hac præparatione disponi ad sacram communionem; cf. Walafridum Strabo, *De rebus ecclesiasticis*, c. XIX[1]; — 3. « Ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi; » hæc verba (superius relata, n. **172**, 1°) sancti Augustini, sua fecerunt aut implicite approbaverunt sanctus Isidorus Hispalensis, Nicolaus I, Paschasius Radbertus, aliique supra relati scriptores; convenit enim omnino ut cibus spiritualis, imo plane cælestis et divinus, primum locum habeat.

176. — Pressius determinatur lex jejunii eucharistici :

1° *Quoad tempus inchoationis jejunii*, requiritur ut quis nullum cibum aut potum sumpserit *a media nocte*. — Clare

[1] Migne, *P. L.*, t. CXIV, col. 940.

constat usu Ecclesiæ et rubrica mox relata : « Si quis non est jejunus *post mediam noctem*, etc. » Unde etiam pro missis quæ incipiunt post meridiem stricte requiritur jejunium a media nocte. Imo, ut late demonstrat Benedictus XIV, sicubi adsit privilegium, in nocte Nativitatis Domini, celebrandi missam ante mediam noctem, requiritur omnino ut celebrans sit jejunus *a media nocte præcedenti*, ita ut etiam in missa vigiliæ non sumpserit ablutiones[1]. — Quoad modum computandi tempus, cf. supra dicta n. **21**.

2° *Quoad quantitatem*, jejunium frangitur, si quis cibum aut potum sumat *in quantacumque parva quantitate*. — Sunt ipsa verba rubricæ Missalis supra partim relatæ : « Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in *quantacumque parva quantitate*, non potest communicare nec celebrare[2]. » Quod jam statuerat supra (n. **172**, 1°) relatum concilium Toletanum VII. Revera hoc omnino congruum est supra relatis motivis legis; si enim, quod jam notavit Walafridus Strabo[3], minimum quid concedatur, mox parvum sumetur, postea majus, deinde orientur abusus, uti contigit in jejunio *ecclesiastico;* cæterum si, juxta Augustinum, cibus

[1] Benedictus XIV tum in opere *De synodo*, lib. VI, c. VIII, n. 11-21, tum in epistola *Quadam de more*, 24 martii 1756, § 9 (*Bull. Bened.*, t. IV, n. LIV). — Ut ibi demonstrat Benedictus XIV, quotannis Romæ, in *Capella Pontificia*, celebratur in nocte Nativitatis Domini, ante mediam noctem, missa solemnis a cardinali, qui non solet esse jejunus a media nocte præcedenti, sed *vi dispensationis pontificiæ certæ, licet tacitæ*. Quod factum est etiam nostris temporibus, saltem ante annum 1870; cf. Moroni, *Histoire des chapelles papales*, part. III, n. 34, ex italico translata a Manavit, Paris, 1846, p. 391.

[2] Hæc verba auctor rubricarum Missalis mutuatus est a S. Thoma, part. III, q. LXXX, art. 8, ad 4.

[3] *De rebus ecclesiasticis*, loc. cit.

cælestis primum locum mereatur ante cibos terrestres, inter hos ratione quantitatis distingui nequit. — Unde etiam, ut discernatur a jejunio *ecclesiastico*, jejunium eucharisticum vocatum est jejunium *naturale*, quod nempe nullo prorsus cibo aut potu violatum sit; hinc pariter lex illa jejunii eucharistici *non admittit parvitatem materiæ*. Non sunt igitur audiendi paucissimi quidam doctores, qui tenent in hoc jejunio, sicut in altero, admitti parvitatem materiæ; sic Gibert, Pasqualigo, etc.[1]. Quorum assertio contraria est tum traditioni ecclesiasticæ, tum relatæ rubricæ.

3° *Quoad modum sumendi*, jejunium frangitur si quis cibum aut potum sumat *præcise ut cibum aut potum*, seu, quod idem est, *per modum cibi aut potus*, non vero alio modo, v. g., per modum salivæ. — Ratio est quia tandem aliquando traditio ecclesiastica, cujus monumenta supra in § 1 exhibita sunt, nil aliud requirit ad celebrationem aut communionem, quam ut sacerdos aut fidelis neque manducaverit neque biberit, neque in magna, neque in parva quantitate; porro dicitur manducare aut bibere qui aliquid sumit per modum cibi aut potus[2], in os ab extrinseco introductum et dein in stomachum dimissum, eo modo quo manducamus panem aut bibimus aquam; non vero dicitur manducare aut bibere qui aliquid sumit per modum *salivæ*, aut *respirationis*, aut *attractionis per nares*. Hinc deducuntur corollaria, quæ sequuntur :

[1] Gibert, *Consultations canoniques sur les sacrements*, t. IV (*De l'Eucharistie*), consult. XIV, Paris, 1725, p. 131-141; — Pasqualigo, *Praxis jejunii*, decis. 440, apud Benedictum XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 96, Lovanii, 1762, t. II, p. 159.

[2] Rubrica Missalis supra relata, dum dicit : « ... *per modum etiam medicinæ...*, » non inducit tertium modum (præter modos cibi aut potus) quo possit sumi aliquid ad frangendum jejunium; sed tantum, ne forte a ratione cibi et potus excluderetur sumptio medicinalis, expresse addidit : *per modum etiam medicinæ*. Cf. D. Thomam, part. III, q. LXXX, art. 8, ad 4, a quo totum hunc locum mutuatus est auctor Rubricarum.

a. Si quis deglutiat aliquid, non ab extrinseco introductum, sed intus jam existens, non solvit jejunium; hinc ipsa rubrica Missalis, superius citata, sic pergit, n. 3 : « Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed *per modum salivæ.* » Quæ verba mutuatus est auctor rubricarum a sancto Thoma [1]. Quod omnes intelligunt saltem de reliquiis cibi fortuito et præter intentionem absorptis. Quod si quis reliquias cibi, casu remanentes in ore, *sciens volensque* deglutiat, multi dicunt solvi jejunium, tum quia divus Thomas loquitur de reliquiis absorptis *casualiter,* tum quia rubrica agit de reliquiis *per modum salivæ* haustis [2]. Putaverim, cum non paucis aliis [3], non solvi jejunium, quia hæc sumptio non est nisi complementum cœnæ præcedentis, nec sumens proprie dicitur manducare in sensu quem intenderunt pastores Ecclesiæ, qui hanc legem induxerunt.

b. Propter eamdem rationem, si quis deglutiat sanguinem (aut alium humorem) ab intra ex naribus, gingivis aut labiis defluentem, non solvit jejunium. — Hoc jam notabat Nicolaus I, in supra cit. *responsis* (n. **172**, 1°) ad Bulgaros, c. LXV; paulo post enim verba ibi relata, addit : « Cæterum quam ob rem non debeat is, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac sanguinem Christi

[1] *Loc. cit.*

[2] Ita præcipue de Lugo, *De sacramentis,* disp. XV, n. 36; Venetiis, 1751, t. v, *Disput. theolog.,* p. 291; hic auctor latissime hæc omnia quæsita tractat; — S. Alph., lib. VI, n. 279.

[3] Suarez, *In partem III D. Thomæ, De sacramentis,* disp. LXVIII, sect. IV, n. 6-7; ed. Vivès, t. XXI, p. 513 (licet consulat ut potius expuantur reliquiæ); — Quarti, *Rubricæ Missalis comment.,* in præd. rubricam, dub. 2, prima difficultas; Venetiis, 1727, t. I, p. 370; — Merati *Ad Gavantum, in hanc rubricam,* n. 3, Venetiis, 1823, t. II, p. 21. — Nec contrarius est Benedictus XIV, *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 99, t. II, p. 162, licet propensior sit ad alteram opinionem.

percipere, regula nulla docet. Nam quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri [1]. » Quod usu communi receptum est.

c. Si quis, dum os lavat, deglutiat pauculas guttas aquæ, præter intentionem, non rumpit jejunium; ita cit. Rubrica, quæ sic pergit : « Idem dicendum (nempe non impediri communionem), si, lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem [2]. » Si quis ergo ante communionem utatur ablutione oris, gargarizatione, et etiam sic dicta *pulverisatione*, licitum quidem est illi, sed curet ut diligenter aquas expuat, ne nimium aquæ deglutiat; quod enim censetur transire *per modum salivæ*, minimum est.

d. Si quis, incedens tempore pluvioso vel nivoso, casu deglutiat guttulas aquæ aut nivis; item si quis casu deglutiat pulverem, muscam, aut guttulas proprii sudoris aut sanguinis, aut etiam guttulas liquoris aut jusculi quod gustat statimque expuit, non solvit jejunium, quia hæc omnia non sumit nisi per modum respirationis aut salivæ. — Pariter si quis utatur tabaco vel per nares attracto, vel fumificato, vel etiam dentibus trito, non solvit jejunium (ne loquar de indecentia), licet parvum quid deglutiat, quia sumit per modum respirationis aut salivæ [3].

e. Si quis absorbeat aliquid, quod omnino digeri nequeat, v. g., lapillum, fragmentum metalli, etc., non rumpit jejunium, licet sciens volensque deglutiat; quia non potest serio per modum cibi aut potus sumi, quod omnino non potest digeri. Secus dicendum de re, quæ aliquo modo digeri possit, v. g., charta, palea, cera, etc. [4].

[1] Migne, *P. L.*, t. CXIX, col. 1004.

[2] Cf. etiam D. Thomam, *loc. cit.*

[3] Cf. Billuart, *Summa, De Eucharistia*, dist. VI, art. IV, § 2, Trajecti ad Mosam, 1770, t. XVII, p. 423-424. — S. Alph., lib. VI, n. 280.

[4] S. Alph., lib. VI, n. 281.

f. Quæritur num rumpat jejunium qui lavat stomachum ope tubuli (*pompe gastrique*), per quem, artificiose insinuatum, aqua projiciatur in stomachum, et inde postea cum reliquiis ciborum rejiciatur; quæritur nempe num hæc sumptio aquæ, isto modo peracta, solvat jejunium. — *Resp.* : 1. Si tubulus, ut sæpius fit primis vicibus, oleo amygdalino sit illitus, ut facilius demittatur in stomachum, difficile est non solvi jejunium, non per aquam, sed per oleum, quod ex parte gustetur et sorbeatur; — 2. Si tubulus oleo non sit illitus, puto non solvi jejunium; quis enim dicat infirmum, de quo agitur, hausisse aquam *per modum potus*, seu *bibisse aquam*[1]? Nec contrarium est indultum quod Sanctum Officium, aut potius R. Pontifex concessit cuidam sacerdoti, qui licentiam postulavit a S. Officio utendi hac stomachi ablutione ante missæ celebrationem; cui responsum fuit feria IV, 23 aprilis 1890 : « Supplicandum Sanctissimo pro gratia, juxta preces. — Eadem feria et die Sanctissimus benigne annuit pro gratia[2]. » Hoc, inquam, indultum non contrarium est opinioni propositæ; tum quia non solvit dubium theoreticum, quod non fuerat S. Officio propositum, tum quia, ut notum est, sæpe conceduntur indulta ad sedandos scrupulos. Imo hoc responsum potius favet dictæ opinioni, quia, si Sanctum Officium putasset hoc modo solvi jejunium, non tam facile sacerdoti concessisset indultum perpetuum ut non jejunus celebret missam.

177. — Exceptiones legi jejunii eucharistici apponendæ. — Hæ exceptiones respiciunt aliæ celebra-

[1] Ita etiam *Il Monitore ecclesiastico*, t. IX, an. 1895-1896, part. II, p. 182-184; — *Canoniste*, t. XX, an. 1897, p. 138-144.

[2] *Il Monitore*, ibid.

tionem missæ, aliæ tantum communionem; proponuntur et discutiuntur sub capitibus quæ sequuntur :

1° *Sacrum inceptum perficiendum.* — De quo hæc dicenda :

A. Si sacerdos post consecrationem (etiam unius tantum speciei) moriatur, vel aliter impediatur, ne missam prosequatur, tunc alius sacerdos, *etiam non jejunus* (si præsto non sit jejunus), missam prosequi debet. Hoc primo statutum est, ut supra dictum est (n. **173**, 4°), a concilio Toletano VII, can. 2; quod ubique receptum fuit. De quo casu sic statuunt *Rubricæ Missalis,* part. III, tit. x, n. 3 : « Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur missa. Si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, *et in casu necessitatis etiam per non jejunum...* Si autem, semiprolata forma Corporis, obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut missa per alium suppleatur[1]. » Ratio autem cur missa usque ad consecrationem jam perducta perfici debeat a sacerdote *etiam non jejuno,* est jus divinum, quo missa a Christo instituta est per modum totius, constans utraque consecratione et communione; porro jus divinum prævalet cuilibet legi ecclesiasticæ.

B. Si sacerdos, incepta missa, recordetur se non esse jejunum, distinguendum est : si hæc recordatio occurrat post consecrationem etiam unius tantum speciei, pergere debet, ut constat a fortiori ex dicta Rubrica; si autem occurrat hæc recordatio ante consecrationem, sacerdos ab altari recedere debet, nisi adsit periculum vel infamiæ pro-

[1] De hac rubrica, cf. Quarti, *op. cit.,* t. I, p. 403 sq.

priæ, vel scandali, quod vitari nequeat nisi prosecutione missæ.

C. Si sacerdos, quum pervenerit ad communionem, bibat quod est in calice, et advertat non fuisse vinum, tenetur, licet non sit amplius jejunus, novam hostiam, vinumque consecrare, et sumere. Ita expresse *Rubricæ Missalis*, part. III, tit. IV, n. 5[1]. — Item, si post sumptionem hostiæ, advertat non fuisse triticeam, tenetur, licet non sit amplius jejunus, novam hostiam consecrare et sumere, « quia, ut ait rubrica (part. III, tit. III, n. 5), præceptum de perfectione sacramenti, majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur; » prius enim præceptum, ut dictum est, est juris divini.

D. Si sacerdos, post ablutionem et proinde soluto jejunio, deprehendat relicta fragmenta quædam consecrata, sive parva sive magna, ea sumere debet, quia ad idem sacrificium pertinent. Ita expresse rubrica (part. III, tit. VII, n. 2). Et hoc sive sint reliquiæ sacrificii præsentis, sive etiam præteriti, ut concedunt communius doctores[2]. Imo pariter fragmenta sumere potest, licet ab altari jam discesserit, toto tempore quo remanet indutus sacris vestibus[3]. — Si non fragmenta, sed hostiam integram, unam aut plures, post ablutionem deprehenderit, has reservare debet, vel in tabernaculo reponendas cum aliis hostiis, vel a sacerdote ibi proxime celebraturo sumendas; si hoc fieri nequeat v. g., quia non est tabernaculum, nec sacerdos proxime celebraturus, sacerdos has sumere ipse potest, licet non amplius jejunus. Ita rubrica, *ibid.*, n. 3. — Hæc autem

[1] Si tamen sacerdos celebret in loco publico, et timendum sit scandalum, sufficiet, si consecret vinum; ita rubrica, *ibid.* — Cf. Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 122-127, Lovanii, 1762, t. II, p. 192 sq.

[2] Cf. Quarti, *In rubricas Missalis*, part. II, tit. X, in dub., sect. II, dub. II, t. I, p. 239, qui totam rem præsentem diligenter tractat.

[3] Quarti, *ibid.*, dub. IV, p. 241.

solutio applicanda est, sive deprehendatur hostia major quæ forte ex inadvertentia fuerit consecrata cum alia jam sumpta, sive etiam (quidquid dicunt aliqui) hostia minor, quia rubrica non distinguit [1].

178. — 2° *Infirmi sacra communione reficiendi.* — De quo hæc dicenda :

A. Quando quis fidelis infirmatur ad mortem, seu, aliis verbis, quando constitutus est in *articulo* aut etiam in *gravi periculo mortis*, non amplius tenetur lege ecclesiastica de jejunio servando ante communionem, ita ut viaticum illi ministrari possit etiam non jejuno. — Constat : 1. Antiqua consuetudine, de qua supra (n. **173**, 4°) dictum est; — 2. Concilio Constantiensi, cujus decretum, jus commune hac in re constituens, sic legitur : « ... Hujusmodi sacramentum (sanctissimæ Eucharistiæ) non debet confici post cœnam, *neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso vel admisso;* » — 3. *Rituali romano*, quod, præfatam consuetudinem et disciplinam breviter perstringens, statuit, tit. IV, c. IV, n. 4 : « Potest Viaticum *brevi morituris dari non jejunis.* » — De quo hæc notanda : 1. Quidam dicunt fidelem graviter decumbentem non posse recipere Viaticum non jejunum, nisi quando non possit facile recipere jejunus [2]. Non puto cum tanto rigore procedendum esse; nam tandem aliquando pro istis graviter decumbentibus lex jejunii non existit, ut clare patet verbis ipsis tum concilii Constantiensis, tum Ritualis; unde

[1] Quarti, *ibid.*, dub. III, p. 240; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ, loc. cit.*, n. 147, p. 223-225.

[2] Ita de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XV, n. 74, t. V, p. 295; — Lehmkuhl, *Theologia moralis*, Friburgi Brisg., 1893, t. II, n. 161, p. 117, cum quibusdam aliis.

Benedictus XIV dicit plane et simpliciter *legem jejunii non obligare eum qui viaticum sumit* [1]; et ita communiter doctores, S. Alphonsus, Billuart, Ballerini, Gasparri, etc.[2]; — 2. Quod dicimus de fidelibus graviter decumbentibus, dici debet etiam de *capite damnatis,* qui et ipsi recipere possunt Viaticum *non jejuni,* saltem, juxta mores nostros, post nuntium definitivum necis mox inferendæ; hi enim sunt de illis *brevi morituris,* quos eximit Rituale a lege jejunii [3]; — 3. Quando quis graviter decumbit, licet ad satisfaciendum juri divino sufficiat semel recepisse Viaticum, potest tamen illud *non jejunus* recipere pluries, de quo, ait Benedictus XIV, nullus theologus alicujus nominis dubitat [4]: imo, quum nulla in jure fiat restrictio aut exceptio, potest illud recipere *frequenter,* quin et *quotidie,* juxta solitas leges de frequenti communione [5].

B. Quando quis fidelis infirmatur, sed non ad mortem, licet ad diuturnum tempus protrahatur infirmitas, non est exemptus a lege jejunii. — Ratio est quia lex jejunii ante communionem est universalis, nec proinde ab ea excepti haberi possunt, nisi qui specialiter et expresse lege aut consuetudine vim legis habente excipiantur; porro non excipiuntur nisi *graviter ægrotantes,* non vero infirmi quilibet. Unde *Rituale, loc. cit.*, sic statuit : « Potest quidem Viaticum *brevi morituris* dari non jejunis...; *cæteris* autem *infirmis qui ob devotionem in ægritudine communicant,*

[1] *De sacrificio missæ,* sect. II, n. 170, p. 257.

[2] S. Alph., lib. VI, n. 285, dub. III, in fine; — Billuart, *Summa, De Eucharistia,* diss. VI, art. 4, § 2, Trajecti ad Mosam, 1770, t. XVII, p. 425; — Ballerini-Palmieri, *Opus morale,* tract. X, sect. IV, n. 168, Prati, 1893, t. IV, p. 690; et etiam Ballerini ad Gury, Romæ, 1869, t. II, n. 334, not., p. 190; — Gasparri, *De Eucharistia,* n. 1128, t. II, p. 360.

[3] Cf. de Lugo, *loc. cit.*, n. 72-73.

[4] *De synodo,* lib. VII, c. XII, n. 4.

[5] S. Alph., lib. VI, n. 285, dub. I; — Lehmkuhl, *loc. cit.*, t. II, n. 161, p. 117; — d'Annibale, *Summula,* edit. 3ª, n. 411, not. 39, t. III, p. 327.

danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet; » in quo sensu exponendum est vocabulum *infirmitas*, quod adhibet concilium Constantiense, ut patet ex concilii contextu. — Ne tamen nimis diu privatus sacra communione remaneat infirmus, poterit aliquando anticipari hora distribuendi sacram communionem.

C. Quæri potest num fidelis infirmus (non ad mortem), qui non possit servare jejunium requisitum, possit saltem tempore paschali recipere sacram communionem *non jejunus*, ad satisfaciendum præcepto. Paucissimi affirmant, tum quia obligatio recipiendi communionem paschalem est juris divini, tum quia Rituale, *cit. loco*, non videtur hunc fidelem respicere, qui sacram communionem, non ob devotionem, sed ob præceptum, petit. Ita d'Annibale, quem sequitur Gasparri[1]. — Putaverim tamen recedi non posse a communissima doctorum sententia, præcipue propter duo : 1. Non sunt eximendi a lege jejunii nisi quos specialiter et expresse excipit traditio aut consuetudo ecclesiastica; porro hæc traditio excipit quidem graviter ægrotantes, non vero infirmos de quibus agitur; quoad Rituale, non excipit nisi *brevi morituros;* — 2. Juri divino de communione paschali satisfieri non ita difficulter potest, vel, ut dictum est, anticipando horam distribuendi sacram communionem (quod fieri posse tunc omnes concedunt, ob *necessitatem;* cf. supra, n. **170**), vel paululum differendo communionem paschalem, nempe ad mensem, v. g., maii aut junii, in quo initium diluculi seu hora distribuendi sacram communionem coincidit, seu fere coincidit cum

[1] D'Annibale, *loc. cit.*, n. 411, in fine; — Gasparri, n. 1129, t. II, p. 361.

media nocte. Ita fere omnes doctores, etiam ii qui aliunde sat benigni sunt [1].

179. — 3° *Sacrum celebrandum pro moribundo communicando.* — Quæritur num liceat sacerdoti non jejuno celebrare missam pro communicando moribundo, qui aliter viatico carebit; de quo hæc dicenda :

a. Non desunt qui opinentur id licere, quia lex de recipiendo viatico est divina, et proinde prævalet legi ecclesiasticæ de jejunio ante missam servando. Sicut ergo ad communicandum moribundum, licitum est sacerdoti in eodem die iterare missam (supra, n. **31**) ita et ad eumdem finem licitum est sacerdoti non jejuno celebrare (aut iterare) missam. Ita Major, Concina, Quarti, etc. [2].

b. Alii vero, quibus assentior, tenent non licere. Nam : 1. Præceptum quidem viatici recipiendi est divinum, sed tamen non obligat fidelem nisi quando adest illi copia sacræ Eucharistiæ; deest autem copia Eucharistiæ, quando haberi nequit cum reverentia tanto sacramento debita juxta ritum Ecclesiæ; sicut ergo, juxta omnes, sacerdoti non licet celebrare sine vestibus sacris, sine altari, sine pane azymo apud Latinos, etc., etiam ad communicandum moribundum, non obstante lege divina de viatico recipiendo, ita et nec illi licet celebrare ad eumdem finem, non servato jejunio; — 2. Inter ritus qui respiciunt reverentiam venerabili sacramento debitam, alii sunt quos Ecclesia majoris

[1] V. g., Quarti, *In rubricas Missalis,* part. III, tit. IX, sect. I, dub. VI, secunda causa, p. 375; — Gury, t. II, n. 334, quær. XI, p. 190; — Ballerini-Palmieri, *Opus morale, loc. cit.,* n. 175, p. 694.

[2] Major, *In Sent. lib. IV,* dist. IX, q. III, 1516, fol. 32, *s. l.,* recto; — Concina, *Theologia,* lib. III, c. XI, § 3, n. 7, Romæ, 1768, t. VIII, p. 215; — Quarti, *In rubricas Missalis,* part. III, tit. IX, sect. I, dub. VII, p. 377, qui hanc sententiam vocat tantum *sat probabilem,* sed ad eam valde propensus est.

momenti et quasi essentiales esse judicat, et quos prævalere vult aliis legibus ecclesiasticis, et etiam juri divino, v. g., ut sacerdos celebret cum sacris vestibus, cum altari, cum pane azymo, etc.; alii sunt quos minoris momenti, et, ut ita dicam, minus essentiales æstimat, et quos cedere vult aliis legibus, præsertim juri divino, v. g., ut celebret sacerdos cum ministro, cum lumine, semel in die, etc.; sola autem Ecclesia jure suo judicare potest, ad utram speciem pertineat hic vel ille ritus, quia sola est legitima interpres tum suarum legum, tum etiam juris divini; hocque Ecclesiæ judicium, deficiente speciali decreto, continetur in consuetudine et traditione ecclesiastica. Porro, in re præsenti, consuetudo et traditio ecclesiastica, relative ad jejunium requisitum ad communionem, non admisit nisi duas exceptiones, nempe (supra, n. **173**, 4°) : 1. ut moribundus non jejunus recipiat viaticum; 2. ut sacerdos non jejunus sacrum inceptum perficiat. Ergo signum est Ecclesiam intendere et velle ut, in aliis casibus, prævaleat lex de jejunio servando; ergo duobus dictis exceptionibus non tutum est addere tertiam. Ita sentiunt Suarez, de Lugo, Benedictus XIV, Billuart, sanctus Alphonsus, Merati, Bona aut potius ejus annotator Rob. Sala, etc., et plurimi alii ab his allegati; ita etiam, inter recentiores, Gasparri[1].

c. Notandum tamen hos plerosque auctores, v. g., Suarez, de Lugo, S. Alphonsum, Gasparri, licet præfatam opinionem amplectantur, alteram tamen ut *vere probabilem* habere; ita etiam Lehmkuhl[2]. Quo posito, « negari non

[1] Suarez, *In part. III D. Thomæ*, disp. LXVIII, sect. v, n. 5, ed. Vivès, t. XXI, p. 516; — de Lugo, *De Eucharistia*, disp. XV, n. 68, p. 294; — Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. II, n. 100, p. 164; — Billuart, *loc. cit.*, p. 427; — S. Alph., lib. VI, n. 286; — Merati ad Gavantum, *In rubricas Missalis*, part. III, tit. IX, n. 4, p. 22; — Bona, *Rerum liturgicarum*, lib. I, c. XXI, § 2, n. 4, p. 111; — Gasparri, n. 434, t. I, p. 309.

[2] *Loc. cit.*, n. 161, 3. p. 118.

potest hanc esse sententiam probabilem *propter auctoritatem eorum doctorum;* » sunt verba de Lugo.

180. — 4° *Sacrum faciendum ne populus die festo missa careat.* — Quæritur num liceat sacerdoti non jejuno, die dominico vel festivo, celebrare missam, ne populus qui ad ecclesiam confluit, missa careat. Porro : 1. Ista causa, nempe, ne tali die populus missa careat, *per se* non sufficit ut cesset pro sacerdote lex jejunii et proinde possit celebrare : quod constat a fortiori ex supra dictis; in quo, ut puto, omnes concordant; — 2. Si autem (quod tamen vix contingere posse crediderim) ex ista omissione missæ oriatur grave periculum scandali vel infamiæ, quod aliter vitari nequeat, non est dubium sacerdotem posse, etiam non jejunum, celebrare; docent enim communiter doctores, et naturali ratione patet, hanc causam sufficere ut sacerdos non jejunus celebret[1]; et ideo supra (n. **177**) dictum est, sacerdotem qui, etiam ante consecrationem, recordetur se non esse jejunum, posse pergere, si ex ipsius recessu oriatur periculum infamiæ vel scandali.

181. — 5° *Sacra Eucharistia a profanationibus servanda.* — Quoties periculum est ne sacra Eucharistia profanationibus obnoxia sit, v. g., ne comburatur, ne cadat in manus barbarorum et impiorum hominum, ne comedatur a bruto, etc., etc., tunc non urget lex jejunii, ita ut si deficiant jejuni, sacerdos aut etiam, deficiente sacerdote, laicus non jejunus possit sacram Eucharistiam sumere, ut eam eripiat a profanationibus. Cum enim lex jejunii lata sit ad reverentiam sacramenti, cessat quando hæc ipsa reverentia

[1] Ita Suarez, *loc. cit.*, n. 7, p. 517; — de Lugo, *loc. cit.*, n. 70-71; — S. Alph., n. 287.

sacramenti contrarium postulat. Ita omnes [1]. Imo hæc non tam dicenda est exceptio a lege, quam necessitas quæ legem non habet, juxta regulam IV Juris, in V : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. »

182. — Dispensatio a lege jejunii eucharistici. — Quum lex de jejunio ante communionem vel celebrationem servando sit juris mere ecclesiastici, ut patet ex dictis, sequitur in hac lege posse dispensari, saltem a Romano Pontifice; duo tantum addenda :

1° Episcopi nequeunt in hac lege dispensare. — Quando enim agitur de lege generali Ecclesiæ, Episcopi jure proprio dispensare nequeunt, sed tantum (extra casum indulti) vi tacitæ vel legitime præsumptæ concessionis pontificiæ, aut etiam vi consuetudinis bene probatæ; sic, vi unius aut alterius ex his titulis, Episcopi dispensant in jejunio et abstinentia, in hora celebrandi missam, in recitatione horarum, et etiam, in genere, in his quæ frequenter occurrunt, nec ita gravia sunt. Porro, in lege jejunii eucharistici, nihil hujusmodi occurrit; agitur enim de lege gravissima, ad reverentiam venerabilis sacramenti ordinata, et quæ moribus christianis adeo profunde est insita, ut ejus inobservantia maximum scandalum pareret; unde nil mirum si soli Rom. Pontifici dispensatio in hac lege reservata sit. Et ita omnes doctores [2].

2° Nec ipse Rom. Pontifex in hac lege dispensare solet. — Quod testatur, in epistola inferius (not. 1) cit., Benedictus XIV; memorat autem quædam hujusmodi dispensatio-

[1] V. g., Quarti, *loc. cit.*, part. III, tit. IX, sect. I, dub. VI, prima causa, p. 374; — de Lugo, *loc. cit.*, n. 87, p. 297; — S. Alph., n. 287, etc.

[2] V. g., Suarez, *loc. cit.*, sect. V, n. 5, p. 516; — de Lugo, *loc. cit.*, n. 55, p. 293; — Quarti, *loc. cit.*, dub. VI, quarta causa, p. 377; — Benedictus XIV, epist. *Quadam de more*, 24 martii 1756, *ad Assessorem S. Officii*, § 4; *Bull. Bened.*, t. IV, n. LIV.

num exempla : 1. Pius IV, nonnullis presbyteris in Indiis Occidentalibus constitutis qui, ratione propriæ infirmitatis aut inclementis aeris, quibusdam remediis post mediam noctem uti solebant, et aliunde ob penuriam sacerdotum celebrare tenebantur, concessit ut hisce sumptis remediis, posita *urgentissima celebrandi necessitate*, celebrare possent; Epist. cit., §§ 9, 10; — 2. Innocentius XIII reginæ Bohemiæ Elisabethæ Christianæ, ægra valetudine laboranti, concessit ut, die coronationis suæ, sacram Eucharistiam recipere posset, necessario sumpto jentaculo; *ibid.*, § 9; — 3. Julius III Carolo V qui, abdicato imperio, in monasterium se receperat, sacramque Eucharistiam frequenter recipiebat, concessit, ob ægram valetudinem, ut communicare posset, exiguo sumpto jentaculo; *ibid.*, §§ 11, 12; — 4. Ipse Benedictus XIV Jacobo III, Magnæ Britanniæ regi, qui Romæ degebat, idem concessit indultum; *ibid.*, § 13; — Addenda est dispensatio tacita de qua supra (n. **176,** 1°, in nota) actum est. — Nostris diebus, non ita rara sunt indulta, quibus Rom. Pontifex piis personis, ægra valetudine laborantibus, potestatem facit, ut ante sumptionem sacræ Eucharistiæ saltem aliquo potu reficiantur; quæ indulta respiciunt simplicem communionem; nullum exemplum novi quoad celebrationem [1].

183. — Disciplina jejunii eucharistici in Ecclesia orientali. — In Ecclesia orientali, sicut antiquitus (n. **172,** 2°), sic et nunc viget lex jejunii eucharistici, cujus observantia omnium oculis obversatur. Ut autem exempla quædam referam :

1° Apud Maronitas, concilium Montis Libani, an. 1736,

[1] Cf. etiam Gennari, *Consultazioni*, etc., part. I, cons. II, Napoli, 1893, p. 217-223.

part. II, c. XII, n. 17 [1], in memoriam omnibus revocat legem jejunii eucharistici, additis quatuor exceptionibus, quæ reincidunt in duas priores supra (n. **177, 178**) expositas.

2° Apud Syros Unitos, recens concilium Sciarfense, an. 1888, c. V, art. 4, § 5, n. 6, memorat etiam et de novo inculcat legem jejunii eucharistici a media nocte, additque : « Hæc lex, præter eum qui communicat, etiam eum qui sacrificium offert comprehendit, *quamvis missa ad vesperam incipiat* [2]; » subjungit plures exceptiones qui reincidunt in tres supra (n. **177, 178, 181**) recensitas.

3° Idem est apud Ruthenos Unitos Galiciæ (ritus græci); synodus Zamoscensis, an. 1720, tit. III, § 4, memorat legem jejunii ab ipsa media nocte [3]; hancque pressius determinat recens concilium Leopoliense, an. 1891, tit. IV, c. 1, n. 7 : « (Celebrans sit) a media nocte jejunus, et quidem sub gravi peccato, non vero sex horis a comestione, prouti quidam inepte et contra manifestam Ecclesiæ universalis legem et consuetudinem sibi persuadent. Propter majorem autem decentiam tanto mysterio debitam, et ad vitandum populi nostri scandalum, teneant integram consuetudinem hucusque apud nos vigentem non fumandi a media nocte usque ad missam [4]. »

4° Quoad Græco-Italos, Benedictus XIV eis in memoriam revocat legem jejunii eucharistici, *etiam ad vesperam producti*, si contingat ipsam missam hac hora celebrari; Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, § 6, n. 6 [5].

[1] *Conciliorum Collectio Lacensis*, t. II, col. 204.

[2] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, Romæ, 1897, p. 94.

[3] *Coll. Lac.; ibid.*, col. 34.

[4] *Acta et decreta synodi provincialis Ruthenorum habitæ Leopoli*, Romæ, 1896, p. 38.

[5] *Bull. Bened.*, t. I, n. LVII.

DOCUMENTA

I

URBANI VIII et *INNOCENTII XII*

Decreta de celebratione missarum, 21 junii 1625, 23 dec. 1697 [1].

Nuper a Congr. venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium conc. Trident. interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet,

§ 1. Alias super celebratione missarum ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis apostolicæ licentia, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra reditus, et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac Sacr. Congregatione S. R. E. Cardinalium conc. Trident. interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis :

§ 2. Cum sæpe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera missa-

[1] *Bull. rom.*, ed. Coquelines, t. IX, p. 464-471.

rum in dies suscipiantur; indeque fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac christifideles, gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit ideo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, et reditus ecclesiæ, aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sui sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur; Sacr. Congregatio Cardinalium conc. Trident. interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam charitatique, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum e christiana republica convellere, atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit :

§ 3. Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in diœcesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

§ 4. Deinde, ubi pro pluribus missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus quam regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita

ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

§ 5. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus quam regularibus, cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

§ 6. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

§ 7. Præterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta; statuit atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide, ac facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi atque in aliis bonis stabilibus, itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat. Ad hæc, S. C. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum, tam secularium quam regularium superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum : seculares quidem sine Episcopi, vel ejus generalis vicarii; regulares vero sine

Generalis vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda; alioquin secularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso; regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, capsulas auferant ab ecclesiis, cum inscriptione illa : *Eleemosynæ pro missis,* vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

§ 8. Episcopus vero, seu ejus vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiæ, monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant ut reditus, qui ecclesiis, et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis, vel provinciæ; intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

§ 9. Postremo illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare, ex majori regularium numero, quam ferant reditus, et eleemosynæ cujusque monasterii; inhærentes Summorum Pontificum, ac S. Trident. conc. decretis, hac de re editis, Sanctissimi Domini nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, et singulis Generalibus, Provincialibus, commissariis, ministris, præsidentibus, abbatibus, prioribus, præpositis, guardianis, vicariis, et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum, ac domorum regularium, bona immobilia possidentium

vel non possidentium, cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, existentium intra fines Italiæ, et insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet provincia, adhibitis duobus, aut tribus regularibus sui ordinis, vel congregationis probatioribus, et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, et proventus omnes, consuetas item eleemosynas, et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum, et domorum ejusdem provinciæ, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere; eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior cujus interest, in proximo capitulo, seu congr. generali, vel provinciali coram tribus judicibus, ab ipsomet capitulo, seu congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, et obventionibus universis et oneribus, ut supra detractis, sedulo examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque monasterio, conventu, et domo regulari, juxta regionis et proprii instituti morem, victum, et vestitum, et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum, et onerum præcisam notam ipsimet capitulo, seu congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiæ, monasterii, conventus ac domus regularis in singula quaque provincia, certus earum tantum personarum numerus, patrum capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint. Ne vero superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congr. ut infra annum, post proximum capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congr. Conc. singuli mittant. Numerumque familiæ singulorumque conventuum, monasteriorum, et domorum hujusmodi regularium, capituli, seu Congr. generalis vel provincialis sententia et auctoritate præfinitum iidem superiores, tam generales, provinciales omnes, quam locales,

perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ et passivæ et ad omnia suæ religionis officia et gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, a Sede apostolica infligendis pœnis, Sacr. Congr. subjacere voluit, et declaravit.

§ 10. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum, seu regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres, aut monachi, seu religiosi degere, et ex reditibus, et consuetis elecmosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. record. Gregor. XV hac de re editi; alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

§ 11. Porro ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem seu desuetudinem abeant, superiores locales cujusque monasterii, conventus, ac domus regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, et passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

§ 12. Omnibus tam ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis quocumque honore et potestate præditis, præsentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

§ 13. Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in præsentibus decretis contenta, Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cujuslibet alterius instituti, etiam necessario et in

individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum, et aliorum quorumcumque tam secularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis; necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro expressis habens; quibus, quoad ea qua præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ auctoritate, specialiter et expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 14. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes ordinationes in valvis basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, et Principis apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes ad quos pertinent, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; atque earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus notari publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. — Datum Romæ die 21 junii 1625. — Cosmus Cardinalis de Torres. — Prosper Fagnanus, S. Congregationis Secretarius.

Excitatis autem super præmissorum decretorum intelligentia seu interpretatione, infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congr. simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII,

specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendæ.

I. Super primo Sacræ Congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur, ne Episcopi, in diœcesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Conc. imposita, aut in limine fundationis; quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apost. pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

II. Super secundo ejusdem Congr. decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; quæritur an verba illa (*præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

IV. An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis, aut defunctorum recipere, et unico missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ; quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benevisam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

VI. Super tertio Congr. decreto, in quo eadem Congr. revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum missarum, vel anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat; quæritur an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

VII. Super quarto ejusdem Congr. decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ

sibi retenta, celebrandam committat; quæritur an permittendum sit administratoribus ecclesiarum ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, idest, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii?

X. An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an vero satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

XI. Super quinto ejusdem Congr. decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: *Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint ut nova quoque onera obire valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant,* etc.; quæritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerunt; et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret, cum primum poterit?

XIII. An pœna interdicti, et aliæ appositæ in eodem decreto afficiant, tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam quam eos, qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

XIV. An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in ecclesiis in die commemorationis omnium sanctorum, et vulgo dicuntur *Casse de'morti?*

XV. An administratores ecclesiæ, magnæ devotionis et concursus, possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiæ, et devotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa

solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus necnon omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum, tam secularium, quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali *(et aliis ad quos pertinet)*, supplicatur, pro opportuna declaratione?

XVII. Super septimo ejusdem Congr. decreto, quo cavetur, ut in singulis monasteriis religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari; quæritur an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis decreti sanctæ memor. Pauli V, absque tamen computatione redituum cujusque religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

XVIII. An novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus habita, ut supra, præfixione numeri, commode ali non possunt?

XIX. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus regularium, nisi, præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariæ; quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas religiones, quæ non consueverint onera missarum recipere, ut sunt religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

XX. An idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur monasteria, nisi etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a sanctissimo Domino nostro attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit. Verumtamen, si ipsa in beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat

Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, et observandam.

Ad II. Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quod præscripserit Ordinarius secundum morem civitatis, vel provinciæ.

Ad III. Teneri.

Ad IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.

Ad V. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciæ.

Ad VI. Ita esse intelligenda.

Ad VII. Respondit permittendum non esse, ut ecclesiæ ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis missarum celebrandarum, ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiæ, et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessario sunt subeundæ; et nihilominus, eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quæ supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII. Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad X. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad XI. Respondit, non prohibere absolute; ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam

onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XII. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione id sciat, et consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis, juxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad XIII. Has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus generalis vicarii, aut Generalis, aut Provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad 12.

Ad XVI. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad XVII. Numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi decreti, hac de re editi.

Ad XVIII. Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio ejusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad XIX. Censuit comprehendere.

Ad XX. Habere locum extra Italiam. — Cosmus Card. de Torres. — Prosp. Fagnanus Congr. secr.

§ 15. Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelæ et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere ut, sublatis fraudibus ac emendata negligentia, piæ disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria et ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per Sanctissimum D. Nostrum Innocentium Divina Providentia Papam XII ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, et postea in generali hujusmodi Cardinalium congregatione, mature et accurate discussa, recognita, examinata, edidit.

§ 16. In primis, præinserta decreta cum præmissis illorum

declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat, et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis penitus observari et omnimodæ executioni demandari decernit, sancit, et præcipit.

§ 17. Insuper ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, et erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, missarum celebrationem omittant sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apost. vel compositionem a reverenda Fabrica sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata, tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, præfatas condonationes et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa seu æqua commiseratione, compositiones vero e dicta Fabrica utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et præsertim cum illa : *Dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur,* admitti consuevisse et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium quam præfatarum missarum usum, seu satisfactionem, et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas, illasque omnino reprobat, et damnat et interdicit.

§ 18. Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes, et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum secularium, tum regularium ecclesiarum, seu illarum capitula, ne onera, seu missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum, quorum

implemento si moraliter, et intra præscriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias missas sive temporales, sive manuales, per se, vel per interpositas personas quoquo modo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant; et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis missis acceptandis, et celebrandis impares esse.

§ 19. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte ac diligenter annotare et annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, et diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam superiores, quibus reddendæ erunt, describere, sive annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

§ 20. Quibus semper salvis, debeant ulterius regulares prædicti, omnes et quascumque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione missarum coram patribus discretis, seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere.

§ 21. Quod si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, et librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, et superiores, tum secularium, tum regularium ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam tabellarum, et librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus, seculares pœnam suspensionis incurrant, regulares vero voce activa, et passiva, ac gradibus, et officiis, quæ obtinent, ipso facto, et absque alia declaratione privati sint, et intelligantur, necnon ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint, et intelligantur.

§ 22. Porro, ne ullo unquam tempore omnia, et singula decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum secularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cujuscumque monasterii, conventus, ac domus regularis curare et efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, et passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest, feria secunda post primam dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi omnes, et singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

§ 23. Meminerint igitur, et satagant Ordinarii, ut a personis et in ecclesiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Conc. Trid. sibi subjectis, missæ, ea qua par est, fide, et diligentia celebrentur; et cuncta, et singula decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus, et modis, quos expedire, et convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, et singulis decretis adversetur.

§ 24. Caveant etiam respective omnes regulares, tum superiores quicumque, nedum locales, sed etiam provinciales, et generales, ne missarum celebratio, et omnium decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus missæ sunt applicandæ, cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ et passivæ, ac graduum et officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda prorsus incurrant.

§ 25. Curent propterea præfati superiores regulares in omnes, et singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, et prompte, etiam per inquisitionem, animadvertere; et insuper teneantur omnes, et singuli superiores locales, in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cujuscumque domus regularis subscriptam, et juratam, quod omnibus, et singulis,

tam perpetuis, tam manualibus missarum oneribus seu obligationibus, ad limites, et tenorem præsentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, et integraliter satisfactum, vel, deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento missarum, distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, et omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis capitulis, seu congregationibus omnino habere non valeant.

§ 26. Præterea Provinciales, Vicarii et Visitatores provinciarum, seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus, et singulis conventibus, seu monasteriis, vel domibus regularibus provinciæ, seu congregationis, de omnibus, et singulis oneribus, et obligationibus, ac insimul satisfactionibus missarum, exactam, et diligentem rationem exegerint; ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective pœnarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam, et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittantur.

§ 27. Cæterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitalia, altaria, capellas, oratoria, et ecclesias, ac alia loca, et opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, et præeminentiæ, etiam speciali, et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum, et laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc, salvis semper iis, quæ in præinsertis decretis continentur, omnes, et quicumque hujusmodi archiconfraternitatum, societatum, et congregationum, hospitalium, altarium, capellarum, oratoriorum, et ecclesiarum, ac aliorum locorum, et operum piorum rectores, seu administratores, vel directores, et alii hujusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura

tabellæ, et librorum in præmissis spectat, tabellam, libros, et hæc decreta respective, juxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, et eleemosynis dictarum missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis ad quos pertinet, reddere, sub pœnis arbitrio, et in subsidium excommunicationis, teneantur.

§ 28. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis cujuscumque ordinis, status, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, et dignitatis existant, quam laicis quocumque honore et potestate præditis, omnia et singula præmissa decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi decretis relaxandi, sub quoquo modo circa præmissa dispensandi, omnis et quæcumque facultas sit penitus interdicta.

§ 29. Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in hujusmodi decretis contenta, Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, et Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, Ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum, et aliorum quorumcumque tam sæcularium quam Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et insolitis clausulis; necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis; etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro expres-

sis habens; quibus, quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis suæ auctoritate, specialiter et expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. — Datum Romæ, die 23 novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus. — Ferdinandus Nuptius Sacræ Congr. secretarius.

§ 30. Quocirca quum dilectus Filius noster Joseph Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ S. Rom. Eccl. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata decreta Nobis retulerit; Nos considerantes omnia et singula Decreta, ea qua decet maturitate digesta et examinata, ac in vim apostolicæ auctoritatis eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostræ munimine roborare volentes; motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine, præinserta decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore præsentium, auctoritate apostolica, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur et efficaciam adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, et ordinamus, ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individua nota dignis, omnino exacte et perpetuo servari volumus, sancimus et mandamus.

§ 31. Decernentes præsentes Litteras, cum omnibus et singulis inibi contentis, semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia et potestate fungentes et functuros, etiam Causarum Palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicæ Nuntios; sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 32. Non obstantibus omnibus et singulis quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII et respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quæ pariter et iterum Nos tenore præsentium non obstare decernimus et mandamus, quibus omnibus, quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 33. Volumus autem ut præsentes Litteræ in valvis ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatæ et affixæ, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

§ 34. Pariterque, ut earumdem præsentium transsumptis impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 35. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, statuti, decretorum, ordinationis, voluntatis, sanctionis, mandatorum et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, decimo Kalendas januarii, Pontificatus Nostri anno septimo.

II

BENEDICTI XIV

Epistola ad episcopum Oscensem de celebratione duarum missarum, eadem die, per unum sacerdotem. 16 martii 1746[1].

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Declarasti Nobis, in sacra visitatione, qua diœcesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos rectores ecclesiarum parochialium, quibus alia quoque ecclesia a parochiali longe sejuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii sacerdoti committere nequeunt, qui pro-rectoris munus sustineat; hinc fieri, ut rectores ipsi rem divinam, in utraque ecclesia, festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiæ præcipienti fidelibus, ut festis diebus missæ sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua synodo id minime licere rectoribus ecclesiarum parochialium, quoties alius sacerdos præsto sit, qui sacrum facere possit in una ex iis ecclesiis, quæ rectoribus subjiciuntur; id autem attulisse tam gravem rectoribus ipsis molestiam ut synodalis decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram, Nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispanæ gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuæ synodi decretum æquitati ac disciplinæ Ecclesiæ maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari executioni

[1] *Bull. Bened.*, t. II, n. III, ed. Mechliniensi, vol. IV, p. 32-51.

debeat, nec vanis omnino rectorum querimoniis imminui, vel labefactari.

Quamvis nonnulli ex theologis moralibus (et quidem scimus indulgenter) plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eodem die sacrificium missæ bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest part. III *Summæ* sancti Antonini, tit. III, cap. VI, num. 5, item lib. III *Summæ* sancti Raymundi, tit. XXIV, et in *Summa* Hostiensis, ad tit. *De celebratione missarum*, num. 14 sq., et in *Summa Sylvestrina* in verb. *missa primo*, § *septimo quæritur*, et in *Summa* Armillæ in verb. *missa*, n. 15; id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam; tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez, *In III part. divi Thomæ*, tom. III, quæst. LXXIII, art. 2, disput. LXXX, sect. III, de hac hypothesi loquens, inquit in ea tantum hodie licere duas missas eodem die celebrare : *Casus de pluribus parochiis est proprius, ac fere solus in usu.* At vero si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem divinam facere possit, tum illarum rectori nequaquam licet in utroque loco sacrificium iterare, eo quod alterius sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes, Pasqualigus, *De sacrificio missæ*, tom. I, quæst. CCCLXXXI, n. 2; Vericellus, *De apostolicis missionibus*, tit. I, *De privilegiis regularium*, dub. XVIII, § 31, num. 201; Giribaldus, *De sacramentis*, tract. III, cap. VII, dub. II, n. 15; Rotarius, in *Theologia morali regularium*, tom. V, caput II, punct. XI, n. 5; Tournelius, in *Prælectionibus theologicis de sacramento Eucharistiæ*, part. II, juxta Parisiensem editionem, p. 346; Schmalzgrueberius, tit. *De celebratione missarum*, n. 41. Quod si scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe cardinalis Zabarellæ, in cap. *Consultis*, n. 3, *De celebratione missarum*, ubi hæc habentur : *Si est alius qui celebrare possit, non celebrabit sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, et sit jejunus;* Petri de Ancharano, in *Commentariis ad eumdem textum*, n. 1 : *Intellige, si non sit alius ibi paratus ad*

celebrandum, et ille sit jejunus; cardinalis Toleti, in *Summa*, lib. II, cap. III, num. 4; Laymann, in *Theolog. morali,* lib. V, tract. V, cap. IV, num. 6; Salmaticensium, *Theolog. moral.*, tom. I, tract. V, *De sacrificio missæ*, c. V, punct. I, n. 12, juxta quartam editionem, quæ Matriti facta est anno 1717; Gavanti, *Ad rubricas Missalis,* part. III, tit. XII, n. 7.

At supervacaneum est plures auctoritates præstantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex septima synodo diœcesana, quam sanctus Turribius, anno 1592, celebravit, cap. III, tom. IV *Conciliorum Hispanorum*, quæ simul collegit vir eximius inter Hispanos cardinalis de Aguirre, pag. 687. Porro hæc sunt verba : *Juxta dispositionem concilii provincialis celebrati in hac civitate anno* 1567, *quantum convenit, et per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque parochis nostri districtus, ut diebus dominicis et festivis ex præcepto servandis possint celebrare duas missas in duabus ecclesiis tam inter se distantibus ut qui in loco unius ecclesiæ assistunt, non possint commode accedere ad audiendam missam in altera.*

Ex his apertissime deprehenditur concedi parocho, qui duas ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis sacrificium missæ instituere, ne diebus festis Ecclesiæ præceptum a populo violetur, ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem capite tertio Limanæ synodi, quæ mox subjicimus, certi limites eidem parocho statuuntur, ipsique præscribitur, ut uno tantum loco sacrum conficiat, si in altero sacerdos occurrat, qui populo rem divinam operari possit : *Cum autem habuerit alium sacerdotem qui possit celebrare in altera dictarum ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque, sed unam missam tantum in una, quandoquidem alter sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus auctoritatem Limanæ synodi suæ diœcesis finibus solum concludi. At cum sanctus Turribius regendæ ecclesiæ peritissimus, et virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus, ac diœcesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem vimque, ut aiunt, directivam, adhibendam et adscribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam, sancti Caroli Borromæi synodis omni tem-

pore præstiterunt; neque in dubium quis revocare poterit, sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cujus canonizatione, cum Promotoris fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus), conferre plurimum, ut, si propositæ rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; lætandum idcirco nobis jure merito videmus, qui, commentarium *De sacrificio missæ* in lucem proferentes, italico sermone a nobis conscriptum cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane afferimus, quod pro illustranda præsenti quæstione superius attulimus, et opinionem nostram auctoritate confirmavimus ejusdem synodi sancti Turribii, uti liquido constat ex nostro commentario, quod commemoravimus tom. II, part. IV, sect. II, n. 38 sq., quod quidem primo Bononiæ typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

Quod si Limanæ synodo alia quoque concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio archiepiscopo Rothomagensi, anno 1231, coactum est, quemadmodum legitur in *Collectione regia maxima conciliorum*, ab Harduino compilata, tom. VII, pag. 186 : *Nullus audeat missam bis in die celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in humana necessitate*, etc., *et hoc, ubi non est nisi unus sacerdos;* alterum, quod Nemausi, anno 1284, coactum fuit cum Martinus IV Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex collectione Labbeana tom. XII, pars 1, pag. 1213 : *Si omnes parochiani ad unam missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima missa, postmodum parochiani venientes postulent missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos missam aliam celebrare. Tamen si in prima missa, post receptionem Corporis et Sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam missam in prædictis casibus celebrare.*

Ea potissimum verba diligenter observari debent : *Ubi non est nisi unus sacerdos;* nec non alia : *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes*, ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius sacerdos præsto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus missæ sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus ut in supra citata synodo Limana, sive una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, et

ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, uti præcipue advertit Theophilus Raynaldus tom. XVII, *Operum*, editionis Lugdunensis, pag. 8.

Quæ huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque vero copiam ecclesiasticæ eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo præclari scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus, ante decretales prædecessorum nostrorum Innocenti III atque Honorii III, plures uno die missæ ab eodem sacerdote celebrantur. Hi sunt Saintebeuvius tom. III, *Resolutionum casuum conscientiæ*, cas. LXXXIII, et Pontas in *Dictionario casuum conscientiæ*, in verb. *missa*, cas. XV. De hoc ipso argumento luculenter disseruit is, qui suis adnotationibus undecimam sancti Leonis epistolam illustravit, juxta editionem quæ ultimo facta est. De ipso nos quoque verba fecimus in *Commentario de festis diebus Domini nostri ac Beatæ Virginis Mariæ*, part. I, n. 667 sq. Quamobrem, his prætermissis, illud affirmabimus ex communi totius Ecclesiæ disciplina permitti tantum sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris Nostri ter sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit canon *Nocte sancta, De consecratione*, dist. I; vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Telesphorus illius canonis impugnatur) parens ac magistra ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id nos testimoniis præstantium virorum indicavimus in Commentario nostro, quod superius nominavimus, part. I, n. 665 sq.

Excepta die dominicæ Nativitatis, juxta hodiernam disciplinam non licet sacerdoti eodem die sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex decreto Alexandri Papæ II, can. *Sufficit, De consecratione*, dist. I, ubi Pontifex ita decrevit : *Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est, unam missam facere; et valde felix est, qui unam digne*

celebrare potest; etenim Pontifex ita rem prosequitur : *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram de die, si necesse fuerit;* quibus verbis Alexander II non improbare videtur eum sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit : *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures facere missas, non æstimo evadere damnationem.* Porro ex his facili conjectura perspicere quisque potest, Alexandrum II decreto solum cavere, ne sordidæ utilitatis, sive assentationis gratia sacrificium iteretur. Vasquesius idem decretum sic explicat *In part. III divi Thomæ,* tom. III, quæst. LXXXIII, art. 2, cap. V, n. 43 : *In prædicta epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures missas celebrare; de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quæ Thomassinus scripta reliquit : *De veteri et nova Ecclesiæ disciplina,* part. III, lib. I, cap. LXXII, num. 6, ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi necessario coercendam fuisse, ut quorumdam sacerdotum avaritiæ modus imponeretur.

Igitur omittentes Alexandri II decretum, alterius prædecessoris nostri, nimirum Innocentii III auctoritate, ac decretali rem nostram comprobamus, cap. *Consuluisti, De celebratione missarum* : *Respondemus,* inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicæ,* etc., *sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II, uti superius commemoravimus, et Innocentius III usi sunt hoc eodem verbo *sufficit;* at secundo tantum loco per id verbum præceptum indicitur; nam si quis integram Innocentii decretalem percurrat, apertissime cognoscet id petitum fuisse a Pontifice, *utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat* idem prorsus significat ac *liceat.* Cum igitur responsum dederit Pontifex sufficere *sacerdoti semel* in die unam missam solummodo *celebrare,* illud *sufficit,* sacerdotes adigit præcepto, ne plura sacrificia uno die faciant.

Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus, n. 44 : *Nam quod quæsitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quæreretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex,* sufficit, etc., *hoc verbum denotat præceptum prohibens, plusquam semel celebrare.* Neque mirari quis debet,

si idem verbum *sufficit,* consilium uno loco, alio autem præceptum præ se ferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet :* quod juxta varias rerum circumstantias in jure canonico modo solum honestatis officium ac decentiam denotat, modo vero necessitatem atque præceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus *Disp. theolog.,* tom. I, lib. V, dub. XI, n. 4. Verum ex Honorio III, qui post Innocentium III Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente,* sub eodem titulo *De celebratione missarum,* manifesto deprehenditur, illud verbum *sufficere,* de quo in decretali Innocentii III, cum præcepto conjungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui decretalem integram ejusdem Honorii describit.

Sypontinus archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta majoris hebdomadæ sancta Olea de more in ecclesia cathedrali rite consecrabat. Eadem die, mane se conferebat ad montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eum locum religionis causa confluebant. Ejus loci clerus ac populus archiepiscopum magno studio rogarunt, ut sacrum iteraret, quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III, prædecessoris sui, nempe : *Cum cuilibet sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare missam sufficiat, nam et valde est felix, qui celebrat digne unam.* Post hæc præcepit archiepiscopo, ut Syponti rem divinam peragat, ubi sacrum chrisma conficere debebat, et in ecclesia montis Gargani sacrificium offerre prætermittat, hisque utitur verbis, quibus illud *sufficit,* ab Innocentio III scriptum, cum præcepto omnino copulari declarat : *Fraternitati tuæ mandamus quatenus die cœnæ Domini in ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, missarum studeas solemnia celebrare.* Innocentius qui excepto die Nativitatis Dominicæ, prohibuit sacerdoti plures missas una die celebrare, in cit. cap. *Consuluisti, De celebratione missarum,* addidit : *nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius qui in cap. *Te referente,* eodem tit. *De celebratione missarum,* archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem divinam peractam, dum sacrum chrisma conficiebat in ecclesia Sypontina, aliam missam celebrare in ecclesia montis

Gargani, declaravit causam necessitatis ab Innocentio admissam nunquam adesse, cum alius invenitur sacerdos, qui secundam missam celebrare potest; secundam quippe missam noluit ab archiepiscopo in ecclesia montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset sacerdos, qui missam in eadem ecclesia celebrare posset, juxta monitum cardinalis de Turrecremata, in can. *Sufficit*, sub num. 4, *De consecratione*, dist. I. En ejus verba : *Quod autem in decretali* Te referente, *Episcopus videtur reprehendi, quod his celebraverat die cœnæ, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa ecclesia in qua de consuetudine debebat chrisma conficere, quia hoc non potest nisi Episcopus, et aliam missam celebrare poterat simplex sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per vicarium celebrare, et in ecclesia illa plures sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante cardinalem a Turrecremata jam fuerat adnotatum ab Hostiensi, in cap. *Te referente*, num. 4; ab Antonio de Butrio, super eodem textu, num. 3; et ab Abbate, super eodem quoque textu in fine tit. *De celebratione missarum.*

Præterea casum proponunt Episcopi, qui præesset duobus episcopatibus, inter se vicinis, ut in archiepiscopo Sypontino contigisset, si summi Pontifices Alexander III et Innocentius III sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, ecclesiam suam episcopalem esse et unitam ecclesiæ Sypontinæ, quemadmodum legitur apud Ughellium de metropoli Sypontina tractantem, tom. VII *Italiæ sacræ;* quæruntque an sub obtentu chrisma conficiendi in utraque ecclesia, quod sine celebratione missæ consecrari decenter nequit, posset ea die bis sacrificium offerre; et unanimiter respondent, id non licere, et sic rem componunt, quod uno anno in una ecclesia celebret missam feria quinta in cœna Domini et conficiat chrisma, et alio anno id ipsum faciat in alia ecclesia, et ab una ad aliam chrisma consecratum, uti moris est, transmittat. Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis ecclesiis chrismate carituram esse, subditosque unius, vel alterius episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi missam quinta feria in cœna Domini, in qua maximopere expedit ut audiant missam; ea quippe celebrari poterit a sacerdote in ecclesia, in qua eo anno Episcopus chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri sacerdo-

tem, qui ea ipsa die sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio et Abbas, *locis citatis*.

Hæc sunt, quæ ex jure canonico desumpsimus. Sed cum glossa in cap. *Consuluisti*, in verb. *necessitatis, De celebratione missarum*, necessitati addat utilitatem, et vel utilitatem, vel necessitatem satis esse dicat ut unus sacerdos eodem die bis missam celebrare possit, bene deprehendimus, parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem prætexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit sacerdos, qui sacrum facere valeat; utilitatem quippe in eo constituent, quod bis ipsi celebrando non subministrabunt sacerdoti celebraturo eleemosynam pro missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt prædictam eleemosynam alteri sacerdoti missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

Et utilitas quidem non suffragatur; quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed missam audientis. Sic docet cardinalis Zabarella in cap. *Consuluisti*, n. 3, *De celebratione missarum*. En ejus verba : *Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis*. Et concordant, super eodem capitulo, Antonius a Butrio, num. 4; Abbas, num. 2, et cæteri, quos vocant Repetentes; et præclare inter recentiores docuit Vericellus, *De apostolicis missionibus*, tit. 1, *De privilegiis regularium*, dub. XVIII, num. 201. Utilitas autem proposita non populum, sed parochum respicit, et sic celebrantem, et non audientem.

Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri sacerdoti stipendium missæ nequeant suppeditare; si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate, juxta caput quartum concilii Tridentini, sess. XXI, *De reformatione*, adigi poterunt, ut sacerdoti missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel, ad tit. *Decretalium, De celebratione missarum*, num. 3. Secundo, si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur; quemad-

modum enim Episcopus adigere potest sacerdotem, ut populo sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Trid. Conc. desumitur, sess. XXIII, cap. XIV, *De reformatione*, ubi hæc leguntur : *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis, et festis solemnibus*, etc., *Missas celebrent;* siquidem illud verbum : *Curet*, præceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. Hoc pacto concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit, *De sacrificio missæ*, quæsit. DCCCXLIV, n. 11 : *Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam missam; et ideo cum sacerdotes habeant ratione ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo offerendo sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere præceptum audiendi sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis sacerdotibus pro substentatione; quia, cum ministrent populo, æquum est, quod accipiant aliquid pro substentatione.*

Porro difficile prorsus videtur omnia hæc simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut sacrificium iterent parochi, quibus non deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

Post hæc, quæ a nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quæ ab ipsis parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi sacrificii diebus festis ipsis adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solum constituitur in celebranda et applicanda missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis religionis mysteriis, tradendaque pueris christiana disciplina, cum ad sacrum audiendum in ecclesiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus; etenim

quum olim fel. rec. prædecessor noster Innocentius Papa XIII ad discutienda Hispani cleri gravissima negotia ab insigni viro bonæ memoriæ Ludovico hujus S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem congregationem præstantium aliquot ejusdem S. R. E. Cardinalium deputasset, Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis, plurimumque laboris nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque in christiana doctrina pueris, eo quod hujusmodi exercitationes in aliis quoque ecclesiis haberentur; aut quia concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quæ parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quæ omnia leguntur in constitutione quæ incipit : « Apostolici ministerii, » quam præfatus Innocentius prædecessor promulgavit, in qua, § 9, recensentur ac refelluntur ea omnia, quæ modo commemoravimus.

His autem per transennam adnotatis, jam responsum quæstioni faciamus, videlicet non esse iterandum die festo sacrificium, si parocho alius sacerdos operam suam navare possit, etiamsi catechismus eodem die, fideique mysteria populo explanari debeant. Hæc enim fieri possunt ejusdem sacerdotis ministerio, qui ad sacrum conficiendum inducitur; quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi diœcesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse decretis, quæ super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id nos ostendimus *Instit. III*, tom. III, nostrarum *Institutionum ecclesiasticarum*, quæ Bononiæ impressæ fuerunt. Accedit, quod parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque ecclesia libenter suscepisset, si iterandi sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum ecclesia rem divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat ecclesiam, ubi a sacrificio abstineat, et christianæ legis instituta dumtaxat populo declaret.

Tui præterea parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri ut uno die sacrificium bis operentur;

reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur; cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Vericellus, *De apostolicis missionibus*, tit. IV, *De privilegiis regularium*, quæst. XIX, num. 202: *Quæres primo, an ad celebrandas duas missas in locis, ubi adest talis necessitas, requiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, seclusis privilegiis missionariorum. Ita a S. Congregatione resolutum.* Certum quoque est facultates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel si aliquando concedantur, non haberi tanquam alicujus sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur, cap. *In ordinanda*, n. 37, *De simonia: Miratur S. Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile, etc. Non concedi potest hæc licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Itaque cum ejusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, numquam parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur; nos prudentiam fraternitatis tuæ magnopere commendamus, teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo prædicti sancti Caroli Borromæi, qui in prima synodo provinciali, c. V, abrogavit *licentias a suis prædecessoribus concessas plures missas celebrandi.*

Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos utrum ratione, an temere id asserant, examinare prætermittimus. Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem præscriptionis, aut præsumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum, et alienum judicamus. Non utique jus divinum, sed jus ecclesiasticum prohibet eadem die ab eodem sacerdote sacrificium iterari. At non omnia, quæ juris tantum ecclesiastici sunt, præscribi possunt. Si etenim juxta civiles leges, *sanctæ res* præscribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam sacrum Tridentinum concilium in missarum celebratione sacerdotibus omnibus præcipit, ut col-

ligitur ex decreto *De observandis, et evitandis in celebratione missæ.*

In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod parochi duarum parochiarum feria sexta majoris hebdomadæ officium faciebant primum in una ex parochiis, et deinde illud iterabant in altera. Jejunii præceptum in sumptione Eucharistiæ non est juris divini, sed ecclesiastici, teste cardinali Bona *Rerum liturgicarum*, lib. I, cap. XII, num. 2, ubi refert initio non omnibus in locis universos prædicta lege obstrictos fuisse; cumque, hoc minime obstante, animadversum fuisset parochum celebrantem officium in secunda parochia, non jejunum sumere Eucharistiam sub specie panis (sumpserat enim in officio, quod celebravit in prima parochia, particulam Hostiæ consecratæ die præcedenti, una cum vino non consecrato, et sic jejunium fregerat naturale), reprobata fuit consuetudo, etsi, uti asserebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii parochi duarum parochiarum, aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque parochia officium feriæ sextæ majoris hebdomadæ celebrare possent; prætermittendi videlicet haustum vini in primo officio, quod in prima parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni, in secunda parochia, officia facerent, missamque, quæ dicitur præsanctificatorum, celebrarent. At hæc quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui ecclesiastico, quem et Ordo romanus, et Sacramentarium sancti Gregorii præscribunt, et adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius magni nominis theologus, tom. V, suorum *Operum*, editionis Antuerpiensis, orat. I, quæ est unica *de officio Parasceves*, rem graphice exponit, nec parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *In III partem divi Thomæ*, tom. III, quæst. LXXIII, art. 2, disquis. LXXX, sect. III. Et Nos ipsi hæc omnia exposuimus in nostro *Tractatu de sacrificio missæ*, typis Patavinis edito, sect. II, § 39; et in alio *Tractatu de festis Domini Jesu Christi*, part. I, typis quoque Patavinis edito, § 336 sq., confutavimus errorem Græcorum schismaticorum, qui volunt in missa præsanctificatorum, per immersionem particulæ in calicem ex sacratissima Hostia detractæ, transsubstantiationem fieri vini in sanguinem Christi, et diximus, sacerdotem in officio feriæ sextæ majoris hebdomadæ sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrum-

que revera sit sub specie panis præcedenti licet die consecrati.

Præscriptionem excipit præsumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, et etiam privilegium Apostolicum, quod, utpote nullo certo documento probatum, præsumptum appellatur. Sed cæteris prætermissis, ne hæc epistola longior evadat, subdimus, hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de illis, quæ cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne præsumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quæ ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes rejiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno 1657, cum in civitate quam dicunt *de Assumptione*, in provincia Paraguariensi, pars magna nobilium domi se contineret, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad ecclesiam, ut sacrum die festo audiret, episcopus exoravit ut sibi facultas daretur celebrandi missam antelucanam nobilium prædictorum gratia, et aliam ante meridiem, ut reliquus populus missæ præcepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congr. Conc., die 1 septembris 1657; nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse sacerdotem qui missam antelucanam celebraret pro nobilibus, quemadmodum colligitur ex lib. XXI *Decret.*, pag. 65.

Præterea vobis omnibus notum est, in regnis Aragoniæ, Valentiæ, et in comitatu Catalauniæ, die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quemlibet sacerdotem secularem bis missam celebrare posse, et ter quemlibet sacerdotem regularem; quod singulare privilegium antiquæ consuetudini et famæ Apostolici privilegii concessi vel a Julio III, vel a Paulo III, summis Pontificibus, innititur. De dicto privilegio egimus in supra citato nostro *Commentario de sacrificio missæ*, sect. II, § 31, et latius dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cum causa quædam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in *Thesauro Resolutionum* prædictæ Congregationis, tom. II, pag. 168; et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonæ memoriæ cardinali Lanfre-

dino, dum ipsum Secretarii munus obiret, et de quadam causa *Oriolen.* ageret, de qua tom. v, ejusdem *Thesaur.*, pag. 384 sq. Viri qui dignitate et præstantia supra cæteros eminebant, summis Pontificibus humillime supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantum ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod presbyteri tum seculares, tum regulares, in die commemorationis omnium defunctorum rem divinam iterato faciebant, precesque suas singulari pietate, et rationibus undequaque petitis cohonestarunt; negotioque a summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, hæc precibus hujusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbane dimisit, quemadmodum recensuimus in citato nostro *Tractatu de sacrificio missæ*, sect. II, § 31, editionis Patavinæ.

Porro si denegatum fuit episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut nobiles satisfacerent præcepto audiendi missam, eo quod alius aderat sacerdos, qui sacrum facere poterat; si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extensione privilegii precabantur, et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices Parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset sacerdos, qui parocho operam suam præstare posset, et bis celebrandi, non unica die intra annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus præcipiuntur.

Ut Fraternitati tuæ postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus nos absolvere potuisse, dicendo nimirum, tuam constitutionem synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus juris canonici professor, in Comment. ad cap. *Te referente*, n. 2, *De celebratione missarum*, docet a nemine binas missas eadem die celebrari posse, si id sit vetitum in constitutione synodali. Sed hæc scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium nostris laudibus prosequeremur, certamque normam, ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua, tuamque mentem tutissime conformares. Quapropter tres dies in privata nostra Bibliotheca mane insumpsimus, quos vacuos, ac liberos ab audiendis ministris, molestisque negotiis nacti sumus, ut has litteras conficere-

mus. Postremo te summopere iterumque commendantes qui hujus Sedis Apostolicæ in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, benedictionem tibi nostram, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 16 martii 1746, Pontificatus nostri anno sexto.

III

Instructio S. Rituum Congregationis
pro sacerdote bis missam eadem die celebrante.
11 martii 1858 [1].

Plurium Diœcesium.

Plures nuper diversarum diœcesium Rmi Antistites, nimirum Compostellanus et Salamantinus in Hispania, Aleniensis in Albania, et Meldensis in Gallia, attendentes rigorosam executionem decreti ab hac Sacra Rituum Gongregatione alias lati de uno tantum calice adhibendo a Sacerdotibus plures Missas ob necessitatem populi fidelis eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subjici, quum Sacerdos alteram Missam non in ipsa ecclesia, ubi primam celebravit, sed in alia longe dissita cogitur offerre; insuper vero advertentes morem duos in ejusmodi casu adhibendi calices, non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem ut omnem hominum memoriam facile excedat; ad hanc Sanctam Apostolicam Sedem pro modificatione præfati decreti certaque impetranda regula, quam tuto sequi possint, confugerunt.

Ut oblatarum hac de re a prædictis Antistitibus precum debita ratio haberetur, duo hæc concinnata sunt dubia, scilicet:

1. An retinendus sit usus qui dicitur vigere in diœcesibus Compostellana et Salamantina, nec non in diœcesi Meldensi et in aliis Gallicis diœcesibus, et etiam sit permittendus alibi; adhibendi scilicet ob peculiares rationes duos calices, quum sacerdos duas celebrat Missas eadem die in ecclesiis longe dissitis?

[1] *Decreta authentica*, n. 3068, t. II, p. 411.

2. Et quatenus ob peculiares circumstantias hujusmodi usus retinendus sit vel permittendus, quidnam servandum circa purificationem primi calicis, ut et reverentiæ Sacramento debitæ consulatur, et Sacerdos jejunus maneat pro secunda missa, habita ratione pecularium circumstantiarum, quæ in supplici libello exponuntur?

Jamvero quum dubia isthæc Emus et Rmus Dominus cardinalis Gabriel Della Genga Sermattei expendenda proposuerit in Ordinariis Sacræ Rituum Congregationis Comitiis anno superiori 1857, die 12 septembris ad Vaticanum habitis; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus mature perpensis, habitaque præ oculis docta et laboriosa elucubratione, quam R. D. Joannes Corazza, alter ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, de suo voto antea requisitus, desuper confecerat, respondendum censuerunt:

Ad 1. Usum duorum calicum in casu posse permitti.

Ad 2. Ad mentem: Mens est ut conficiatur instructio.

Ejusmodi autem instructio, quam ad mentem et ex mandato Sacræ Congregationis idem Emus et Rmus cardinalis Della Genga Sermattei una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctæ Fidei Promotore digessit, est prout sequitur:

Quando Sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus;* et subinde, admoto aquæ vasculo, digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporali manentem, adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Posthæc missam prosequatur, et completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altaris, et, detecto calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacræ Species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, cum particulæ, quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem Calicis parte, qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et

superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino præcepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat. Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa, pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat missam habiturus) et in exequenda purificatione in calicem demittatur; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel dimittatur in piscinam [1].

Cum autem calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera missa diverso calice uti poterit.

De quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacræ Congregationis cum adnexa Instructione approbare dignata est. Die 11 Martii 1858.

Cum [2] *superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo Sacerdos duas missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus, operæ pretium visum est, ex commentariis Bartholomæi Gavanti et Cajetani Mariæ Merati hic ritum adjungere a Sacerdote servandum, cum utramque missam in eadem ecclesia offerre debet.*

Hoc itaque in casu sacerdos post haustum in prima missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus : *Quod ore sumpsimus Domine*, etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari præparato abluet, interim dicens : *Corpus tuum, Domine*, etc.; abstersisque purificatorio digitis,

[1] Vel eam secum sacerdos deferat ad alteram ecclesiam, in purificatione secundæ missæ sumendam; ex responso S. R. Congr., in *Romana Dubiorum*, 9 maii 1893, ad 5; *Decreta auth.*, n. 3798, t. III, p. 247.

[2] Hoc additamentum, quod superiorem Instructionem complet, extat in *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 792, Romæ, 1893, p. 300.

calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit, usque ad secundam missam; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ab altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa sacerdos ad offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu Epistolæ collocabit, sed non extra corporale, factaque Hostiæ oblatione, cavebit, ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter levabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttæ aliquæ ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

IV

S. Congregationis Concilii decretum « Vigilanti » de turpi mercimonio stipendiorum missarum. 25 maii 1893 [1].

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus jugiter incubuit hæc S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit, ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis :

« 1. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo, missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt ;

« 2. An hæc agendi ratio ideo cohonestari valeat vel quia, nulla facta imminutione, tot Missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur ;

« 3. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et eroga-

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxvi, p. 56-59.

tiones tunc etiam improbandæ et coercendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur;

« 4. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine;

« 5. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro;

« 7 [1]. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ea propriis reditibus careant. »

In peculiari conventu anni 1874, S. C. resolvit :

« Ad 1. Affirmative;

« Ad 2. Negative;

« Ad 3, 4 et 5. Affirmative;

« Ad 7. Negative, nisi de consensu oblatorum. »

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sæpius neglectas fuisse et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Præsenti itaque decreto statuunt, ut in posterum, si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensionis a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius sit; clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat et inhabilis præterea fiat ad superiores ordines recipiendos; laici

[1] S. Congregatio omisit dubium 6, quod videas, si velis, apud *Acta S. Sedis*, t. VIII, p. 107.

demum excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservata obstringantur.

Præterea cum experientia docuerit, mala, quæ deplorantur, ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major missarum numerus congeritur quam justa necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhærentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac præsertim ab Urbano VIII et Innocentio XII in Const. *Cum sæpe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiæ præcepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni missarum onera, quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos, quos eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum diœceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant intra præfixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quæ præsentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curæ et officio singulorum Ordinariorum committit, ut præsens decretum omnibus ecclesiasticis suæ jurisdictioni subjectis aliisque quorum ex præscriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit; et insuper, ut sive in sacra visitatione, sive extra, sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Præfectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, die 25 maii 1893.

Aloysius Card. Episcopus Sabinensis, Præfectus.

L. Salvati, Secretarius.

V

S. Congregationis de Propaganda Fide Decretum de missa in navi quoad missionarios. 1 martii 1902[1].

Ad removendos abusus quos circa Missæ celebrationem, durante maritimo itinere, non semel occurrisse relatum est, EE. ac RR. S. Congregationis Propagandæ Fidei Patres in comitiis generalibus, die 24 ultimi elapsi mensis februarii habitis, omnibus mature perpensis, decreverunt ut infra :

Omnibus videlicet Missionariis suæ jurisdictioni subjectis et speciali indulto fruentibus celebrandi in mari sacrosanctum Missæ Sacrificium præcipiendum esse, quemadmodum per præsens Decretum S. Congregatio præcipit, ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent præscriptas regulas, in ipso apostolicæ concessionis rescripto apponi solitas. Videant nempe, utrum mare sit adeo tranquillum ut nullum adsit periculum effusionis Sacrarum Specierum e calice ; curent ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat ; et si in navi non habeatur Capella propria vel altare fixum, caveant omnino Missionarii ne locus ad Missæ celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum præ se ferat. Quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis.

Porro hujusmodi EE. Patrum sententiam infrascriptus Cardinalis Præfectus vigore specialium facultatum sibi a SSmo Dño Nostro Leone div. prov. PP. XIII concessarum, nomine et auctoritate Sanctitatis Suæ, die 25 supradicti mensis Februarii, ratam et adprobatam esse declaravit.

Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide, hac die 1 mensis martii 1902.

M. Card. Ledochowski, Præf.

Aloysius Veccia, Secret.

[1] *Acta S. Sedis*, t. xxxv, p. 48, vel *Canoniste*, an. 1902, t. xxv, p. 399.

INDEX RERUM

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS

Numerus indicat paginam.

A

Abbas : quoad missam pro populo, 168; — quoad benedictionem paramentorum, 243.

Administrator apostolicus : quoad missam pro populo, 168.

Ætas : quoad primam communionem, 301-306; — usus Galliæ, 306-310.

Alba : ejus materia, 223; — varia adjuncta, 224; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Altare : in quo asservari debeat sacra Eucharistia, 283-285.

Altare portatile : privilegium altaris portatilis quibusnam competat, 14-17.

Altaris ornatus, vide *Ornatus altaris.*

Aluminium : materia vasorum sacrorum, 211.

Ambrosianus ritus : quoad tempus celebrationis missarum, 38-39.

America latina : privilegium plurium missarum pro die 2ª novembris, 62.

Amictus : ejus materia, 223; — varia adjuncta, 224; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Annuntiationis festum : incidens in feriam V majoris hebdomadæ, 33; — in feriam VI majoris hebdomadæ, 25; — in sabbatum sanctum, 38.

Antipendium, vide *Pallium altaris.*

Applicatio missæ : applicatio missæ ratione stipendii seu eleemosynæ, vide *Eleemosynæ missarum manuales;* — num applicari possit missa pro eleemosyna conferenda, 92-93; — applicatio missæ ratione fundationis, vide *Missæ fundatæ;* — applicatio ratione beneficii seu capellaniæ, 159-164; — applicatio missæ ratione curæ animarum, 164-165; — num teneantur hac ratione applicare, episcopi, 165-168; — administrator apostolicus, 168; — abbas Nullius, 168; — episcopus titularis, coadjutor, 168-169; — vicarius apostolicus, 169-170; — vicarius capitularis, 170-171; — vicarius

generalis, 171; — superiores regulares, 171-172; — prælati inferiores, 172; — parochi aliique curati, 172-173; — indoles et modus hujus obligationis, 173; — missa pro populo in Ecclesia orientali, 173-175.

Asservatio, seu Custodia sanctissimi Sacramenti : notitiæ historicæ, 269-273; — ecclesiæ in quibus asservari possit sanctissimum Sacramentum, 274-282; — in quo altari asservari debeat, 283-285; — tabernaculi necessitas, conopœum, clavis, ornatus, 285-288; — pyxidis necessitas, materia, benedictio, varia adjuncta, 288-289.

B

Benedictio : paramentorum, 240-248; — pyxidis, 288-289.

Benedictus XIV : ejus epistola *Declarasti* quoad binationem, 64-67; 368.

Beneficiatus quoad applicationem missæ, vide *Capellania.*

Binatio seu **iteratio missæ in eadem die :** notitiæ historicæ, 55-57; — hæc iteratio prohibetur, 58-59; — de die Nativitatis Domini, 59-61; — privilegium plurium missarum die *Commemorationis omnium fidelium defunctorum,* pro Aragonia, Hispania, Lusitania, America latina, 61-63; — iteratio permittitur in casu necessitatis, modo adsint plures condiciones, 63-67, 70-71; — de consuetudine relative ad hanc necessitatem, 67-69; — de iteratione missæ pro moribundo sacro viatico reficiendo, 69-70; — de ritu liturgico servando, quando missa iteratur, 71-72, 384; — de iteratione missæ in locis missionum, 72-73; — de tribus missis eodem die celebrandis, 73-75; — de prohibitione duplicis stipendii quando iteratur missa, 114-118; — Sacerdos bis celebrans potestne recipere aliquam remunerationem, 119; — potestne, per secundam missam, satisfacere alicui veræ obligationi applicandi missam, 119-121.

Bursa : ejus materia, color, 229; — benedictione non eget, 242.

C

Calix : calicis materia, 208-211; — materiæ prohibitæ, 211; — de aluminio, 211-212; — calicis consecratio, 212 sq.; — hujus consecrationis antiquitas, necessitas, minister, ritus, 212-215; — calicis execratio, 216-219; — calicis ornatus, vide *Velum, Bursa.*

Candelabra altaris : eorum materia, 239; — varia adjuncta, 239.

Capellania : applicatio missæ ratione capellaniæ, 159-161; — quandonam possit capellanus vacare a celebratione, 161-163; — num possit tunc celebrare ad alias intentiones, 163-164.

Cardinales : privilegium altaris portatilis, 14; — privilegium quoad horam celebrationis missæ, 51.

Celebratio missarum : quatenus distinguitur ab applicatione missæ, 109-111.

Cerei : eorum necessitas in missæ celebratione, 233; — eorum numerus in variis missis, 234-237; — qualitas, 237-239; — de tertio cereo in missa privata, 239-240.

Ciborium seu **pyxis,** vide *Pyxis.*

Cingulum : ejus materia, color, forma, 224-225.

Clavis : tabernaculi, 286.

Cœna Domini : missa feriæ V in Cœna Domini, vide *Feria V majoris hebdomadæ.*

Collectio eleemosynarum missarum : pœnæ contra pravos collectores eleemosynarum, 189-193; — de turpi mercimonio eleemosynarum missarum, vide *Mercimonium turpe.*

Color : variorum paramentorum, 224, 227, 229, 231.

Communio fidelium : pueri,

usum rationis adepti, tenentur ad communionem, 301-303; — quo jure, 302; — ætas discretionis requisita, 303-305; — judex de hac discretione, 305-306; — jus particulare Galliæ quoad primam communionem, 306-310; — dies et hora distributionis communionis, 311-319; vide *Dies, Hora distributionis communionis.*

Communio infantium : notitiæ historicæ, 294-300; — hodie prohibetur ne communio detur infantibus, 300-301.

Communio infirmorum : dari potest qualibet die et hora, excepta nocte, 319; — ut dari possit nocte, requiritur necessitas, 319.

Condonatio missarum : condonationis missarum notio, auctor, condiciones, 154-155.

Confiteor : non bis dicitur, quando sacerdos sibi in missa respondet, 258.

Congregatio Concilii : ejus decreta, an. 1625 et 1697, circa celebrationem missarum, 97, 349; — ejus decretum an. 1874, circa turpe mercimonium eleemosynarum missarum, 193; — decretum *Vigilanti,* 195, 388.

Congregatio de Propaganda Fide : ejus decretum pro celebratione maritima, 391.

Congregatio Rituum : ejus Instructio pro sacerdote bis in eadem die missam celebrante, 72, 384.

Conopœum : pro tabernaculo, 286.

Consecratio : calicis, 212-215; — patenæ, 220.

Corporale : ejus materia, 220-221; — varia adjuncta, 221-222; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Crux : debet poni in altari, 231; — cum imagine Crucifixi, 232; — crucis varia adjuncta, 233; — benedictione non eget, 242.

Custodia sanctissimi Sacramenti, vide *Asservatio.*

D

Decreta circa celebrationem missarum, vide *Benedictus XIV, Innocentius XII, Urbanus VIII, Congregatio Concilii,* etc.

Dies celebrationis missarum : notitiæ historicæ, 20-24; — feria V majoris hebdomadæ, vide sub hoc vocabulo; — feria VI majoris hebdomadæ, vide sub hoc vocabulo; — sabbatum sanctum, vide pariter hoc vocabulum.

Dies distributionis Eucharistiæ : in feria VI majoris hebdomadæ, non licet dare communionem nisi infirmis, 311-314; — sabbato sancto nulla est prohibitio dandi communionem, 314-316.

E

Ecclesia : ecclesiæ seu oratoria in quibus missa celebrari possit in feria quinta majoris hebdomadæ, 27-33; — in sabbato sancto, 34-37; — ecclesiæ in quibus asservari possit sanctissimum Sacramentum, 274-282.

Electricæ lampades : quoad missæ celebrationem, 237-238.

Eleemosynæ missarum manuales : notitiæ historicæ, 76-83; — legitimitas eleemosynæ missarum, ejus impugnatores, 83-85; — hujus legitimitatis demonstratio, 85-90; — legitimitas etiam pro sacerdote divite, 90-91; — pro pluribus concelebrantibus, 91-92; — num sacerdos applicare possit pro eleemosyna conferenda, 92-93; — de taxa eleemosynæ ab Episcopo facienda, 93-95; — quantitas et obligatio taxæ, 95-96; — obligatio orta ex recepta eleemosyna, quoad numerum missarum, 97-100; — quoad celebrationis tempus et locum, 100-105; — quoad qualitatem missæ, 105-108; — potestne celebrari pro eleemosyna, si missa jam debita sit ratione beneficii, curæ animarum, conventualitatis, præcepti, pro-

missionis, voti, 108-114; — prohibitio duplicis stipendii, quando iteratur missa, 114-118; — sacerdos bis celebrans potestne recipere aliquam remunerationem, 119; — potestne, per secundam missam, satisfacere alicui veræ obligationi applicandi missam, 119-121; — de transmissione et collectione eleemosynarum, vide sub his vocabulis; — de superfluis missarum eleemosynis quotannis ad Ordinarium transmittendis, 204-207.

Episcopus : ejus privilegia quoad altare portatile, 14; — quoad horam celebrationis missæ, 51; — potestne celebrare privatim in feria quinta majoris hebdomadæ, 28; — ejus officium et jus : quoad taxam eleemosynæ missarum, 93-95; — quoad reductionem missarum, vide *Reductio missarum;* — quoad fundationem missarum permittendam et adimplendam, 123, 131-132; — quoad transmissionem eleemosynarum missarum superfluarum quotannis ad Ordinarium faciendam, 204-207; — quoad benedictionem paramentorum, 242; — quoad consecrationem calicis et patenæ, 213; — potestne concedere altare portatile, 8-14; — delegare presbyterum ad benedictionem paramentorum, 245; — dispensare in hora celebrationis missarum, 53; — in jejunio eucharistico, 345; — permittere asservationem sacræ Eucharistiæ in ecclesiis aut oratoriis, 282; — obligatio episcopi quoad missam pro populo, 165-168, 173.

Episcopus coadjutor : quoad missam pro populo, 169.

Episcopus titularis : quoad missam pro populo, 168.

Eucharistia : ejus susceptio, vide *Communio;* — ejus custodia, vide *Asservatio.*

Execratio : calicis, 216-219; — patenæ, 220; — paramentorum, 248.

F

Feria V majoris hebdomadæ : num et quæ missa celebrari possit hac feria in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, 27; — in ecclesiis Regularium, 28; — in ecclesiis parochialibus, 28-30; — in ecclesiis vicarialibus, 30; — in ecclesiis minoribus non parochialibus et in oratoriis, 30-33; — de missa lecta præter solemnem, 33-34.

Feria VI majoris hebdomadæ : in hac feria non licet celebrare, 24; — festum de præcepto occurrens in hac feria, 25; — festum Annuntiationis occurrens in hac feria, 25-26; — hac feria non datur communio nisi infirmis, 311-314.

Fœminæ : quatenus ministræ missæ, 258-260.

Fundatio missarum, vide *Missæ fundatæ.*

G

Gargarizatio, quoad jejunium eucharisticum, 335.

Græci : vide *Ritus orientales.*

Græco-Itali, vide *Ritus orientales.*

H

Hispania : privilegium plurium missarum pro die 2ª novembris, 61-63.

Hora celebrationis missarum : notitiæ historicæ, 41-43; — hora legitima ab aurora ad meridiem, 43; — tempus verum, medium, legale, zonarium, 45-49; — de regionibus in quibus sol non occidit vel non oritur, 49-50; — hora pro missis Nativitatis Domini, 50-51; — de privilegiis, dispensatione, consuetudine, quoad horam celebrationis missarum, 51-54.

Hora distributionis Eucharistiæ : tempus normale distri-

buendi communionem est intra missam, 316-317; — extra missam, licet dare communionem qualibet hora diurna, 317-319; — non licet dare communionem nocte, nec etiam nocte Nativitatis Domini, 318-319; — de communione infirmorum, 319.

Hostiæ : consecratæ frequenter renovandæ sunt, 289-291; — consecrandæ recentes sint, 291-292.

I

Infantes quoad communionem, notitiæ historicæ, 294-300; — hodie non licet eis dare communionem, 300-301.

Innocentius XII : ejus decreta de celebratione missarum, 97; 349.

Iteratio missæ in eadem die : vide *Binatio.*

J

Jejunium eucharisticum : notitiæ historicæ, 320-330; — lex de jejunio naturali servando ante celebrationem aut communionem, 330; — motiva legis, 331; — ut quis sit jejunus, requiritur ut nihil sumpserit a media nocte, 331-332; — in quantacumque parva quantitate, 332; — per modum cibi, potus aut medicinæ, 333; — varii casus resolvuntur, 334-336; — de usu tabaci, gargarizationis, lavationis stomachi, 335-336; — excusat a jejunio necessitas sacri incepti perficiendi, 337; — item necessitas recipiendi viaticum, 339-340; — item necessitas vitandi profanationes, 344; — non vero excusat quælibet infirmitas, licet diuturna, licet agatur de communione paschali, 340-342; — nec excusat ratio consecrandi pro communicando moribundo, 342-344; — nec etiam ratio celebrandi ne populus die festo missa careat, 344; — dispensatio in hac lege dari nequit ab Episcopo, sed tantum a Rom. Pontifice, 345-346; — de jejunio in Ecclesia orientali, 346-347.

L

Lampas : lampas electrica quoad missæ celebrationem, 237-238; — lampas coram sanctissimo Sacramento : ejus necessitas, 292; — locus ubi poni debeat, 292-293; — materia qua ali debeat, 292.

Lavatio stomachi : quoad jejunium eucharisticum, 336.

Linteamina sacra, vide *Corporale, Palla, Purificatorium.*

Locus celebrationis missarum : normalis et extraordinarius, 3; — celebratio missæ extra ecclesias et oratoria, in castris, in itinere, in littore maris, sub dio, 4-7; 11-12.

Lumina in missa : cerei, gaz, lampades electricæ, 237-239.

Lusitania : ejus privilegium plurium missarum pro die 2ª novembris, 61-63.

M

Manipulus : ejus materia, 225; — color, 227; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Mappæ altaris : earum necessitas, numerus, materia, 229-230; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Mare : celebratio in mari, 17-19, 391.

Materia : calicis, patenæ, pyxidis, etc., vide sub his vocabulis.

Mercimonium turpe eleemosynarum missarum : in quo consistat, 197-198; — prohibita cooperatio huic mercimonio, 198-199; — pœnæ contra delinquentes, 199-200; — de sacerdotibus ephemeridum moderatoribus quoad præfatum mercimonium, 200-204.

Minister missæ inserviens : ejus necessitas, 257; — debet esse masculus, 258; — idoneus, 260; — ministrorum numerus in missis lectis, solemnibus, cantatis, 260-264; — officium ministri, 264-265.

Missa, vide respectiva vocabula *Locus celebrationis missarum; Dies, Hora celebrationis missarum; Binatio; Missæ fundatæ; Celebratio missarum; Applicatio missarum; Reductio, Condonatio, Translatio missarum.*

Missæ fundatæ : quid sint missæ fundatæ, 122-123; — tria requisita ad fundationem : acceptatio, licentia superioris, investimentum dotis, 123-128; — obligatio ex fundatione orta, quoad missarum numerum et qualitatem, tempus locumque celebrationis, 128-130; — tabella fundationum, libri rationum, ratio reddenda, 130-131; — vigilantia episcopi super adimplementum fundationum, 131-132; — leges speciales quoad regulares, 132-133; — cessatio oneris missarum per lapsum temporis, 133-134; — per interitum dotis, 134-135; — vi indulti, 135-136; — vi præscriptionis, 136-140; — reductio, condonatio, translatio missarum, vide sub his vocabulis; — de transmissione et collectione eleemosynarum, vide pariter sub his vocabulis.

Missa pro populo, vide *Applicatio missæ.*

Missionarii : privilegium altaris portatilis, 16; — privilegium quoad horam celebrationis missarum, 52.

Mulier : quoad munus missæ inserviendi, 258-260.

N

Nativitatis Domini festum : quoad horam celebrationis missarum, 50-51; — quoad tres missas hoc festo celebrari permissas, 59-61; — non licet, nocte Nativitatis Domini, etiam intra missam dare communionem, 318-319.

Navis : celebratio in navi, 17-19; 391.

O

Oblationes in missa : oblationes communes in sæculis præteritis, 76; — antiquitas, materia oblationum, 76-78; — jus oblationis, 78; — varia adjuncta oblationum, 78; — imminutio usus oblationum, 78-79; — oblationes speciales, earum origo, progressus, causæ, 79-83.

Orientales : vide *Ritus orientales.*

Ornatus : ornatus altaris, vide *Mappæ, Pallium, Crux, Cerei;* — ornatus calicis, vide *Velum, Bursa;* — ornatus tabernaculi, 287-288.

P

Palla : ejus materia et forma, 222-223; — ejus benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Pallium altaris : ejus necessitas, materia, 230-231; — benedictione non eget, 242.

Paramenta sacra : quæ paramenta benedici debeant, 240-242; — hujus benedictionis minister, 242-247; — ritus, 247-248; — paramentorum execratio, 248-249; — paramentorum color, 227-228.

Parochus : quoad missam pro populo, 172-173.

Particulæ sacræ, vide *Hostiæ.*

Patena : patenæ materia, 219-220; — patenæ consecratio et execratio, 220.

Planeta : ejus materia, 225; — color, 227; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*

Pœnæ : contra pravos collectores eleemosynarum missarum, 189-193; — contra reos turpis mercimonii circa eleemosynas missarum, 199.

Præceptum, vide *Applicatio missæ ratione præcepti.*

Prælati inferiores : quoad missam pro populo, 172.

Presbyter assistens : quandonam liceat, vel non, illum adhibere, 262-263.

Prima communio in Gallia, 306-310.

Protonotarii : privilegium quoad

altare portatile, 16; — quoad horam celebrationis missarum, 51.
Pulverisatio : quoad jejunium eucharisticum, 335.
Purificatorium : ejus materia, 223; — benedictione non eget, 241.
Pyxis : pro asservatione sacræ Eucharistiæ, 288-289.

Q

Qualitas missæ : in celebratione missarum manualium, 105-108; — missarum fundatarum, 129.

R

Reductio missarum : potestas reducendi missas fundatas in genere Rom. Pontifici reservatur, 140-142; — de missis fundatis per contractum, 142-143; — num episcopus possit reducere fundationem, cujus reditus ex parte perierunt, 143-147; — modus faciendi reductionem vi indulti, 147-151; — vi juris proprii Episcopo competentis, 151-152; — regulæ generales pro facienda reductione, 152-153.
Regulares : eorum privilegium altaris portatilis, 14-16; — privilegia quoad horam celebrationis missarum, 52; — regulares subjecti sunt taxæ diœcesanæ stipendii missarum, 94; — subjecti sunt variis legibus quoad missas fundatas, 123-131; 132-133.
Regulares prælati : quoad benedictionem paramentorum, 244.
Regularium superiores : quoad missam pro populo, 171-172.
Ritus : ritus orientales quoad tempus celebrationis missarum, 39-41; — quoad festum Nativitatis Domini, 61; — quoad missam pro populo, 173-175; — quoad jejunium eucharisticum, 321, 324, 346-347.
Ritus ambrosianus, vide *Ambrosianus ritus.*
Rotæ auditores : privilegium altaris portatilis, 17.

S

Sabbatum sanctum : num et quæ missa celebrari possit hac die in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, regularibus, parochialibus, vicarialibus, in ecclesiis minoribus non parochialibus, in oratoriis, 34-37; — festum de præcepto incidens in sabbatum sanctum, 37; — festum Annuntiationis incidens in sabbatum sanctum, 38; — hac feria non prohibitum est dare communionem, 314-316.
Sanctissimum sacramentum, vide *Communio, Asservatio.*
Stipendium missarum, vide *Eleemosynæ missarum.*
Stola : ejus materia, 225; — color, 227; — benedictio, vide *Paramenta sacra.*
Stomachi lavatio : quoad jejunium eucharisticum, 336.

T

Tabacum : quoad jejunium eucharisticum, 335.
Tabellæ fundationum, 130.
Tabernaculum pro sanctissima Eucharistia : ejus necessitas, 285; — conopœum, 286; — clavis, 286; — ornatus, 287-288.
Taxa : eleemosynæ missarum manualium, 93; — missarum fundatarum, 124-125; — sacrorum utensilium, 249-256; vide *Utensilia sacra.*
Tempus celebrationis missarum, vide *Dies, Hora celebrationis missarum.*
Tempus discretionis pro sacra communione, vide *Ætas ad primam communionem.*
Tempus distribuendi sacram communionem, vide *Dies, Hora distributionis Eucharistiæ.*
Translatio missarum : translationis proprie dictæ notio, 155; — hanc facere potest episcopus in triplici casu, 156; — aliter reservatur S. Sedi, 156; — causæ translationis, 156-157; — de trans-

latione improprie dicta, 157-158.
Transmissio eleemosynarum missarum : regula generalis : qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, si hanc missam alii tradit, debet etiam tradere integram eleemosynam, 176-177; — etiam sub culpa furti, 178-179; — quin excuset ratio pii operis, 179-180; — regula, applicata missis manualibus, tres patitur exceptiones, 180-183; — regula applicatur missis debitis ratione beneficii, capellaniæ, fundationis, 183-185; — potestne retineri fœnus ex permutatione pecuniæ ortum, 185; — de intentionum permutatione, 186-187; — de retentione partis eleemosynæ in casu binationis, 187-188; — de administratoribus ecclesiarum quoad retentionem partis eleemosynæ, 189; — de præcepto transmittendi quotannis ad Ordinarium missarum onera superflua, 204-207.

U

Urbanus VIII : ejus decreta de celebratione missarum, 97, 349.
Utensilia sacra : variæ species, 208; — num teneatur parochus utensilia sacra ministrare sacerdoti extraneo, 249-251; — num taxa percipi possit pro sacris utensilibus quoad missas manuales, 251-253, 256; — quoad missas annexas beneficio, capellaniæ, fundationi, 253-256.

V

Vasa sacra, vide *Calix, Patena, Pyxis*.
Velum calicis : ejus materia, color, mensura, 229; — benedictione non eget, 242.
Vestes sacræ, vide *Alba, Planeta*, etc.
Viaticum : necessitas viatici recipiendi excusat a jejunio eucharistico, 339-340; vide *Jejunium eucharisticum*.
Vicarius apostolicus : quoad missam pro populo, 169-170.
Vicarius capitularis : quoad missam pro populo, 170-171.
Vicarius generalis : quoad missam pro populo, 171.
Vigilanti : decretum *Vigilanti*, 195, 388.

INDEX

TITULUS I

DE MISSA

CAPUT I. — De loco celebrationis missæ

§ 1. Notitiæ historicæ 3
§ 2. De celebratione extra ecclesias et oratoria ex necessitate. . . . 8
§ 3. De privilegio altaris portatilis 14
§ 4. De celebratione in mari 17

CAPUT II. — De tempore celebrationis missæ

§ 1. De diebus in quibus celebrari potest missa 20
§ 2. De hora qua missa celebrari debet. 41

CAPUT III. — De celebratione plurium missarum una die

§ 1. Prohibitio celebrandi plures missas una die. 55
§ 2. Exceptiones legi apponendæ. 59

CAPUT IV. — De missarum eleemosynis manualibus

§ 1. Notitiæ historicæ circa oblationes 76
§ 2. Legitimitas eleemosynæ pro missa. 83
§ 3. De taxatione eleemosynæ missarum 93
§ 4. De obligatione orta ex recepta eleemosyna. 97
§ 5. De stipendio missæ aliunde debitæ. 108
§ 6. De stipendio missæ in uno die iteratæ. 114

CAPUT V. — De missis fundatis

§ 1. De legibus canonicis circa ipsam fundationem missarum 122
§ 2. De legibus canonicis circa adimplementum fundationum 128
§ 3. De cessatione oneris missarum. 133
§ 4. De reductione oneris missarum 140

§ 5. De condonatione missarum 154
§ 6. De translatione missarum 155

CAPUT VI. — De quibusdam aliis titulis applicandi missam

§ 1. De applicatione missæ ratione beneficii et capellaniæ. 159
§ 2. De applicatione missæ ratione curæ animarum. 164

CAPUT VII. — De transmissione et collectione eleemosynarum missarum

§ 1. De regulis transmissionis eleemosynarum 176
§ 2. De administratoribus ecclesiarum, quoad retentionem partis eleemosynæ 189
§ 3. De pœnis contra pravos collectores eleemosynarum missarum. 189
§ 4. De turpi stipendiorum missarum mercimonio et decreto « Vigilanti ». 193
§ 5. De præcepto transmittendi ad episcopum, in fine anni, reliqua missarum onera 204

CAPUT VIII. — De sacris utensilibus

§ 1. De vasis sacris 208
§ 2. De sacris linteaminibus 220
§ 3. De vestibus sacerdotalibus. 223
§ 4. De ornatu calicis et altaris 229
§ 5. De benedictione et execratione paramentorum. 240
§ 6. De taxa sacrorum utensilium 249

CAPUT IX. — De ministro missæ inserviente

De ministri necessitate et qualitate; de numero ministrorum. 257

TITULUS II

APPENDIX DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

CAPUT I. — De custodia sacræ Eucharistiæ

§ 1. Notitiæ historicæ 269
§ 2. De ecclesiis in quibus asservari possit sacra Eucharistia 274
§ 3. De modo asservandi sacram Eucharistiam 283

CAPUT II. — De ætate qua pueri primo admitti possint aut debeant ad communionem

§ 1. Notitiæ historicæ 294
§ 2. De jure communi circa ætatem ad primam communionem . . . 300

CAPUT III. — De tempore distribuendi sacram communionem

§ 1. De diebus quibus distribui possit sacra communio 311
§ 2. De hora distribuendi sacram communionem 316

CAPUT IV. — De jejunio eucharistico

§ 1. Notitiæ historicæ 320
§ 2. De jure vigente quoad jejunium eucharisticum. 330

DOCUMENTA

I. Urbani VIII et Innocentii XII de celebratione missarum decreta. 349
II. Benedicti XIV Epistola *Declarasti* de iteratione missæ eodem die. 368
III. Instructio S. Rit. Congr. pro sacerdote bis eodem die celebrante. 384
IV. S. Congr. Conc. decretum *Vigilanti*. 388
V. S. Congr. de Propaganda Fide decretum de celebratione in mari. . 391

Index rerum ordine alphabetico digestus 393

30927. — Tours, impr. Mame.

7589